eadem trianguli BAD puncta circa eundem axem ſeparate oſcillantia acquirerent deſcendendo e verticalibus lineis eas diſtantias adæquantibus, æquivalet quantitati $\frac{2}{5}a^{3:2}b$, quæ reperitur ponendo a pro x, & b pro y in integrali $\frac{2}{5}x^{1:2}y^{1}$ omnium $yx^{1:2}dx$ (BD$\surd$AG, bd$\surd$Ag, &c. multiplicatorum per unitatem dx numeri ſui x creſcentis usque ad AG $= a$) ubi, quum y & x (BD & GA, bd & gA, &c.) ſint termini ſerierum arithmeticarum reſpectivi, dignitatum eorum indices duo 1 & $\frac{1}{2}$ tanquam unus & idem $\frac{3}{2}$ conſiderati ſunt. Quantitate $2a^{3:2}b:5n$ (in quo n numerum quemvis ſignificat) exprimitur velocitas totalis v quæ vel æqualis dictarum celeritatum ſummæ, vel ipſa major aut minor eſſe poteſt. Quadratorum ex omnibus diſtantiis GA, gA, &c. ſumma, ſive parallelepipedorum habentium pro altitudinibus rectas BD, bd, &c. ac pro baſibus quadrata $\overline{GA}^2$, $\overline{gA}^2$, &c. aggregatum ſit $= \frac{1}{4}a^3b$, quod per a omnium x maximam & per b maximam omnium y determinatur in integrali indeterminata $\frac{1}{4}x^3y$ cunctarum differentialium yx^2dx his parallelepipedis in unitatem dx numeri ſui AG ductis æqualium. Ex ſupra oſtenſis quantitas proprie ac ſpecifice exprimens longitudinem penduli ſimplicis compoſito iſochroni eſt fractio habens pro numeratore quadratum ſummæ diſtantiarum inter elementa penduli compoſiti axemque ſuſpenſionis, & pro denominatore quadratum velocitatis totalis ab eodem pendulo compoſito acquiſitæ, dum ipſius centrum gravitatis ex altitudine æquali ſuæ ab axe diſtantiæ deſcendit: quod in iſto exemplo ſecundo ſit $z = a^4b^2:9v^2$. Jam vero concedatur, elementis pendulorum minus totalis celeritatis ſemper acquiri conjunctim oſcillantibus quam ſi ſeparatim oſcillationes ſuas peragerent: hic v exprimetur per quantitatem $2a^{3:2}b:5n$, quæ, quoties numerus n excedet unitatem, minor fiet quam $\frac{2}{5}a^{3:2}b$ ſumma celeritatum ab omnibus trianguli BAD elementis ſeparate circa axem EF libratis acquirendarum. Num liquido conſtat penduli ſimplicis iſochroni notionem admittere potius $v = 2a^{3:2}b:3\surd 3$ (exiſtente $n = \frac{3}{5}\surd 3$) quam vel $v = 2a^{3:2}b:\surd 26$ (poſito $n = \frac{1}{5}\surd 26$) vel $v = a^{3:2}b:\surd 7$ (facto $n = \frac{2}{5}\surd 7$) aut ſimiles in infinitum hujuſce v valores? Porro trium valorum expreſſorum primus, qui inter duos reliquos quaſi medius eſt quantitate, & ab Hugeniano fluere principio mox demonſtrabitur,

tur, hic dat intervallum $a^4b^2 : 9v^2$ axis EF & centri oſcillationis $= 27a^4b^2 : 36a^3b^2 = \frac{3}{4}a$, quale ab ipſo Hugenio pag. 127 Tract. de Horol. oſcil. determinatum eſt centroque percuſſionis competit, longius autem quam $26a^4b^2 : 36a^3b^2 = \frac{13}{18}a$, quod ſecundus velocitatis v valor reddit, minus vero quam $28a^4b^2 : 36a^3b^2 = \frac{7}{9}a$, quod ex tertio ejusdem v valore concluditur. Quæ quidem omnia pendulorum naturæ nullo modo repugnant, quamcunque ſtatuendam exiſtimaveris rationem, qua velocitatem totalem a pendulo compoſito acquiſitam ſuperare debeat ſumma velocitatum a ſingulis ejus partibus diviſim vibratis acquirendarum. Ecce nunc quemadmodum primus caſus ab ipſo Hugenii principio deducitur. In exemplo præcedenti monſtratum eſt altitudines, ad quas particulæ penduli confracti repercuti intelliguntur, exprimi poſſe quadratis celeritatum ab iis particulis acquiſitarum quo inſtanti ab invicem disjungi ſupponuntur: quorum quadratorum ſumma æqualis eſt producto, quod fit ducendo ſummam quadratorum ex diſtantiis ab axe ſuſpenſionis in quotientem, qui prodit dividendo quadratum velocitatis totalis per ſummam earundem diſtantiarum; id eſt, hic $\frac{1}{4}a^3b\,(9v^2 : a^4b^2$ ſeu $9v^2 : 4ab$ exprimere aggregatum altitudinum repercuſſionis poſt confractionem; quo diviſo per figuræ oſcillantis contentum $\frac{1}{2}ab$ obtinetur $(9v^2$

TAB. I. $: 4ab) 2 : ab = 9v^2 : 2a^2b^2$ altitudo aſcenſus centri gravitatis, quod

Fig. 2. inter ſeparatas penduli particulas imaginari poſſumus. Secundo, facile eſt perſpicere ſuperficiem planam BAD motu in planum agitatam, ſic ſupra lineam horizontalem axi oſcillationis in A perpendicularem attolli poſſe; & quoddam obſtaculum, velut planum impenetrabile, in quod delapſa impingeret, ſic ad lineam verticalem eidem axi in A occurrentem poſſe inclinari; ut ſingulæ altitudines, unde omnia hujuſce ſuperficiei puncta in planum illud oppoſitum ſimul deciderent, æquales evadant ſingulis intervallis, quibus iſta puncta ab oſcillationis axe diſtant; atque ita harum altitudinum ſumma $\frac{1}{3}aab$ diviſa per punctorum cadentium numerum ſive penduli propoſiti BAD aream $\frac{1}{2}ab$ det deſcenſus centri his omnibus punctis ante ſeparationem communis altitudinem $\frac{2}{3}a$. Statuamus jam cum Hugenio $9v^2 : 2a^2b^2 = \frac{2}{3}a$; colligemus inde $v^2 = 4a^3b^2 : 27$ & $v = 2a^{3:2}b : 3\sqrt{3}$, qualis ſupra primo caſu po-

Digitized by Google

poſita eſt. Quæ quidem determinatio velocitatis totalis in pendulo compoſito, confundens centrum oſcillationis cum centro percuſſionis, non aliis numero infinitis determinationibus idem oſcillationis centrum ad alia ejusdem penduli puncta centro gravitatis etiam inferiora reducentibus certior cenſeri debet absque ulla peculiari ratione petita ab aliquo principio ſive in Mathematicis ſive in Phyſicis manifeſtiſſime vero. Tale autem principium præcipuus eſt difficultatis nodus.

Concipiatur nunc idem triangulum iſoſceles vertice A deorſum converſo ſuſpendi & circa baſin in planum moveri. Inveniendi eſt ſumma tum diſtantiarum Bb, GA, Dd, &c. inter omnia ejus elementa æqualia ſeu puncta baſinque BD, tum radicum quadratarum ex illis diſtantiis, tum etiam quadratorum ex ipſis. Quapropter nomino ut prius baſin, b; altitudinem GA, diſtantiarum maximam, a; ſingulum hujus altitudinis ſegmentum arithmeticum Gg, Gγ, &c. x; ſingulumque arithmetice reſpectivum ſuper baſi dimidia ſegmentum D1, D2, &c. y: atque ſic habeo primo figuræ oſcillantis aream (infinitum elementorum ejus numerum) DAB $= \frac{1}{2} ab$; ſecundo diſtantiam baſeos ſeu axis ſuſpenſionis a centro gravitatis (altitudinem unde hoc centrum deſcendere ſuppono) Gg $= \frac{1}{3} a$; tertio ſummam diſtantiarum omnium inter ſe parallelarum 1d, 2δ GA, &c. (altitudinum unde cuncta trianguli puncta una cum gravitatis centro circa axem EBDF deſcendunt) DAB, Gg $= \frac{1}{6} aab$. Quia autem recta GA ſecta intelligitur infinita ſerie rectarum bd, βδ, &c. ipſi BD parallelarum, quæ triangulum propoſitum complent, & ad quas diſtantiæ d1, δ2, &c. ex una parte terminantur; æquales fiunt Aγ & Gg, Ag & Gγ &c. Unde ob æqualitatem rationum rectæ Aγ ad rectam βδ & rectæ Ag ad rectam bd, datur bd, Gg $=$ βδ, Gγ; atque ita de reliquis ſimilibus binis: quæ bina æqualia rectangula ſi tanquam pondera e binis punctis g & γ ſibi reſpondentibus in recta GA æquali hinc & inde ab ejus terminis G & A intervallo appenſa imaginaris, non difficulter animadvertes intervalla, quibus ab axe ſuſpenſionis FDBE diſtabunt, eadem fore quæ d1, δ2, &c. inter hunc axem rectasque bd, βδ, &c. interjecta, ſed toties iterata, quoties unitatem continent horum rectangulorum expreſſiones; quod idem valet ac bd, d1, d1; βδ,

TAB. I. Fig. 3.

Digitized by Google

$\beta\delta$, $\delta 2$, $\delta 2$; &c. ſive toties quadratum ex d 1 quot puncta trianguli DAB ſunt in bd, toties quoque quadratum ex $\delta 2$ quot puncta ejusdem trianguli continet $\beta\delta$, &c. uno verbo, eſt ſumma quadratorum ex diſtantiis omnium punctorum hujuſce trianguli ab axe oſcillationis. Nec minus facile perſpicies centrum æquilibrii cunctis illis rectangulis binis æqualibus commune, diametrum GA (a) dividere mediam; ſicque ab axe oſcillationis EBDF intervallo $\frac{1}{2}a$ abeſſe. At evidenter numerus infinitus dictorum rectangulorum 1d, db; 2δ, $\delta 3$; &c. non differt a ſumma diſtantiarum inter triangulum BAD & ipſius baſin BD ſupra reperta $= \frac{1}{6}aab$. Ergo $\frac{1}{2}a, \frac{1}{6}aab = \frac{1}{12}a^3b$ æquatur ſummæ diſtantiarum inter eadem rectangula eundemque axem oſcillationis, id eſt (ex ſuperius oſtenſis) ſummæ quadratorum ex diſtantiis hujus axis ab omnibus trianguli propoſiti punctis: quod erat quarto loco inveniendum. Quinto liquet quoque, omnes radices quadratas diſtantiarum arithmeticarum tam Gg, Gγ, &c. usque ad GA, quam 24, &c. usque ad 2δ, & ceteras ſimiles in utroque ſemiſſe figuræ propoſitæ BAD æquivalere creſcentibus areæ parabolicæ portionibus communi expreſſione variabili $\frac{2}{3}x^{3:2}$ comprehenſis, quarum numerus infinitus eſt $\frac{1}{2}$BD $= y$: ita ut $\frac{4}{3}x^{3:2}dy$ fiat elementum ſolidi $8x^{3:2}y:15$ in quo cum indeterminata y (D 1, D 2, &c.) ſit arithmetica ejusdem ordinis atque alia ſibi correſpondens arithmetica x (1d, 2δ, &c.) indices $\frac{3}{2}$ & 1 pro uno $\frac{5}{2}$ haberi debent; cumque creſcant x & y usque dum evadant a & $\frac{b}{2}$, ſolidum illud evadens conſequenter $4a^{3:2}b:15$ adæquat ſummam dictarum radicum quadratarum exprimitque ex analogia ſummam celeritatum, quas omnia trianguli BAD elementa ſeparatim oſcillantia acquirerent. Sexto litera n numerum ſupra unitatem quemcunque ſignificante, quantitas $4a^{3:2}b:15n$ celeritatum ſummam præcedente minorem infinitis exprimet modis. Placetne centrum percuſſionis trianguli iſoſcelis BAD ex baſe ſua ſuſpenſi (ſeu centrum æquilibrii commune velocitatibus punctorum omnium hujus trianguli in planum agitati, expreſſis per rectangula bd, d 1; $\beta\delta$, $\delta 2$; &c; quod rectam AG ſecare mediam modo oſtenſum eſt) fieri quoque ipſius centrum oſcillationis? Applica Hugenii principium, quemadmodum in primis exemplis obſervatum fuit. Nempe diviſa velocitate to-

totali v per ſummam $\frac{1}{6}aab$ diſtantiarum ab axe ſuſpenſionis, duc quotientis quadratum $36v^2:a^4b^2$ in ſummam $\frac{1}{12}a^3b$ quadratorum ex iisdem diſtantiis, ut habeas aggregatum $3v^2:ab$ altitudinum aſcenſus poſt penduli confractionem: quod æquatum aggregato $\frac{1}{6}aab$ altitudinum deſcenſus ante illam confractionem præſtabit tibi $v^2=a^3b^2:18$; unde ſpecifica longitudinis penduli ſimplicis iſochroni expreſſio $a^4b^2:36v^2$ migrat in $18a^4b^2:36a^3b^2=\frac{1}{2}a$ talem præciſe qualem loco jam citato Tract. de Horol. oſcil. Hugenius ipſe notavit. Centra igitur percuſſionis & oſcillationis adunata ſic obtinebis: ſed qua conditione? Ex dictis manifeſta eſt. Requiritur neceſſario, ut velocitas totalis penduli compoſiti, quod hic proponitur, ſcilicet $a^{3:2}b:3\sqrt{2}$, collata cum ſumma $4a^{3:2}b:15$ celeritatum, quas ejus elementa ſeparate oſcillantia adipiſcerentur, non alia eſſe poſſit, inter varias numero infinitas hac ſumma minores $4a^{3:2}b:15n$ (queis pendulorum ſimplicium iſochronorum longitudines $25n^2a:64$ competunt) quam quæ $n=\frac{4}{5}\sqrt{2}$ exigat. Notabilis certe conditio; cujus demonſtrationem omnis controverſiæ prorſus immunem ſi quæras, inveniendam tibi libens relinquo. Interim ne tædeat te, propoſito ſequenti problemate, ſimilem difficultatis in Hugeniano de centris oſcillationum ſyſtemate ubique obviæ nodum mecum adhuc advertere.

Problema.

Invenire locum duorum ponderum æqualium C, D *æqualiter tum a puncto ſuſpenſionis* A *tum a linea verticali* AE *diſtantium, quæ agitata circa axem in* A *perpendicularem plano per* ACD, *iſochrona ſint pendulo ſimplici longitudinis datæ* AB, *& velocitatem totalem conjunctim acquirant duplam celeritatis, quam ipſis commune gravitatis centrum* E *circa eundem axem ſeparatim oſcillans adipiſceretur.* TAB. I. Fig. 4.

Ponamus cum Hugenio $AB=a$, $AE=x$, $ED=EC=y$; unde ſequitur $AD=AC=\sqrt{(xx+yy)}$. Quoniam centra gravitatis E & oſcillationis B ſibi mutuo ſuper una eademque recta BEA ſemper reſpondent; ſingula altitudo deſcenſus ipſius

E eſt

E eſt ad ſingulam altitudinem deſcenſus ipſius B ſicut recta AE ad rectam AB: quapropter in calculo ſufficit maximæ altitudinis, unde E deſcenderet, expreſſionem x uſurpare, ac conſequenter velocitatem totalem penduli compoſiti CAD exprimere per $2\sqrt{x}$, quatenus celeritas a ſolo centro E ex eadem altitudine AE ſeparate delapſo acquiſita $= \sqrt{x}$ foret. Meminiſti longitudinem penduli ſimplicis iſochroni nobis exprimi fractione, cui numerator ſit quadrata ſumma $2\sqrt{(xx+yy)}$ diſtantiarum CA, DA, & denominator datur quadrata velocitas totalis maxima $2\sqrt{x}$: eſt ergo hic illa longitudo $= (xx+yy):x$, quæ poſita ex hypotheſi æqualis rectæ datæ a deducit ad $yy = ax - xx$ locum punctorum C & D quæſitum, ad circumferentiam ſcilicet ACBD circuli centrum ſuum habentis, ubi data recta AB bifariam dividitur. At quid tali velocitatis totalis determinatione efficitur? Hoc quidem primum, ut altitudini x deſcenſus centri gravitatis E, quod duobus ponderibus D, C conjunctis commune eſt, æqualis foret altitudo $(x+x):2$ deſcenſus centri iiſdem ponderibus duobus ſed disjunctis communis; diviſa enim velocitate totali $2\sqrt{x}$ per ſummam $2\sqrt{(xx+yy)}$ diſtantiarum a puncto ſuſpenſionis A, ductoque in ſingulam diſtantiam $\sqrt{(xx+yy)}$ quotiente, obtinetur hujus velocitatis gradus $\sqrt{x}$ ſingulo ponderi ante amborum ſeparationem diſtributus, idem videlicet qui caſu ex AE (x) ſeorſim acquireretur: unde innoteſcit centri gravitatis poſt repercuſſionem altitudo, utpote duplæ AE ſemiſſis. Efficitur autem ſecundo, ut centrum oſcillationis in centrum percuſſionis caderet. Penduli namque oſcillantis centrum percuſſionis dicimus punctum illud diametri BEA per centrum gravitatis E & punctum ſuſpenſionis A correſpondens ductæ, quod obſtaculi pendulum collidentis impetum maximum ſuſtineret; ad quod proinde maximus tenderet penduli reſiſtentis conatus. In noſtro itaque pendulo iſoſceli CAD hoc ipſum punctum idem eſt ac concurſus B rectarum BC, BD contingentium arcus a centris duorum ponderum æqualium C & D circa punctum æquidiſtans A deſcriptos. Atqui ob angulos rectos ACB, AEC, recta BE ſit tertia continui proportionalis poſt duas AE & EC (x & y) nempe $yy:x$. Tota igirur AB

eſt

eſt $= x + yy : x$ ſeu $(xx + yy) : x$. Denique cum omnes anguli recti, qualis ACB, in eodem ſemicirculo ſuper AB$= a$ deſcripto forent inſcripti, communis eorum hypotenuſa eſſet ipſamet diameter AB: ergo $(xx + yy) : x$ fieret $= a$; ergo poneretur centrorum percuſſionis & oſcillationis una eademque ab axe ſuſpenſionis diſtantia. Ubi mecum obiter nota, idem percuſſionis centrum ſequenti quoque calculo inveniri. Utroque amborum ponderum æqualium C, D, quorum neque magnitudo neque figura, ſed ſola gravitatis centra conſideranda ſunt, expreſſo per unitatem; ſingula diſtantiarum CG, DH, quibus a recta horizontali GH per punctum ſuſpenſionis A in plano CAD acta abeſſe intelliguntur, vocata x; & ſingula aliarum diſtantiarum CE, DE, quibus a recta verticali AE per ipſorum centrum commune E ducta diſtant, denominata y. Aſſumatur tam ſumma ponderum nempe $1 + 1 = 2$, quam ſumma productorum ex ipſis per ſuas diſtantias ab horizontali GAH factorum ſcilicet $1x + 1x = 2x$; quotiens $2x : 2 = x$ deſignabit intervallum AE inter hanc horizontalem rectam & commune gravitatis centrum E. Simili modo ſi cogitatu ſubſtituantur in locum eorundem ponderum C, D producta C, CG; D, DH $(1, x)$ velut duo nova pondera inter ſe æqualia, & per ſummam $2x$ horum novorum ponderum dividatur ſumma $1xx + 1xx = 2xx$ productorum ex illis per diſtantias æquales CG, DH factorum; prodibit $2xx : 2x = x$ pro intervallo inter A & centrum commune, quod hic non differt ab E propter novam æquilibritatem. Inſuper ſi alia duo nova pondera C, CE; D, DE $(1, y)$ collocarentur in C & D; eſſet $2yy : 2y = y$ diſtantia rectæ AE a communi centro eorum hinc vel inde ſito. Jam eſto ſicut $2x$ ad $2y$ ita $2yy : 2y$ ad quartam proportionalem, nempe $4y^3 : 4xy$. Liquet aggregatum $2xx : 2x + 4y^3 : 4xy$ eſſe idem intervallum $x + yy : x$ ſupra inventum inter punctum ſuſpenſionis A centrumque percuſſionis penduli propoſiti CAD: quod ipſum intervallum ad centrum oſcillationis terminari primo obſervavimus, dummodo totalis velocitas penduli eſſet $= 2\sqrt{x}$. Sed unde, quæſo, ille celeritatis gradus potius quam alius velut $2\sqrt{(\pm x \mp y)}$, qui longitudinem penduli ſimplicis iſochroni daret $= xx + yy$

TAB. I. Fig. 5. $:\pm x \pm y = a =$ AB, locum vero ponderum C, D geometricum conſtitueret ad expreſſam æquatione $yy \pm ay = \pm ax - xx$ curvaturam ſegmenti BCADB duorum ſemicirculorum ſuper æqualibus diametris (MN $= MN = a\surd 2$) deſcriptorum, ſeque ita interſecantium ut, ſi utrovis rectangulum GABg ($\frac{1}{2}a, a$) inſcribatur, & ſemiſſis figuræ oſcillantis CAEB delineatur, appareat ex nota tam Chordarum (AEB, CEL+LC) ſeſe intra circulum decuſſantium quam ſecantium (CHE, EAG + GA) ſibi extra circulum occurrentium proprietate non tantum rectangulum rectæ CL+LE ($y + a$) in rectam EC (y) ductæ æquari rectangulo rectæ AE (x) per rectam AB—AE ($a—x$) multiplicatæ, verum etiam rectangulum rectarum CE & EH ſive AB—CE (y & $a - y$) æquale eſſe rectangulo rectarum 2 GA + AE & AE ($a + x$ & x). Vides ergo, Lector, evidentiſſima opus eſſe demonſtratione ad ſyſtema Hugenii de centro oſcillationis ſic confirmandum, ut nullus relinquatur dubitandi locus, quin natura hoc unum conſtantiſſime admittat. Alioquin harum ſolutionum alterutram minime licet aſſerere altera veriorem.

Dices fortaſſis, quam requiro demonſtrationem, ut objectioni meæ fiat ſatis, eam amplius deſiderari, ex quo die nova argumenta, quibus Hugeniana de centris oſcillationum doctrina illuſtretur ac firmius ſtabiliatur, cum Mathematicis Regiæ Scientiarum Academiæ lucubrationibus publicata ſunt.

Fateor equidem hic tradi Regulam non minus ingenioſa & ſubtili quam facili ac generali methodo inventam, qua centrum percuſſionis in ponderibus ſuſpenſis reperitur. Veruntamen, ut ingenue dicam, quæ afferuntur ibi rationes ad centra oſcillationis & percuſſionis confundenda neque objectionem diluere neque nodum difficultatis expedire mihi videntur. Scis ad demonſtrandum aliquid, quod poſtea nec dubium nec controverſum eſſe queat, exigi argumenti cum inconcuſſam ſtabilitatem tum perſpicuitatem maximam. Perlege Voluminis a Regia Scientiarum Academia pro anno 1703 in lucem editi paginas 81 & 82; attentoque animo rem expende. Cedo qui fieri poteſt, ut mera privatio motus, quo opus eſt ad conficiendum

dum

Digitized by Google

dum ſpatium VS, etſi nulla obſtant impedimenta externa, reſiſtat tamen reali motui cum quo eandem partem verſus percurreretur ſpatium RT; ſicque in eodem pondere libere ſuſpenſo ac mobili DAC una particula D motu ex V in S defecta alteram C motu ex R in T ſimiliter directo affectam repellat tantum quantum ab ipſa ſibi invariabili vinculo copulata impellitur? Inſuper, ſi non alius motus imprimeretur ipſi D verſum S circa A, quam qui ab obliquo gravitatis DP conatu procedit & per arcum minimum DV exponitur; dum C, quæ virgis CA, AD, DC inflexibilibus & ponderis expertibus cum eadem D conjungitur, non alium motus ſibi ab æquali gravitate CO oblique impreſſi verſus T circa idem punctum A retineret gradum, quam qui per arcum infinite parvum CR repræſentatur: quomodo penduli compoſiti CAD oſcillatio, iſochrona penduli ſimplicis AM oſcillationi, poſſibilis foret, quandoquidem non ſe habet AD ad DV ſicut AC ad CR, id eſt, AM ad MK? TAB. I. Fig. 6.

Utut hæc ſunt; faciendo omnia producta D, AD, VS æqualia omnibus C, AC, RT ſimul ſumptis (quorum productorum expreſſiones inventæ hanc æqualitatem nequaquam ſecum important) libitum eſt ſtatuere inter unasquasque naſcentes celeritates CR, DS &c. elementorum penduli CAD conjunctim oſcillantium, C, D &c. quæ bina ex utraque parte communis centri L æqualia ſupponuntur, & unasquasque naſcentes celeritates CT, DV &c. eorundem elementorum ſeparatim oſcillantium; libitum eſt, inquam, ſtatuere differentias RT, VS &c. (alteram nempe additivam propter motus exceſſum, alteram vero ſubtractivam ob defectum motus) tales quidem ut ſi ex una parte ponderibus per ſingula D, AD expreſſis tribuerentur velocitates quæ per ſingulas VS exprimerentur, & ex alia parte ponderibus per cuncta C, AC deſignatis ineſſent velocitates quæ per cunctas RT deſignarentur; ſumma omnium quantitatum motus ex prima parte æqualis eſſet ſummæ omnium quantitatum motus ex altera.

Atqui hocce principium nihil eſt aliud quam hypotheſis ſub eadem & conditione & difficultate ac Hugenii noſtri po-

ſtulatum ; ut palam facit quæ inde diducitur expreſſio $\int(x^2dp+y^2dp):\int xdp$ diſtantiæ quæſitæ AM : ubi ſignificatur per *p* pendulum propoſitum CAD ; per *dp* ejus elementum D vel C &c; per *x* ſingulum intervallum LA quo centrum binis quibusque elementis æqualibus D & C commune diſtat ab axe ſuſpenſionis ; per *y* unaquæque diſtantiarum æqualium LD, LC inter hoc centrum & hæc bina æqualia elementa ; per $xx+yy$ dimidium quodque aggregatum amborum quadratorum ex diſtantiis reſpectivis DA & CA ; denique per literam $\int$ integrale ſive ſumma quantitatum quibus illa præfigitur. Talis autem inventa diſtantiæ AM expreſſio (I) propria eſſe centri percusſionis ſatis ex eo oſtenditur, quod calculo ad idem centrum ſicut in problemate præcedenti determinandum apto ſubjiciatur. Cogita in locum binorum æqualium ponderum C, D, &c. (dp) alia totidem C, CG; D, DH ; &c. (xdp) ſuffici ; quæ, rectis CG, DH, &c. (x) parallelis diſtantiæ AL puncti ſuſpenſionis A a gravitatis centro L priorum ponderum, referantur ad rectam per A ductam ita ut lineæ ipſa connectenti CLD ſit æquidiſtans. Horum novorum ponderum ſumma $\int xdp$ dividente ſummam $\int x^2dp$ productorum ab illis per ſuas *x* multiplicatis factorum, exit longitudo qua punctum A ab eorum communi centro remotum eſt, quemadmodum $\int xdp:\int dp$ ſit $=$ AL. Præterea ſi cogitatu in locum eorundem primorum ponderum C, D, &c. ſubſtituerentur alia tertia C, CL; D, DL, &c. (ydp) quæ binis æqualibus diſtantiis LC, LD, &c (y) a centro L horum primorum referantur ad diametrum per puncta A & L tranſeuntem ; ſummaque $\int y^2dp$ productorum, quæ fiunt ex iſtis tertiis ponderibus in ſuas *y* ductis, divideretur per ipſorum ſummam $\int ydp$; quotiens foret expreſſio intervalli quo diameter AL ab eorum ex utravis parte ſumptorum gravitatis centro diſtaret. Ordinando itaque hanc analogiam, ut $\int xdp$ ad $\int ydp$ ſic $\int y^2dp:\int ydp$ ad quartam proportionalem, quæ erit $\int y^2dp:\int xdp$; ac deinde illam quartam proportionalem addendo ipſi $\int x^2dp:\int xdp$; obtinebis propoſitam expreſſionem $\int(x^2dp+y^2dp):\int xdp$ diſtantiæ AM inter axem ſuſpenſionis

A &

Digitized by Google

A & centrum percuſſionis M, haud ſecus ac in problemate ſuperius reſoluto.

Fac nunc ex ea, quicquid inde reſultet, valorem diſtantiæ axis a centro oſcillationis, hoc eſt, æqualitatem cum propria & ſpecifica expreſſione longitudinis penduli ſimplicis iſochroni. Ea propter ſunto: indeterminata δ ſingula diſtantia axis ſuſpenſionis a ſingulo elemento penduli compoſiti DAC; v ſumma velocitatum ab omnibus ejus elementis æqualibus ac minimis qualibet vibratione acquiſitarum; g recta centrum gravitatis & punctum ſuſpenſionis reſpectivum conjungens; b altitudo deſcenſus centri gravitatis, ex qua decidens pendulum compoſitum velocitatem totalem v adipiſcitur; z recta inter axem & centrum oſcillationis intercepta, atque per gravitatis centrum traducta, adeo ut quæ eſt ratio ipſius g ad ipſam z eadem ſemper habeatur ipſius b ad quartam nempe $bz:g$ correſpondentem altitudinem deſcenſus penduli ſimplicis. Item propter iſochroniſmum; ſicut g & z ſunt inter ſe, ita etiam $gv:\int\delta$ & $zu:\int\delta$ celeritates ſcilicet centris gravitatis & oſcillationis competentes. Dein ob naturalem lapſus Gravium accelerationem, adæquantur $\sqrt{}(bz:g)$ & $zv:\int\delta$: unde colligitur $z = b\int^2\delta:gv^2)$ vel ſimplicius (quoniam ſemper aſſumi poteſt $b = g$) elicitur $z = \int^2\delta:v^2$ ſpecifica penduli ſimplicis iſochroni longitudo; qualem in exemplis ſuperius prolatis uſurpavimus.

Fac igitur $\int^2\delta:v^2 = \int(x^2dp + y^2dp)\int x\,dp$ (II) ut cogas quacunque lege centrum percuſſionis fieri & oſcillationis. Hinc emanabit $2\int x\,dp = 2\int(x^2dp + y^2dp)\,v^2:\int^2\delta$, cujus æqualitatis primo membro exprimitur altitudo AL (x) ex qua gravitatis centrum L deſcendere poteſt, multiplicata per ambas ſummas ($2\int dp$) elementorum penduli, veluti C &c. ad ſiniſtram & D &c. ad dextram; quibus binis hoc centrum ſuper diametro AL commune eſt; atque ita de reliquis ſimilibus: quod (Tract. de Horol. oſcil. Parte quarta, Prop. tertia,) tantundem valet quantum *ſumma productorum ex ſingulis penduli elementis ductis in altitudines unde connexa inter ſe, ſimul deſcenderent.* Secundo autem hujus æqualitatis membro ſignificatur id quod reſultaret, ſi quadratum totalis velocitatis (v)

diviſæ per ſummam *(ſδ)* diſtantiarum CA, DA, &c. duceretur in ſingulum aggregatum *(2 d p (xx + yy))* binorum productorum ex multiplicatione utriusque amborum æqualium elementorum C & D per quadratum diſtantiæ ſuæ ab axe ſuſpenſionis: quod evidenter non differt a *ſumma productorum, quæ fierent, ſi eadem elementa* multiplicarentur per quadrata quantitatum diſtantiis axis proportionalium, in quas velocitas totalis ipſis conjunctæ mobilibus neceſſario diſtribueretur, hoc eſt, *multiplicarentur per altitudines ad quas aliquo obice repercuſſa & fracto pendulo ſeparata aſcenderent.*

En igitur, ad centra oſcillationis & percuſſionis adunanda, non ſolum quo reducitur Regula generalis in Mathematicis Regiæ Scientiarum Academiæ collectionibus propoſita, ſed etiam unde immediate diducitur Hugenianæ de hoc centro doctrinæ principium. Quoniam autem ſtatuere mutuam reſiſtentiam inter motum realem & meram motus privationem non eſt argumentum ſatis evidens, quo niti poſſit indubitata demonſtratio; non plus profecto ad enodandam quæſtionis difficultatem illa Regula poteſt quam illud Principium. Equidem ſcio tale argumentum tali, quæ ſequitur, ratiocinatione confirmandum ab aliquo defenſore ſuſcipi poſſe.

Cum ex diſpoſitione penduli compoſiti, inquiet, *pondera* C & D *inter ſe cohæreſcant; pondus* C *quem motus circularis exceſſum a gravitate impellente concipere nequit, cum ut connexo ponderi* D *imprimat, neceſſario tendit. Atqui totus ille conatus nullam omnino poteſt impreſſionem facere in hoc pondus* D, *a quo nimirum non alius determinato tempore arcus deſcribendus eſt quam quem percurri diſtantia puncti ſuſpenſionis finit. Ergo ipſum* D *quanta vi impellitur, tanta reſiſtit ipſi* C *impellenti: quam quidem vim reſiſtendi a cauſis per arcum circularem determinatum urgentibus mutuatur.*

Verum ad iſta ſic reſpondere quoque poſſum. Pondus C ponderi conjuncto D non modo transmittere conatur motus exceſſum, quem ne ſibi ipſi accipiat, impediunt reſpectivus in pendulo ſitus ac neceſſaria cohærentia; ſed etiam revera transmittere debet. Nihil namque communi horum ponderum

rum translationi ad easdem partes, nunc ſurſum, nunc deorſum, circa eundem ſuſpenſionis axem opponitur, niſi aeris occurſus & verſatilis axis attritus: quorum ſimiliumque impedimentorum nullam habere rationem hic licet: *remoto aeris*, ut ait Hugenius, *alioque omni impedimento*. Primum ergo pondus (quippe quod citius eſſet) alterum (quatenus lentius foret) neceſſario impellit quoad ſecum moveat, hoc eſt, illi eum imprimit motus exceſſum qui velocitates ſpatiis proportionales utrobique reddat. Semper ſiquidem peragitur motus qua ratione ipſo momento poſſibilis eſt, qua diſpoſitione tendunt eo mobilia quo nullis obſtaculis reſiſtentibus urgentur. Perſpicue mihi apparet hanc mobilium inter ſe connexorum diſpoſitionem ad motum conjuncte concipiendum, eſſe quidem cauſam, quam Phyſici *occaſionalem* dicunt, cur impreſſus motus diſtribuatur ipſis in ratione ſpatiorum ſimul conficiendorum; non vero cur ejus quantitas ante partitionem imminuatur, quandoquidem iſta quantitas omnimode dividua nullatenus huic qualicunque diſpoſitioni contraria eſt. Qui ergo in eodem Toto mobili, cujus univerſæ partes eundem inter ſe ſitum continue ſervarent, quod proprio pondere libratum in medio minime impedito oſcillationes ſuas ageret, particula una minorem gravitatis impreſſionem paſſa particulam alteram majore gravitatis impulſu in easdem partes actam repelleret, dum ab ipſa impelleretur; niſi motus privationi vim ipſi motui reſiſtendi attribuamus? Quod procul dubio ea caret evidentia quam vera demonſtratio poſtulat. Adhuc itaque conſtat objecta difficultas noſtra. Centrum oſcillationis non differre a centro percuſſionis nunquam inconcuſſe ſtabilietur, niſi prius indubitate probetur velocitatem totalem penduli compoſiti, comparatam cum ſumma celeritatum ab ejus elementis ſeparate oſcillantibus acquiſitarum, non modo hac ſumma minorem ſemper eſſe, ſed etiam neceſſario haud aliter quam ex Hugeniano Principio vel ex Æqualitate ſuperius notata (II) infertur. Denominemus $\int d$, aggregatum diſtantiarum CA, DA, &c. elementorum C, D, &c. penduli propoſiti a communi agitationis axe A; g, diſtantiam ejusdem axis centro gravitatis L ſeorſim ſpectatam; TAB. I. Fig. 6.

ſg¹:²

$\int \varepsilon^{1:2}$, aggregatum radicum quadratarum ex omnibus altitudinibus ε deſcenſus Figuræ oſcillantis integræ DAC; b, altitudinem unde dictum ejus centrum L una deſcenderet; t, expreſſionem generalem ſupra affectam nota (I) intervalli AM a puncto ſuſpenſionis A ad centrum percuſſionis M; n, quemvis numerum majorem unitate; denique v, ſingulam penduli agitati velocitatem totalem. Primo, quantitas $(\int \varepsilon^{1:2}):n$ nobis exprimit in infinitum ſummam velocitatum perpetuo minorem ſumma celeritatum quas omnia elementa C, D, &c. ab invicem ſeparata ex iisdem altitudinibus ε adipiſcerentur. Secundo æqualitas $(b\int^2 \delta):gv^2 = t$ centrum oſcillationis in centro percuſſionis collocans nos perducit ad $v = (b^{1:2}\int\delta):g^{1:2}\,t^{1:2}$ quæ poſita $= \int\varepsilon^{1:2}:n$ dat $n = (g^{1:2}\,b^{1:2}\int\varepsilon^{1:2}):b^{1:2}\int\delta$ pro Hugenii ſyſtemate. At iterum peto, cur numerus iſte præferendus eſt tot reliquis unitatem excedentibus; quibus admiſſis, centro oſcillationis varius ſupra vel infra centrum percuſſionis aſſignaretur locus; quoniam pendulis plus minusve oſcillatorii motus attribueretur, licet ſummam celeritatum ab eorum elementis ſejunctis acquirendarum quantitas hujus motus nunquam adæquaret? Nihil quidem certi ac dilucide veri, prolatis hactenus argumentis, de hac quæſtione ſtatutum mihi videtur: quare Hugenianum ſyſtema non niſi hypotheſin poſſibilem dicere queo.

THE TREASURY OF THE MATHEMATICKS.

hoc eſt,

GAZOPHYLACIUM MATHEMATICUM, Aut. JO. TAYLOR.

Londini, apud W. Treeman, 1707, 8. Alph. 1 pl. 11 Tabb. æn. 8.

PRiorem libri editionem indicavimus Tomo II Supplem. p. 149. Hanc poſteriorem ideo commemoramus, quod W. *Alingham* non modo illam cum cura revidit atq; correxit, ſed & quædam hinc inde addidit: quo inprimis ſpectat appendix continens deſcriptionem Globorum aliorumq; nonnullorum inſtrumentorum Mathematicorum, ut circini proportionatorii, quadrantis nautici. Praxes Mathematicas, quarum frequentior eſſe ſolet uſus, aſt ſine demonſtratione, tradit Autor. Vulgares operationes Arithmeticas cum terminis Geometricis ſupponit: nec in reliquis etiam, quas attingit, Matheſeos partibus terminos ſatis exponit.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV. Sect. II.

THE SCRIPTURE PROOFS OF OUR Saviour's Divinity, &c.

h. e.

SCRIPTURÆ SACRÆ DE DEITATE NOſtri Salvatoris teſtimonia explanata & vindicata; cum examine nuper editæ Diſſertationis de deſcenſu hominis Jeſu Chriſti ex cœlo in terram, uti & de regreſſu ejus in cœlum.

Londini, apud M. Rogers, 1706, 8.
Conſtat plag. 18.

PRæſtantiſſima eaque ſcitu ac creditu ſumme neceſſaria Chriſtianæ fidei capita a Socini aſſeclis hodienum impudentiſſime impugnari, eruditis viris exploratiſſimum eſt. Ut autem nunquam eccleſiæ viri defuere, doctrinæ pariter ac pietatis laude conſpicui, qui turpiſſimorum horum hominum peſtiferis conatibus maſcule reſtiterunt, orthodoxamque & a Chriſto ſuisque Apoſtolis, tanquam incomparabile cœli depoſitum, nobis traditam doctrinam a veneno eorundem præſtiterunt incontaminatam; ita & hodie viros, divina prudentia excitatos, paſſim reperimus, qui infauſto & in dies latius ſerpenti Socinifino interitum inferre omnibus viribus allaborarunt, & etiamnum ſumma cum laude allaborant. Inter hos non ultimo loco ponendus eſſe videtur Wilhelmus Sherlockius, celeberrimus Eccleſiæ Anglicanæ, dum viveret, Theologus, qui inter alia præclariſ-

 ſima

Digitized by Google

ſima ingenii monimenta, quibus pridem ſempiterni nominis famam conſecutus eſt, hunc tractatum Theologicum, brevi ante quam fatis concederet, ad profligandos hos orthodoxæ fidei hoſtes, emiſit in lucem. In Sectione antecedente pagina vigeſima ejusdem a nobis facta eſt mentio, cum Lectori benevolo recenſionem Diſſertationis, novum dogma de præexiſtentia animæ Chriſti humanæ ſiſtentis, communicaremus. Et cum ibi, hujus libri recenſionem proxima occaſione a nobis ſuſceptum iri, nos fidem dediſſe recordemur, officii noſtri ratio poſtulat, ut, quæ animo tunc deſtinavimus, & publice polliciti ſumus, qua decet cura & induſtria, nunc præſtemus. In duas autem partes principales integer libellus diſpeſcendus eſt. Primam deprehendimus Socinianis, ſecundam vero Epiſcopo *Fowlero*, animæ Chriſti humanæ præexiſtentiam aſſerenti, oppoſitam. Noluit tamen doctiſſimus Vir in prima parte omnia religionis noſtræ capita attingere, quæ impia Socinianorum rabies ſubvertere conatur, ſed inprimis elegit dogma de Deitate noſtri Salvatoris, quod a corruptelis eorum aſſereret vindicaretque. Etenim noſter *Sherlockius* exiſtimabat, omne bellum cum Socinianis demum confectum iri, ſi pleniſſime evictum foret, eſſe humani generis redemtorem Deum æterna majeſtate & infinita virtute præditum. Ut autem hoc rite & felici ſucceſſu exequeretur, totam tractationem ſex Capitibus includit, conflictumque ita adgreditur, ut duobus prioribus Capitibus unionem inter divinam atque hamanam naturam, in perſona Chriſti Jeſu factam, ex Epiſtolæ Pauli ad Romanos ſcriptæ capite I, 3, 4, & IX, 5, perquam ſolide adſtruat & probet. Hoc facto, Capite tertio aliquot regulas hermenevticas ſuppeditat, quibus utendum ſit Theologo, in controverſia de Deitate Chriſti occupato, ubi ex ſacrarum literarum teſtimoniis, ad probandam ſententiam ſuam, nervum inferendi oſtendere tenetur. Nihil autem in iis habetur, quod non ſit & rationi & æquitati convenientiſſimum. Nam ſecundum primam regulam poſtulatur: *ut neutra pars certaminis inſtituti dogma controverſum fundamentum ſuæ interpretationis faciat, aut opinionem conceptam textui ſacro inferat*; altera vult: *ut non prius reſpuamus ſenſus Scripturæ ſacræ evidentiam, quam ſufficientes rationes*,

nes, interpretationis noſtræ ſint allegatæ, aut ſuppeditata ſolida refutatio partis, contrarium ex Textus verbis elicientis; tertia vero præcipit: *ut utraque pars preſſe inſiſtat perſpicuis & nativis verborum ſignificatibus, uti & uſitatis Scripturæ formulis & phraſeologiis.* His regulis in explicandis locis controverſis, ad evitandas omnes λογομαχίας, & ad præſcindendam protervam Socinianorum textum torquendi φλυαρίαν, ducis inſtar commendatis, Capite quarto diverſa Scripturæ ſacræ de Deitate Chriſti teſtimonia, Joh. X, 34, I, 1, 14, Rom. I, 3, 4, IX, 5, 1 Tim. III, 16, Philip. II, 6, 7, Galat. IV, 4, 5, & alibi legentibus obvia, modo memoratis regulis accurate inſiſtens, paulo fuſius explicat, & a pravisſimis Socini cavillationibus vindicat. Atque hac occaſione *Sherlockius* clariſſime oſtendit, quibus in locis verbum *Deus* pro nomine officii, aut pro nomine, naturam divinam exprimente, accipi debeat. Porro Capite quinto docet, Chriſtum nullam aliam ob cauſam filium Dei vocari, quam ratione æternæ ſuæ generationis, excuſſis & refutatis ſimul omnibus objectionibus, quæ a Socinianis hanc in rem proferuntur. Expeditis autem iſtis Socinianorum tricis, Capite ſexto divinitatem Chriſti ex Joh. I, 14, adſtruit, clariſſime demonſtrans, quomodo divina gloria noſtri Salvatoris, de qua Johannes hoc commate ſermonem inſtituit, non tantum ex ejus miraculis & prophetiis, ſed & toto ejus vitæ curſu luculentiſſime eluxerit.

Prioris partis potioribus momentis enarratis, ad alteram, hoc eſt, ultimum totius libri caput, quo recentis doctrinæ de præexiſtentia animæ Chriſti humanæ fundamenta examinatur, nunc deſcendimus, perbrevi oratione, quæ eam in rem eruditiſſimus Vir diſſerit, recenſuri. Quod itaque principale novi hujus dogmatis argumentum attinet, cujus Sectione antecedente pagina 18 meminimus, illud equidem pro admodum infirmo & imbecillo reputat reverendus *Sherlockius*. Nullam enim apparere cauſam ait, quæ nos urgeat, cur textum ex Joh. XVI, 28, allegatum cum reliquis Scripturæ locis, in quibus deſcenſus Chriſti e cœlis in hanc terram, ejusque in cœlum regreſſus, fit mentio, de ejus animæ humanæ præexiſtentia accipiamus, cum nullibi in ſacris literis eandem reperiamus claris ac perſpicuis verbis aſſertam. Inde vero pateſcere, dogma

gma illud non ex textu citato probatum, ſed eidem potius a ſumme reverendo Auctore illatum eſſe. Nec ex argumento tertio (nam de ſecundo nobis inferius dicendi locus erit) adſertionem hanc majus quoddam robur accipere, utut perſona iſta, quæ loco ſupra citato loquens introducitur, expreſſis verbis Joh. III, 13, & VI, 62, (unde tertium hoc argumentum hauſtum eſt) filius hominis vocetur. Nam primo vehementer incertum eſſe, quod humana anima Meſſiæ ante adſumtionem corporis extiterit, & adeo hunc ſuum a Patre progreſſum de ſe pronuntiare potuerit. Sed poſito, animam Chriſti humanam hæc verba: *ego prodii a Patre*, eſſe locutam, tum hoc inde ſequeretur abſurdum, duas in Chriſto eſſe perſonas, cum hæc loquendi formula: *ego prodii*, ſine ulla controverſia actum peculiaris cujusdam perſonæ ſignificet. Sed hoc ipſo venerabilem Auctorem ad caſtra Neſtorii, duas in Chriſto perſonas ſtatuentis, tranſire. Deinde Chriſtum evincit ante conceptionem & incarnationem ſuam nullatenus poſſe filium hominis vocari, partim quod ejusmodi dicendi ratio non ſolum fidei antiquæ, ſed etiam omnium Philoſophorum placitis repugnet, in definitione hominis corpus utique partem ejus eſſentialem & neceſſariam conſtituentium; partim quoque, quod homo, qui humano ſanguine non progenitus ſit, pro filio hominis reputari nequeat. Unde etiam primum omnium hominum *Adamum* vel ideo hominis filium haud vocare poſſis, quod non humano ſanguine progenitus, ſed ipſius Dei manibus efformatus ſit. Ut adeo bina iſta argumenta minoris momenti eſſe videantur. Quartum Auctoris argumentum potisſimum deſumtum erat ex Eph. IV, 9, 10, & ſequentem in modum fluebat: *quicunque ex cælo in infimas partes terræ deſcendit, hic idem eſt, qui deinceps in cælum aſcendit. Sed homo Chriſtus in cælum aſcendit; ergo & idem homo Chriſtus e cælo deſcendit.* Verum hoc argumento, ſi quid eo probetur, nihil aliud quam deſcenſum animæ & corporis Chriſti ex cœlo probari poſſe, judicat *Sherlokius* noſter, ſiquidem Chriſtus cum utroque in cœlum regreſſus ſit, *nam idem, qui in cælum aſcendit, e cælo deſcendit.* Hoc autem Evangeliſtarum monimentis valde adverſum eſſe, omnemque hiſtoriæ de Chriſto veritatem penitus tollere. Quare verbum *idem* ad ſecundam in Deitate perſonam referendum.

rendum putat; nam de Chriſto, tanquam Deo, omnium optime prædicari poſſe, quod idem aſcenderit, qui prius deſcenderat, poſteaquam aſſumtio humanæ naturæ perſonam ejus non mutaverit. Aſt hoc ſanæ rationi maxime adverſari exiſtimabat *Fovvlerus*, ſiquidem Chriſtus, ut Deus, ne quidem per momenti ſpatium e cœlo abeſſe poſſit. Ad hoc dubium vero *Sherlockius* primo reſpondet, ſic actum fore cum Chriſtiana religione, nosque gentilibus & incredulis non diſſimiles futuros, ſi omnia fidei myſteria tantisper in dubium vocare velimus, dum eadem ex principiis, humanæ rationi inſitis, valeamus demonſtrare. Cum Regio Propheta hic confitendum eſſe: *Sublimior eſt hæc ſcientia, quam ut eam poſſim attingere*, Pſalm. CXXXIX, 6. Deinde vero etiam oſtendit, Deum, licet ubique præſens ſit, peculiari tamen ratione certo cuidam loco præſentiam ſuam interdum induiſſe; quemadmodum olim divinum numen ad promulgandam legem in montem Sinai deſcenderit. Non ſecus vero ſeſe rem habere cum verbo æterno, cum illud, relicto patris ſolio, in humana ſpecie in terra adpareret, & proinde haud abſurdum eſſe, ſi de Chriſto, Deo ſempiterno, doceamus, eum deſcendiſſe & adſcendiſſe. Ad ultimum vero argumentum vix opus eſſe, ut reſpondeatur, exiſtimat reverendus *Sherlockius*. Nam ex verbis Sapientis Viri ſi quid ſequeretur, tum nihil aliud inde colligi poſſe, quam præexiſtentiam omnium animarum humanarum, quam tamen ipſe *Fovvlerus* adſerere vereatur. De cetero autem, verba illa Regi Salomoni, ut eminenti typo venturi Meſſiæ, gratis & precario attribui, unumquemque facili negotio perſpicere poſſe. Sed, quæ circa ſecundum argumentum a *Sherlockio* monita ſunt, ſilentio non debemus plane prætermittere. Deſumtum autem illud erat ex Hebr. X, 5. Ex hoc enim loco ſumme reverendus Præſul collegerat, extitiſſe animam Meſſiæ humanam dudum ante incarnationem, cum hæc verba ab eodem in oratione, ad Patrem cœleſtem fuſa, fuerint prolata, antequam corpus adſumeret; ſed, falſum hoc eſſe, ex paulo ſequentibus clariſſime pateſcere. Nam in iis perſonæ, hæc verba dicenti, redemtionis negotium adſcribi, haudquaquam ſolius animæ humanæ ope perficiendum. Quare, cum & illud argumentum idcirco nihil efficiat, nequaquam ſumme reverendi Au-

ctoris

ctoris ſententiæ ſubſcribi poſſe, Noſter exiſtimat. Etenim eandem, ut oſtenſum eſt, non tantum omni fundamento eſſe deſtitutam, ſed etiam cum maximo Eccleſiæ damno conjunctam, ſiquidem per eandem quamplurimis de Deitate Salvatoris teſtimoniis omnis vis & virtus ſurripiatur.

MYSTA FERVIDUS
ſeu
DISQUISITIO THEOLOGICA DE ZELO, quo Miniſter Eccleſiæ in ſuo calere debet officio, inſtituta a GEORGIO NITSCHIO, Paſt. Wolffenb.

Guelferb. apud Gotofredum Freytag, 1708, 4.
Alphab. 1 plag. 11.

ERuditi hujus ſcripti Plur. Rev. Autor, poſteaquam nonnulla de dira, quæ Apoc. III, 5, legitur, interminatione, nec non ipſa zeli definitione, in medium attuliſſet, oſtendiſſetque, ſe cum iis facere, qui zelum per modum, ſeu affectionem quandam, virtutis deſcribunt, in delineando Miniſtri Eccleſiaſtici zelo rite progreſſurus, ſiſtit ejusdem primo *Principium*, illudque nullum aliud, quam Deum triunum, eſſe docet, &, quamvis etiam in irregenitis, qui Spiritu Dei vacant, nonnunquam zelus pro regno Chriſti deprehendatur, iſtum tamen fervorem vel ex novitate, vel ex temperamento ſanguineo, vel ex impetu contentionis, vel ex alia quadam carnali cauſa, exſurgere poſſe, obſervat, inſuperque probat, zelum per ſacras litteras a Spiritu S. ordinarie produci. Secundo *Objectum*, circa quod Præſulis ſacri fervor occupari debet, tradit, idemque doctrinæ veritatem pariter ac morum ſanctitatem eſſe, pluribus demonſtrat. Tertio *Modum* repræſentat, oſtenditque, Miniſtri Eccleſiæ zelum debere eſſe 1 illuminatum, ne in quenquam incaleſcat, quem peccaſſe certo non intelligat; neque ardeat adverſus imaginariam hæreſin, aut phantaſticum vitium, nec id taxet, quod in ſe nil niſi ſcientia ac pietas; 2 cum prudentia conjunctum, ut obſervet temporis opportunitatem, loci aptitudinem, ac peccati

peccati qualitatem; 3 intenſum, ita tamen ut ſit extra convitia, verbera, internecionem; 4 lenitate & charitate conditum; 5 univerſalem tum ratione objecti realis, ut adverſus omnes perditos mores inardeſcat; tum ratione objecti perſonalis, ne parcat proximis atque amicis, ſenioribus, maximis ac ſummis; 6 perſeverentia roboratum, cum finis, non pugna, coronet. Quarto *Affectiones* zeli, raritatem, necesſitatem, inæqualitatem & deficibilitatem, ut vocat, deſcribit. Quinto *Motiva*, quæ animarum Curatorem ad ſanctum fervorem excitare queunt, in medium affert, ac paſtorem perpendere jubet, a) quod ne Chriſtianus quidem absque zelo eſſe posſit, b) quod algens eccleſiæ doctor frigora animarum propulſare nequeat, c) quod hoſtium magna ſit multitudo, d) quod pro falſa doctrina magno ardore flagrent hæretici, e) quod idololatræ pro idololatria magna contritione decertent, f) quod diabolus admodum operoſus ſit ad implendum infernum, g) quod auctior gratia auctiores fructus exſpectet, & plus ſub evangelio, quam ſub lege, ſit efferveſcendum, h) quod homines deceat eſſe imitatores Dei, qui eſt Zelotes, i) quod angeli ad pietatis vehementiam invitent, k) quod ſanctorum virorum exempla ad zelum excitent, l) quod tepor in fide fideique ſpiritualibus exercitiis nil niſi ſubtilisſimus ſit Atheiſmus, m) quod tepor maxime adverſetur Deo, n) quod zelus ſit corona omnium bonorum operum, o) quod zeli fervore Deo nil gratius exhiberi queat, p) quod ſocordia ſpiritus Eccleſiæ magnam noxam afferat, q) quod arctum vitæ noſtræ ſit ſtadium. Sexto *Signa* producit, notatque, verum zelum a) non eſſe cunctatorem, b) non latere, c) præſupponere amorem, d) ex corde ardente proficiſci, e) flagrantiorem in Dei cauſa eſſe, quam ſua, f) delicta æque in ſe taxare, quam in aliis, g) majorem in adverſis micare, h) non eſſe uniformem, ſed in minoribus minorem, in majoribus majorem, i) ſimplicitati ſtudere, k) neceſſaria iteratis vicibus proponere, l) pro pragmaticis æque ac dogmaticis ardere, m) in pietatis ſtudio potius fervere, quam in quæſtionum & controverſiarum tractationibus, n) errores graſſantes, a quibus eccleſiæ periculum imminet, refutare, ceteris poſthabitis, o) non eſſe generaliſtam, ut loquitur, qui ita taxet, ut nemo putet ſe tangi, ſed eſſe ſpecialiſtam, p)

juxta

juxta præſcriptum Domini cum agit, non canere palinodiam, nec veniam a correpto petere, q) non abſolvere notorie impœnitentes, r) viſitationem domeſticam ſibi commendatam habere, s) ægrotorum præſertim diligentem curam gerere, t) absque ſontica cauſa non ſuſcipere itinera, u) ſtringere potius, quam laxare, x) piis maximam impendere operam. Septimo *Impedimenta* proponit, edocetque, quod animorum ferventes motus reſtinguere, aut certe plurimum refrigerare, ſtudeat a) diabolus, b) mundus, c) peccatum inhabitans, d) auri fames, e) ulterioris promotionis flagrans deſiderium, f) frigida ſocietas, g) vilipendium Chriſti & bonorum ab illo partorum, h) curarum ſuperfluitas, i) non apparentia fructuum, k) neutralitas, vel utralitas, l) nimia timiditas, vel puſillanimitas. Octavo *Adjumenta* recenſet, & inter illa a) verbum Dei, b) Baptiſmi frequentem recordationem, c) S. Cœnæ uſurpationem, d) muſicam ſacram, e) preces, f) ſocietatis bonitatem, g) librorum ſpiritualium lectionem, h) vocationis conſiderationem, i) donorum Dei ſuſcitationem, k) heroicam reſolutionem, l) Dei & Chriſti amorem, in præmii cœleſtis meditationem refert, atque adhortatione ad pium zelum toti tractatui colophonem imponit.

FRANCISCI GALLI, JC. BRIXIANI, TRActatus de Fructibus.

Coloniæ Allobrogum, apud Sam. de Tournes, 1690, in fol. Alph. 9 plag. 8.

PLuribus abhinc annis operoſo huic volumini Autorem, poſt cujus fata a Bernhardino, Franciſci F & Fortunato Vinaceſio, amico illius & concive, editum, inſudaſſe, vel hoc unicum argumento eſto, quod inter tot alios JCterum libros & inde deprompta teſtimonia, laudentur hic etiam non ſemel Eminentiſſimi Cardinalis, Petri Ottoboni, eo tempore adhuc Epiſcopi Brixienſis, deinde Pontificis Romani, Alexandri VIII, Deciſiones Juris, puta XII, XCII & CCXI, quarum mentionem Diſput. XXV art. 2 in doctrina de intereſſe mutuantis videmus fieri. Scilicet totum opus Diſputationibus XL abſolutum atque ita elaboratum eſt, ut Autor plus

Digitized by Google

plus habens in nigro, quam rubro, ordiatur equidem ſecundum communem ſcribentium ordinem a multiplicitate fructuum natu- Diſp. II ralium, induſtrialium & civilium, exinde circa fructus futuros, pen- art. 1, 2, 3, dentes, perceptos, conſumptos, & percipiendos, varias proponat 4, 5, 6. (qua methodo univerſus Tractatus contextus eſt,) quæſtiones, easque junctis rationibus, pro affirmativa & negativa facientibus, ita evolvat, ut ad argumenta diſſentientium ſimul breviter dilucideque ſequatur reſponſio, ac reſolutio, mox autem Diſp. 3. *quæ ſint* art. 1 fol. 47. *in fructu?* diſquiſiturus ad plura alia argumenta, quam vulgo ſolet in hac parte Juris fieri, calamum applicare incipiat, & quæſtionem ſecundam ita formet: an mulier poſſit quæſtum ex ſuo corpore facere ſaltem ex cauſa neceſſitatis? Ac diſplicet hic ei reſponſio Decii ac Surdi, ad argumentum a licentia furti ex cauſa neceſſitatis deſumtum allata, quod furari tunc ideo licere dicatur, quia per furtum immediate proſpiciatur neceſſitati, non autem perinde in fornicatione; quodque ex tali actu non ſatietur fames. Nam n. 42. neque per furtum immediate ſatiari famem, arguit Noſter, niſi poſt actum furandi ſequatur comeſtio: & multo minus, ſi furetur quis rem aliquam non comeſtibilem, & tamen etiam harum rerum furtum non minus a quibusdam permitti. Sed neque iſtam rationem, quod furtum ſit actus per ſe turpis, nec faciendus, etiamſi bona inde poſſint evenire, habet pro concludente; quia inter- 43. dum permittantur aliqua mala de ſe mala, ut eveniant bona, etiamſi bona illa aliter haberi poſſent, quale ſit bellum, quo non ſit majus malum, quod permittatur tamen pro obtinenda pace. Bellum autem cum ad Principes ſpectet, innitendum dici regulæ, quod privatis non liceat mala facere, ut bona eveniant. Itaque mulierem 44. concludit non poſſe pro vita conſervanda fornicari, quamvis furari poſſet impune: rationem diverſitatis aſſignans, quia neceſſitas faciat omnia communia, reducatque ad ſtatum priſtinum, & ſic ſtante præciſa neceſſitate non ſit furtum; ceſſare autem hanc rationem in uſu corporis, ita ut non poſſit participari; cum nec mulier ſit domina proprii corporis. Sed neque jure civili permiſſum cenſeri debere coitum inter ſolutum & ſolutam; quam- 54. vis magis communis opinio ſit, eum non eſſe punibilem: nihilominus enim eſſe contra inſtitutum. Quoad Jus Canonicum cer-

Digitized by Google

tum eſſe, omnem complexum extra matrimonium prohiberi:
n. 55. neque obſtare textus in *c. Is, qui &c. Chriſtiano diſt. 34.* Concubinas enim ibi intelligi conjugali affectu aſcitas, quamvis ſine legalibus inſtrumentis & ſolennitatibus. Nam neque juſta & ſolennia matrimonia fuiſſe in facie Eccleſiæ contracta, quod fuerit per Innocentium III conſtitutum. Ac licet id prius per Evariſtum I fuerit ordinatum; paucos tamen illis temporibus fuiſſe Chriſtianos, & homines vixiſſe Romano more, qui propterea non debuerint
58. rint excommunicari. Similiter de Jure civili prohibitam polygamiam; ſed unde emanaverit iſta prohibitio, ait ſe non reperire. Nam textum in *L.2 C. de inceſt. nupt.* habere hæc tantum verba:
Diſp. 3, art. 7 num. 6 ſeqq. *vulgo patet.* Porro, ubi de fructibus Aquæ agit, in honorem patriæ de dominio civitatis Brixiæ in flumina Olei & Mellis cum ripis ab utraque parte, contra Cremonenſes, recitatis documentis publicis uno pluribus, fuſe differit. Similiter artic. 8, qui eſt de
n. 2 ſeqq. fructibus maris, ante omnia de dominio maris prolixe diſputat, tum vero ad doctrinam de Fructibus Jurium art. 11 delatus, de Majeſtate ipſa, utpote nobiliſſimo & omnium Jurium præcipuo ac ſingulari Jure, agendum ſibi duxit, exhauſtisque doctrinis de fru-
Diſp. 4. ctibus pecuniæ, (ubi textus in *c. naviganti X. de uſur.* inſigniter, addita Diſp. XXV art. 2 n. 77, 78, excutitur,) & de Contractibus, qui ſolius pecuniæ interventu celebrantur, ut libellario, de Cenſibus, de Societate officii, de Montibus Pietatis, de Cambiis, etiam ad ſublimiora illa capita, de fructibus Majeſtatis Diſp. V, art. 1, ac de Jure Belli art. 2, Legum & Magiſtratibus art. 3 progreditur. Atque hic iterum in honorem Patriæ quæſtionem tertiam: *an Princeps teneatur geſta per præceſſorem obſervare?* illuſtrat exemplo fœderis inter Rempublicam Venetam & civitatem Brixiæ, quæ voluntarie ſe iſti Reipublicæ ſubdiderit, ceu demonſtrent literæ Franciſci Foſcari, Ducis Venet. 22 Martii 1426 datæ, quas recitat, ſimulque M. Antonium Peregrinum Deciſ. I n. 2 aſſerentem, Brixiæ civitatem jure belli tranſiviſſe ſub dominium Venetum, ignorafſe iſta, ceu purum legiſtam, adſtruit. Ac rurſus quæſtioni quartæ:
n. 33. 34 ſeqq. *an Principi injuſta præcipienti ſit obtemperandum?* lucem infert, adducto exemplo, ſi Princeps jubeat, ut quilibet accedat ad audiendam Miſſam diebus feſtivis, Papa autem interdicat; quod in

facto,

facto contigerit, quando duo vel tres occuparent Papatum, ut tempore Benedicti IX, Gregorii VI & Clementis II, & potuerit evenire in agro etiam Brixienſi propter ejus amplitudinem, cujus territorium 387 oppida & caſtella contineat, & cui tres Epiſcopi per diverſas partes præſint, Brixienſis, Veronenſis & Tridentinus; ita ut unus idemque populus Brixienſis diverſa exequi deberet præcepta pro diverſitate regentium, ſi quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi ſuo Papæ obediret. Abſoluta deinde materia Tributorum & Collectarum ampliſſima, Regalia minora, quæ magis ad lucrum propendeant, Diſp. VI art. 1 examinat, atque inde tres illas in Republica Romana olim introductas largitiones, quæ tractu temporis in certam obligationem tranſierint, Annonam civilem, Panem gradilem & Militiam, quæque poſtmodum inter privatorum reditus fuerint recenſitæ, ita ut a fructuum materia non diſtent, diligenter Diſp. VII exponit, eaque occaſione de diſtributione annonæ Romæ petenda loquens, quid ſint *teſſeræ frumentariæ* apud Ulpianum in *l. 52 §. 1 ff. de judic.* contra Accurſium, Alexandr. ab Alex. & Steph. Forcatulum (vindicato Budæo) exequitur, non ſcilicet genus menſuræ, quod Romæ tantum fuerit in uſu, ſed ſignum accipiendi frumentum, quod cuicunque materiæ ſolidæ inſculptum indicaret, frumentum præſtandum eſſe exhibenti. Circa cuſtodiam fructuum quærit Diſp. VIII: *an contra bruchos, erucas & ejusmodi alia poſſit agi via juris ad bannum & pœnam, & ad excommunicationem, ut cogantur a devaſtatione fructuum deſiſtere?* Affirmantem ſententiam ait ſervari apud Conſtantienſes & Helvetios ac Rhetos, fide eorum, quos adducit, JCtorum, Schenardi & Caſſanæi; quod ſcilicet liceat judicialiter procedere contra illa animalcula, & quod poſſit iſtis aſſignari procurator, qui ſit citandus ad omnes actus, & demum deveniri ad ſententiam, qua condemnentur animalcula iſta ad deſiſtendum, ſub pœna banni, vel excommunicationis. Negativam de jure equidem eſſe veriorem. Difficultatem tamen conſiſtere in eo, quod quidam ſcriptores aſſerant, judiciale ejusmodi decretum proficere. Non autem putat profecturum, ſi non eſſet remedium *juridicum & legitimum. Ideo,* inquit, *dicerem, in locis, ubi tale remedium eſt in uſu, toleretur: in aliis vero illud non con-*

Margin: art. 4. (beside "ceſi ſuo Papæ obediret"); n. 4. (beside "Circa cuſtodiam"); 6. (beside "ſtantienſes & Helvetios"); 10. (beside "ſub pœna banni")

 ſulerem,

n. 18. *ſulerem.* Incantationem etiam animalium, quæ fructus devaſtant, ſtatuit Jure Codicis, in *L. eorum C. de maleſ. & mathem.* non eſſe prohibitam, ſiquidem in bonos uſus adhibeatur; atque ideo tractationem illam a Compilatoribus Juris non fuiſſe omiſſam, perinde ut de uſuris, de concubinis, & ſimilibus hodie prohibitis. Declarat tamen, quod licitum ſit, exorciſmis & benedictionibus hujusmodi animantia repellere, fidem ſecutus Petri Gregorii lib. 13 de Republica cap. 32, non, 22. Ceterum ad culturam uſumque Juris magis pertinere exiſtimanda ſunt, quæ Diſp. IX de iis, quæ in materia fructuum ſpeciali quodam jure cenſeantur, nec ad alios caſus trahi queant, occurrunt. Tale eſſe perhibetur,
art. 1 n. 5. quod, ſi obligationi pignus, aut fidejuſſor, accedat ſimpliciter, obligatio in dubio non ſit contracta tam pro ſorte, quam pro uſuris, ceu fructibus. Privilegia fructuum porro, quæ conſervationem illorum & incrementum concernant, art. 2 recenſentur XXV, quorum ultimum collocatur in hoc, quod creditor ruſtici debeat expectare tempus fructuum. Sed rurſus doctrinam de acceſſio-
Diſp. X. ne Augmenti, cum & illud ſit emolumentum ex re, vel occaſione rei, accedens, & de mutatione monetæ ejusque augmento, (quæ fuit diligentia Autoris gnava admodum, hic inſertam, aliaque ad univerſalitates fructuum, ſive generalia, ſpectantia, Diſp. XI. XII, XIII, XIV elaborata videas, priusquam ad particulares materias, prout fructus ſunt in commercio vel per ultimam voluntatem, vel per conventionem inter vivos, Diſp. XV ſeqq. perveniat, Qui campus cum maximam operis partem abſolvat, ac Diſp. demum XXXIV ad thema de fructibus bonorum delinquentium ac Jura Fiſci deſcendatur, (de Uſufructu autem ſeorſim diſputat XXXVI, qua non extat copioſior,) tandemque de fructibus bonorum Eccleſiaſticorum, (ſuperiora enim omnia ſpectabant ad bona ſecularium,) Primitiis etiam ac Decimis Diſp. XXXVII, XXXIIX, XXXIX, XL, ingenium Autoris, ad expediendas quæſtiones pæne innumeras ubique ſufficiens, producatur, ſparſis præterea tot aliis, quas nemo hic quæſiverit, jamdudum ſalivam Lectori motam fuiſſe putamus.

LET-

Digitized by Google

LETTERE DI DIVERSI AUTORI IN PROpoſito delle Conſiderazioni del Marcheſe d'Orſi, &c.

h. e.

EPISTOLÆ VARIORUM AUTORUM, OCCAſione Conſiderationum Marchionis URSII in librum Gallicum de Sententiis ingenioſis *editæ.*

Bononiæ, apud Conſtantinum Piſarri, 1707, in 8 maj. Alph. 1 pl. 4.

CONſiderationes illuſtris Marchionis Urſii occaſione libri Gallici *La maniere de bien penſer* appellati & a Bouhourſio editi, ſcriptus, in Actis A. MDCCV menſe Aug. p. 371 ſeq. memoravimus, quibus id potiſſimum egit, ut maculam conterraneis ſuis a Bouhourſio adſperſam abſtergeret. Cum vero hujus contra præſidium ſuſciperent Auctores Diarii Trevoltienſis, argumenta a Noſtro allata modeſte percenſentes, tum illuſtri Urſio, tum aliis eruditis Italis occaſionem præbuere, ut & ille quatuor Epiſtolis ad eruditiſſimam Daceriam, & hi variis itidem Epiſtolis ad ipſum Urſium miſſis Gallorum dubia diluere laborarent. Inde natum eſt volumen hoc Epiſtolarum, de quibus nunc noſtro more referre conſtituimus.

In Urſii literis novæ Gallorum exceptiones erudite & modeſte removentur & Italorum laudes in hoc ſtudiorum genere vindicantur. Sic cum Bouhourſius de Seneca, Lucano, Tacito, Plinio & Vellejo Paterculo liberius ſcripſiſſet, & Trevoltienſes illa duriora verba non de Auctorum characteribus, ſed ſaltem locis illorum quibusdam interpretarentur; Illuſtris Marchio verba generaliter concepta, nec ullo modo reſtricta, urget. E. gr. quod Bouhourſius ſcripſerit: *Inter omnes ſcriptores eruditos nullum eſſe, qui* p. 6, 7. *minus ſuas cogitationes ad boni ſenſus menſuram componat, quam Seneca.* Dixerat idem, ſententias ingenioſas ad ſecundam p. 16. mentis operationem pertinere, quod Trevoltienſes ea ratione adſtruunt, quod ſententiæ in ſe conſideratæ omni conſequentiæ vi careant; Noſter vero, licet ſententias vulgares ſecundæ mentis operationi tribuat, eas tamen, quæ conſequentiæ rationem in-

 cludunt,

cludunt, & Ariſtoteli enthymematicæ appellantur, ad tertiam mentis operationem referendas eſſe cenſet, idque & Ariſtotelis &
p. 18. Auctoris Artis cogitandi teſtimoniis comprobat. Hujus generis ſententiam judicat eſſe illam, quam ex Ariſtotele deſumptam verterat:

Non lice odio immortale in mortal petto.

36. Præterea Lucanum Trevoltienſes impietatis accuſaverant, quibus Noſter ejusdem verſus opponit ſequentes:

Eſtne Dei ſedes niſi terra, & Pontus, & aer,
Et cælum, & virtus? Superos quid quærimus ultra?
Juppiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.

52. Poſtquam in ſecunda Epiſtola de diſcrimine Tragœdiæ, Elegiæ, Idyllii, Eclogæ &c. erudite, ut ſolet, diſſeruiſſet, in tertia & quarta cives ſuos contra Bouhourſium defendit. Cum v. g. Galli Taſſi verſum:

Minacciava morendo e non languia,

quo fortis Argantis mors deſcribitur, perverſi ordinis incuſaſſent, quod *non languia* natura duce præcedere debeat *τὸ minacciava;* Noſter, Poëtas non ſemper eundem cum Logicis ordinem tenere,
128. exemplis confirmat pluribus. Eodem modo apoſtrophen ad propria corporis membra directam, occaſione ejusdem Taſſi, Tancredo talem affingentis, probat, & Ovidii, Senecæ, Euripidis, &
162. Sophoclis teſtimoniis corroborat. Miſſis pluribus, controverſiam tantum inter noſtros diſputantes de luſu vocum ortam attingemus. Galli omnes plane rejicere videntur luſus, qui in vocibus ſunt, ſive ſtudio conquiſitos, ſive ultro occurrentes; quorum ſententiam Noſter Quintiliani, Abbatis de Bellegarde, aliorumque, autoritate infringit, neque omnes promiſcue ex oratione exterminandos eſſe luſus judicat. Quamvis vero Trivoltienſes Bouhourſium omni modo tueantur, Noſtri tamen laudibus nequa-
193. quam detractum volunt, ſed potius menſe Apr. A. 1706. Art. XL ſibi ipſis gratulantur, quod occaſionem ſuppeditaverint Illuſtri Autori, ut novum ederet elegantisſimi ingenii ſpecimen, quo & delectet plurimum & proſit, eundemque hortantur, ut hoc optimarum literarum ſtudium juvare pro viribus deinceps quoque pergat. Quatuor has Epiſtolas ſequuntur in hoc volumine aliæ

Italorum

Digitized by Google

Italorum ad Marchionem noſtrum de iiſdem argumentis exaratæ, in quarum prima Petrus Antonius Bernardinus ſententias, Ariſtoteli enthymematicas dictas, implicite tertiam operationem mentis continere oſtendit, & Bouhourſii opinionem deſtruit. In ſecunda epiſtola Ludovicus Antonius Muratorius verſum Lucani: p. 199. 213.

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni,

expendit, cumque ad normam Philoſophorum & Theologorum examinatum, impium, falſum & ridiculum pronuntiat; ad Poeſeos vero leges & moralem gentilium Romanorum doctrinam revocatum, nequaquam improbandum ducit. Deinde inquirit, an antiquis Romanis leges datæ ſint, quibus de Deo indecenter loqui & credere prohibiti, oſtenditque, quod Poetæ ſæpius Deos vilipenderint, exceptis tamen Virgilio, Horatio & Ovidio. Nec ſolum vulgum, ſed & Philoſophos, aliosque Romanorum eruditos, abque impietatis, aut læſæ legis, vel religionis, nota, de divinitate pejus ſenſiſſe & locutos eſſe, monſtrat, eoque colligit, quod gentiles Romani Chriſtianos male de Diis ipſorum ſentientes impietatis injuſte accuſaverint. Tandem ulterius infert, non potuiſſe Romanos Lucani verſum impium appellare, quod opinionem omnibus quidem Stoicis communem cootineat. Sic quoque alterum ejusdem Lucani verſum:

Juppiter eſt, quodcunque videt, quocunque moveris,

quem Trevoltienſes Atheiſmi poſtulaverant, ab illa nota abſolvit. In tertia epiſtola Antonius Maria Salvini Hermogenis locum de Formis L. I Cap. 12: Ταῦτα περὶ ἐπιθέτε κάλλε ἐν λόγῳ explicat, & elegantiam verum ſtyli characterem eſſe docet, idemque in epiſtola quarta fuſius de charactere delicato differit. Quintam Carolus Antonius Bedori eo fine ſcripſit, ut Taſſi verſum ſupra adductum ordinem exacte ſervare evinceret. Sic quoque reliqui eruditi, quorum literæ huic volumini adjunctæ ſunt, utpote Tortus, Saccus, Zeno, Manfredus & Gattus civium ſuorum ſententias pulcre explicant, & contra Gallos ſtrenue defendunt. 249.

LES

Digitized by Google

LES DELICES DE L'ITALIE.

hoc eſt,

DELITIÆ ITALIÆ, SIVE DESCRIPTIO EXacta hujus regionis, urbium ejusdem primariarum, & variorum omnium; Autore DE ROGISSART. Tomi III.

Lugduni Batav. apud Petrum van der Aa, 1706, 12 maj. Alph. 1 pl. 15 & figg. æn. pl. 19½.

INter alias Regnorum & Provinciarum Delicias, quæ hactenus
prodiere, non infimum locum merentur, quas hic exhibemus,
Deliciæ Italiæ, tribus Tomis comprehenſæ, & Pariſiis anno ſuperiori,
atque Lugduni Bat. hoc ipſo anno recuſæ, quarum Auctor diligenter
conſuluit, quæ *Andreas Schottus*, *Johannes Henricus a
Pflaumern*, *Martinus Zeillerus*, *J. Lofredus*, *Scipio Mazzella*, *J.
Mormilius*, *Julius Cæſar Capaccius*, *A. Farina* & *P. Sarnelli*
obſervarunt. Præmiſſa deſcriptione Italiæ generali, in qua de amœniſſimæ
hujus regionis magnitudine, limitibus, lacubus, fluviis,
variis provinciis, Principibus item & incolarum moribus ac conſuetudinibus
agit, ſingulas urbes conſiderare aggreditur. E maximo
obſervationum ſelectiſſimarum apparatu quasdam tantum
p. 99. ſpeciminis loco allegare licebit. Patavii ſingulis noctibus auditur
campana, non niſi triginta novem ſonitus edens, idque, ut ferunt,
in memoriam inſignis cujusdam proditionis, qua olim totidem e
primariis hujus urbis civibus illam Imperatori tradidere. Situs
112. urbis amœniſſimus eſt, unde natum proverbium Italicum: *Bolo-
117. gna graſſa, ma Padoa la paſſa.* Cum Clemens VIII Pontifex
Romanus, mortuo ultimo Auguſtæ domus Eſtenſis Duce, Alphonſo
II, Ferrariam anno 1597 in ſuam poteſtatem redegiſſet,
eamque munimentis, quibus hodie ſuperbit, inſtruxiſſet, in medio
foro ſuam erigi juſſit ſtatuam, cum hac inſcriptione: *Ne recedente
Pado, Ferrariæ fortitudo recederet, Martem Neptuno
163. ſubſtituit.* Florentiæ in porta Templi Mariæ novi inter alias picturas
rariores conſpicitur ſacrificium Caini & Abelis, additis
verſibus Latinis, quorum ſenſus ambiguus:

Sacrum

Digitized by Google

Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo.
Vel:
Sacrificabo macrum, nec dabo pingue ſacrum.

In ampliſſima urbe Romana duo tantum notamus, alterum eſt ſanctio illa, qua Gregorius XI P.R. una cum Imperatore templum S. Johannis Lateranenſe matrem reliquorum templorum omnium conſtituit, cujus ſumma his incluſa rhythmis : P.326.

Dogmate Papali datur ac ſimul Imperiali,
Quod ſim cunctarum Mater Caput Eccleſiarum.

Alterum eſt ſacellum, vel templum minus extra urbis mœnia, & 392.
quidem ante portam S. Sebaſtiani, *Domine, quo vadis?* cognominatum, eoque loco exſtructum, quo Chriſtus, mundi Salvator, Apoſtolo Petro, martyrio inſtanti ſe ſubtrahere volenti, obviam veniſſe, quemque Petrus interrogaſſe fertur : *Domine, quo vadis?* Ubi Chriſtus ei reſpondiſſe dicitur: *Eo Romam, ut iterum crucifigar*; relictis in lapide quodam, hodienum in æde Sebaſtiano ſacra religioſiſſime aſſervato, pedum veſtigiis. In ſacello Neapo- 471.
litano, Johanni Evangeliſtæ dicato, variæ leguntur inſcriptiones notatu ſane digniſſimæ. Inter eas offenditur Epitaphium *Jo.* 476.
Joviani Pontani, ab ipſo compoſitum, quod ita ſe habet:

Vivus domum hanc mihi paravi, in qua quieſcerem mortuus. Noli obſecro injuriam mortuo facere, vivens quam fecerim nemini. Sum etenim JOANNES JOVIANUS PONTANUS, quem amaverunt bonæ Muſæ, ſuſpexerunt viri probi, honeſtaverunt Reges Domini. Scis jam, qui ſim, aut qui potius fuerim. Ego vero te, hoſpes, noſcere in tenebris nequeo, ſed, te ipſum ut noſcas, rogo. Vale.

In foribus ejusdem ſacelli tabulis nonnullis marmoreis idem has 477.
inſcribi curavit ſententias:

In magnis opibus, ut admodum difficile, ſic maxime pulcrum eſt, ſe ipſum continere.

In utraque fortuna fortunæ ipſius memor eſto.

Sero pœnitet, quanquam cito pœnitet, qui in re dubia nimis cito decernit.

Integritate fides alitur; fide vero amicitia.

Nec temeritas ſemper felix, nec prudentia ubique tuta.

Hominem eſſe haud meminit, qui nunquam injuriarum obliviſcitur.

Fruſtra leges prætereunt, quem non abſolverit conſcientia.

In omni vitæ genere primum eſt te ipſum noſcere.

p. 677. De Verona cecinit Poëta quidam modernus:

Verona, qui te viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditiſſimo;
Is credo ſe ipſum non amat,
Caretque amandi ſenſibus,
Et odit omnes Gratias.

Plures aliæ in hocce libro conſignatæ ſunt inſcriptiones ingenioſiſſimæ, v. gr. pag. 100, 134, 448, 453, 459, 463, &c. 465, 469, 472, &c. 486, 492, 494, &c. 500, 507, &c. 513, &c. 523, 527, &c. 552, 561, & 563, quæ ex his ipſis Delitiis peti poterunt.

NAAUKEURIGE VERSAMELING DER gedenckwaardigſte Reyſen na Ooſt en Weſt-Indien.

i. e.

COLLECTIO CURIOSA ITINERUM MEMORATU digniſſimorum, ab A. 1246 usque ad hæc noſtra tempora in Utramque Indiam, tum Orientalem, tum Occidentalem, ſuſceptorum. Tomi XVI - XXVIII.

Lugd. Bat. apud Petrum van der Aa, 1707, 8.
Alph. 17, figg. Tabb, æn. 280.

POſtquam Collectionis hujus elegantisſimæ Tomos XV priores in Actis A. 1708 p. 102, 179 & 448 recenſuimus, noſtrum eſt, ut reliquorum nunc quoque mentionem faciamus. Abſolvit

vit enim ſolertiſſimus Petrus van der Aa opus integrum XXIIX Tomis, ſeu (ſi Tomum XIII, qui duabus Partibus conſtat, dividas,) Voluminibus XXIX. Nec eſt, quod generatim adhuc notemus, niſi quod Typographus prudentiorum ſuaſu ea itinera, quæ Belgæ inde ab A. 1583 ad noſtra tempora in utramque Indiam inſtituerunt, novæ Collectioni reſervaverit, in qua plura Hodoeporica, hactenus nondum vulgata, exſpectare nos jubet. Sed videamus de his.

Tomo XVI exhibetur Antonii Jenkinſon Iter A. 1558 juſſu Societatis mercatoriæ Anglo-Ruſſicæ ſuſceptum, ut via per Tartariam Catajam usque detegeretur, quod e verſione Thevenoti huc translatum eſt, tum Joannis Ribaldi, Renati de Laudonniere aliorumque navigationes A. 1562 & ſequentibus Floridam factæ, quarum deſcriptio Carolo IX Galliæ Regi olim oblata fuit: & denique Cæſaris Friderici iter in Indiam, quod A 1563 ingreſſus per octodecim fere annos continuavit: Tomo XVII Dithmari Blefkenii iter in Islandiam & Gronlandiam A. 1563, Leonhardi Rouwolff in Syriam, Judæam, Arabiam, Meſopotamiam, Babyloniam, Aſſyriam, Armeniam A. 1573, & Martini Frobisheri, Angli, in Chinam & Catajam A. 1576 ſuſceptum: Tomo XVIII tres expeditiones a Franciſco Draco in America A. 1577 & ſequentibus factæ, & itineris ſocii Petri Carderii fata, Eduardi item Lopezii, Luſitani, in Regnum Congo A. 1578, Johannis Newberie, Angli, in Terram Sanctam, Perſiam, Turciam & vicinas regiones A. 1579, & Caſparis Balbi, Veneti, in Indiam Orientalem ab A. 1579 ad 1588 facta itinera: Tomo XIX Michaelis Heberer de Bretten, Nobilis Germani, infauſtum per Aſiæ atque Africæ partem iter & captivitas Turcica, Radulphi Fitch, Angli, itinera ab A. 1583 ad 1591 in Regnum Siamicum & in Indiæ Orientalis litoribus facta, aliaque auſpiciis Georgii Comitis Cumbriæ ab A. 1586 ad 1598 in Indiam Occidentalem ſuſcepta: Tomo XX Thomæ Candish, Angli, itinera duo, alterum circa Orbem univerſum A. 1586, alterum aliquot poſt annis in Braſilia factum, Andreæ Battel, Angli, iter in Braſiliam A. 1589, ubi per octodecim fere annos vixit, Antonii Knivet, Angli, qui cum Thoma Candish verſus mare Auſtrinum profectus

eſt A. 1591, mira fata, & Joſephi d'Acoſta, Hiſpani, Hiſtoria detectæ Americæ & itineris illuc A. 1592 facti: Tomo XXI Eliæ, Henrici Maji, Johannis Smith, Gualteri Raleigh & Benjamini Wood, Anglorum, varia itinera ad fretum Magellanicum, in Turciam item, Guianam & Indiam Orientalem A. 1593 & ſequentibus, Johannis Daviſii porro & Wilhelmi Adami e Belgio in eandem Indiam A. 1598 facta itinera, Benedicti Goes iter terreſtre verſus Chinam, eodem anno magno labore ſuſceptum, & Antonii Sherley, nec non Johannis Mildenhal & Johannis Cartwright navigationes ex Anglia in Perſiam & Indiam A. 1599 & 1600 abſolutæ: Tomo XXII plura Anglorum itinera ab A. 1601 ad 1605 cœpta, ut Societatis mercatoriæ Anglicanæ prima in Indiam Orientalem expeditio, duce Jacobo Lancaſtrio A. 1601 & ſecunda Henrico Middleton duce A. 1604 adornata, Davidis Middleton iter in Americam, Georgii Weymouth iter inveniendæ novæ in Chinam viæ cauſa ſuſceptum, Gabrielis Archer, Martini Pringe & Thomæ Canneri itinera in Virginiam, Caroli Leigh iter in Guianam & Joannis Saris in Bantamicum Regnum, quibus & inſeritur Nicolai Schmidii, Germani, iter Conſtantinopolin verſus & in Ægyptum A. 1605 factum: Tomo XXIII Anglorum rurſus itinera A. 1606 & 1607 peracta, ut Johannis Smith in Virginiam, Wilhelmi Keeling, qui tertiæ expeditioni Societatis Anglicæ præfectus eſt, iter Wilhelmi Hawkins in Indiam Orientalem, & moleſtisſimum Roberti Coverte mari primum & cum ad Cambajam naufragium paſſus eſſet, terra per ſuperiorem Indiam, Perſiam, Arabiam & Turciam Aſiaticam tentatum: Tomo XXIV Roberti Harcourt navigatio Guianam verſus facta A. 1608, tnm quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ & octavæ expeditionis a Societate mercatoria Anglicana in Indiam A. 1608 & triennio poſt exantlatæ, deſcriptiones variæ: Tomo XXV ejusdem Societatis expeditio nona, decima, undecima, duodecima, quæ in A. 1611 & 1613 incidunt, acceſſere aliæ in Indiam navigationes ab Anglis ſuſceptæ anno 1614 & biennio poſt, & inſertum iter, quod Antonius Fernandez Hiſpanus, una cum Æthiopiæ Monarchæ legato in Regnum Gingirum ſuſcepit A. 1613: Tomo XXVI pleraque Anglorum itinera, ut Thomæ Spurway iter

iter in Bandam A. 1616, Martini Pring in Indiam Orientalem 1617, Eduardi Heynes & Wilhelmi Hoare Surattam verſus, Athenasque & Bantamum A. 1618, Wilhelmi Methold in Peguanum Regnum aliaque loca, Antonii Cheſter in Virginiam A. 1620, & Henrici Blunt Orientem verſus A. 1634 ſuſceptum; quibus accedunt quæ in China A. 1619 & in Tartaria Precopenſi A. 1633 obſervata ſunt: Tomo XXVII Hieronymi Lobo, Luſitani, deſcriptio rerum in Abysſinia A. 1636 obſervatarum, quibus multum illuſtratur hujus Regni hiſtoria naturalis, tum Emanuelis d'Almeida, Luſitani, deſcriptio Æthiopiæ ſuperioris, quam eodem anno Balthaſar Tellez luſtraverat, T. S. Angli, iter & dura fata, quæ A. 1648 & ſequentibus in Algeria ſuſtinuit, legatio Moſcorum A. 1653 in Chinam facta, expeditiones denique maritimæ a Gallis Mouette & Gallonye A. 1670, in Americam ab illo Regnumque inprimis Marocanum, ab hoc in Africam & S. Chriſtophori Inſulam, ſuſceptæ: Tomo XXVIII iter a Gallis Marquette & Joliet A. 1673 in Americæ partem Septentrionalem factum, Franciſci Brook, Angli infauſta in Barbaricas regiones expeditio A. 1681 ſuſcepta, Ottonis Friderici von der Greuben navigatio Guineam verſus juſſu Electoris Brandenburgici A. 1682 facta, ac denique Anglorum quorundam iter A. 1696 e Jamaica in Indiam Occidentalem tentatum, quo tot acerba fata tulere, ut fidem fere ſuperent. Sed inſtituti noſtri ratio non patitur, ut ex elegantisſimo opere curioſiora decerpamus; plura enim hic deprehendi notatu digna, facile animadvertet, qui vel unum alterumque volumen obiter perluſtrare velit.

Der Stadt Braunſchweig Kirchen-Hiſtorie.

i. e.

ANTIQUITATES ECCLESIASTICÆ INCLYTÆ Urbis Brunſvigæ; Autore PHILIPPO JULIO REHTMEYERO.

Brunſuigæ, apud Chriſtoph. Frider. Zilligeri viduam, 1707, 4. Alph. 3 pl. 6.

ETſi primum Autor hujus libri doctisſimus brevem tantum hiſtoriam de urbis Brunſuicenſis reformatione Latino idiomate

mate conſcribere conſtituiſſet, ſuaſu tamen Per-Illuſtris atque Excellentiſſimi Domini *Philippi Ludovici de Wendhauſen* mutavit conſilium atque integram dictæ urbis hiſtoriam eccleſiaſticam vernacula conſignavit, cujus partes duæ priores hic exhibentur, tertia adhuedum expectatur, quæ hiſtoriam Brunſuicenſis reformationis pleniſſimam complectetur. Quod quidem ad præſentes partes duas priores attinet, in earum prima deſcribitur externa facies monaſteriorum, templorum, ſacellorum, xenodochiorum, &c. quæ vel intra urbis pomœria, vel extra ea, viſuntur, enumeratis eorum altaribus, reliquiis Sanctorum, catalogis Abbatum, &c. & indicata templorum fundatione, dotatione, emendatione. In altera internus templorum Brunſuicenſium ſtatus, qualis is fuit ante Reformationem B. Lutheri ad annum usque 1521, deſcribitur; conſultis ubique Archivis & Manuſcriptis, aut Hiſtoricis vulgatis probatiſſimis, & addita in fine Appendice monimentorum publicorum maxime illuſtrium. Præmiſit libro Præfationem Summe-Reverendus D. *Johannes Andreas Schmidius*, Theologus & Polyhiſtor apud Helmſtadienſes longe celeberrimus, in qua hortatur eruditos, ut ad concinnandam Centuriarum Magdeburgicarum continuationem opem conferant, noſtrique Auctoris inſtitutum commendat. Multa in ipſo opere occurrunt notatu digna, quæ inter referas, quæ pag. 5 de monte *Cornelii* non procul ab Helmſtadio ſito narrantur, quod in illo hodienum lapidea quædam altaria deprehendantur, in quibus ethnicos olim Soli orienti ſacrificia obtuliſſe antiquitatum ſtudioſi credant. P. 11 inquiritur in natales urbis Brunſuicenſis, ejusque fundatores fuiſſe perhibentur *Bruno* & *Tanquardus*, Ludolphi Ducis Saxoniæ filii, allegatis hanc in rem ex *Engelhuſio* duobus iſtis verſiculis:

Tanquardus, Bruno, fratres animo ſimul uno,
Iſti fundabant Bruneswick & ſituabant.

Ab his fratribus (p. 16) urbs dicta denominata eſt modo *Tanquardswick*, modo *Brunswick*, retentum vero ſucceſſu temporis nomen poſterius, a fratre natu majore Brunone derivatum. P. 19 or-

ortus *Patriciorum* ab Henrico Aucupe Rom. Imp. petitur. P. 149 agitur de *Dominis* & *Fratribus Kalendarum* (Kalands-Herren vel Kalands-Brüdern) nomenque ii habuiſſe dicuntur a cujusvis menſis die primo, quem Romani Kalendas vocabant, quo illi deliberarunt, quid menſe inſtante agendum eſſet. Fellerum tamen etiam admittit, qui in Diſſertatione *de fratribus Kalendariis* ita ſcribit: *Kalendæ ſunt ſocietates religioſæ a calo: i. e. convoco, quod conveniant ſe mutuo homines ad communicandum bona ſua mutuo, & ad ſubveniendum animabus defunctorum;* & paulo poſt: *Habent amicalem quandam ſocietatem, in qua communiter vivunt, & certis temporibus conveniunt communicando bona ſpiritualiter, & ſe mutuo in caritate corrigendo ſine coercitione poteſtativa, & ſine novo habitu, & hinc licita ſunt ſine auctoritate Papæ, quanquam expediat, ut ſocietas fratrum de Kalendis auctoritate Epiſcopi alicujus confirmetur.* P. 191 laudatur ex merito Sereniſſimus Dux Brunſuicenſis, *Rudolphus Auguſtus*, beatisſimæ memoriæ, quod Bibliothecam ſumtibus Eccleſiæ Martinianæ in *templo Fratrum* inſtructam liberaliter auxerit, in cujus rei memoriam ſequentes dictæ Bibliothecæ adſcripti ſunt verſus:

Principis en ditat clementia rara RUDOLPHI,
AUGUSTI, æternum quem pia vota volunt.
Namque Miniſterii libros, tot, largus adauxit,
Quod ſperare nefas, fas tamen usque cani.

Hos excipit Chronoſtichon illud:

In ſeros annos AVgVſto MVnere DIVes
AVgVſto grates BIbLIotheCa feret.

In Appendice, præter varia monimenta rariora, p. 78 extat & *Catalogus Manuſcriptorum Bibliothecæ, quæ olim in æde San-Blaſiana fuit, prout illa a Paulo Chemnitio, Canonico, An. 1602 ſunt collecta, pleraque in folio.*

RELA-

RELATIO DE GLOMERE PILORUM EX UTERO & ovariis duarum fœminarum extracta, D. JOHANNI SLOANE, Societatis Regiæ Secretario, communicata a JACOBO YONGE, Societatis Regiæ Collega.

Extracta ex Transact. Anglic. Anni 1707 Num. 309 §. 6.

ANno 1705 fœmina poſt laborioſum quatuor dierum partum infantem enixa corruptum & fœtentem, fœtida profundebat lochia trium ſeptimanarum intervallo, quibus ceſſantibus tributum ſolvebat lunare & negotiorum expediendorum gratia foras exibat. Sex ſeptimanas poſt partum convulſionibus & hyſtericis affectibus per tres dies expoſita tumorem dolorificum in ſiniſtro abdominis latere percipiebat, quo rupto materia albicans craſſa ad menſuram unam cum exilibus globis vitellum ovi cocti referentibus profluebat; unde ſymptomata evaneſcebant. Quatuor dies poſt ſimilis tumor in latere dextro comparebat, ex quo exilis materiæ copia per quinque vel ſex menſes promanabat. Eodem tempore in pudendis prominebat moles, quæ extracta glomum pilorum ad ovi gallinæ Indicæ magnitudinem pituitæ immerſum & membranæ cuidam a latere ad palmæ menſuram adhærentem osſiculumque pyramidale in medio continentem monſtrabat. Inde tumore ſubſidente materiæque fluxu ceſſante menſtrua hactenus ſuppreſſa priſtinam periodum recuperabant, & ægra ſanitati reſtituebatur.

Anno 1696 Virgo 30 annorum in febrem intermittentem incidebat, cum menſium ſuppresſione, ſuccedente dolore & tumore in dextro latere, qui indies augmentum capiens abdomen in enormem molem extendebat, & poſt anni decurſum humiditatem plorabat. Præterlapſis 15 menſibus propter rupturæ metum paracentheſin efflagitabat miſera, qua adornata materia dulcis bene digeſta ad menſuram unam cum dimidia profluebat. Altero die poſt cum eodem liquore pili quatuor vel quinque pollices longi prorumpebant, lateri interno uſque adeo affixi, ut de dolore exquiſitisſimo conquerente virgine, extrahi nullo modo potuerint. Moriebatur autem hæc quarto poſt opera-

perationem die. In cujus abdomine decem menſuræ ſupra commemorati liquoris reperiebantur, in quo glomus pilorum fluctuabat, qui remota, qua obvolvebatur, pingui ſubſtantia, unciam dimidiam pendebat. In latere dextro conſpiciebatur protuberantia nuce juglande major, a qua pili ortum ducebant octo pollices longi. Tumor hic, ſeu rectius ovarium perfectum, dentem caninum oſſi triangularis figuræ affixum continebat, in quo alius dens reperiebatur.

TABULÆ ASTRONOMICÆ, LUDOVICI M. juſſu & munificentia exaratæ, & in lucem editæ a PHILIPPO de la HIRE, Regio Matheſeos Profeſſore & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio.

Pariſiis, apud Johannem Boudot, 1702, in 4.
Conſtat plag. 27 Tabb. æn. 4.

Aliquoties jam commentarios Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ recenſentes Tabularum *Ludovicianarum* cum cœlo conſenſum commemoravimus. Non abs re itaque videbatur, earundem rationem in eorum gratiam, quos ſcientiarum progreſſus congnoſcere juvat, paulo uberius exponi. Quare nec nunc eidem labori nos ſubducimus, ubi, ſero licet, Tabulæ iſtæ ad nos deferuntur. Equidem omnibus hactenus proſtantibus Tabulis Aſtronomicis palmam dubiam reddiderant *Rudolphinæ*, a ſummo noſtro *Keplero* obſervationibus *Tychonis de Brahe* ſuperſtructæ; negari tamen non poteſt, aliquem adhuc earundem a cœlo diſſenſum ab obſervatoribus ſedulis notari. Rationem hanc reddit *de la Hire*, quod certæ cuidam hypotheſi indulſerat *Keplerus*, quemadmodum huc usque fecerunt Aſtronomi omnes. Ipſe igitur ea via ſibi incedendum eſſe duxit, quam *Petrus Ramus* jam olim *Tychoni* commendaverat, atque Tabulas Aſtronomicas ex ſolis obſervationibus contexere allaboravit. Equidem *Tycho* poſtulatum *Rami* impoſſibile pronuntiabat, ad ſubſidia ſibi cognita reſpiciens; quod tamen ipſi ipſumque ſecutis Aſtronomis aliis præſtare nondum licebat, hoc noſto ævo

pro impoſſibili non amplius habendum. Duo ſcilicet obſtabant, quo minus poſtulato *Rami* ſatisfieri poterat. Deerat temporum menſura ſatis accurata, nec proſtabat methodus differentias Aſcenſionum Solis & omnium Planetarum ſatis exacte definiendi. Utrumque vero obſtaculum noſtro ævo feliciſſime ſublatum eſt. *Hugenius* enim pendula Horologiis applicare docuit, atque hoc ipſo effecit, ut minuta ſecunda tam exquiſite exhibeant, ut intra octiduum a medio Solis motu ne quidem minuto ſecundo aberrare deprehendantur: id quod *de la Hire* ſæpiſſime ſe expertum eſſe teſtatur. Tubi quoque ad quadrantes applicari cœperunt, & *Picardus* uſum dioptrarum teloſcopicarum in Academia Regia introduxit: quo ipſo effectum eſt, ut non modo ſtellæ atque Planetæ noctu diſtincte, ſed & interdiu juxta Solem, conſpici queant, unde differentias Aſcenſionum accuratius, quam antea, cognoſcere datum eſt. Et his Aſcenſionum differentiis atque Meridianis cum Fixarum, tum Planetarum altitudinibus ſimul & iisdem temporibus obſervatis Tabulas ſuas omnes ſe ſuperſtruxiſſe profitetur Autor. Monet vero æquationem centri ex accuratis iſtiusmodi obſervationibus deductam vix exacte ad ullam hypotheſin referri poſſe: figuram tamen Ellipticam a *Keplero* definitam a vera Planetarum orbita parum abeſſe. Equidem Tabulas motuum Solis & Lunæ jam anno 1687 edidit, eas tamen nunc operi junctas recudi fecit, quia pauca circa Lunam mutari juſſerunt obſervationes poſteriores. Retinet autem methodum Eclipſes per Triangulorum rectilineorum Analyſin computandi a ſe inventam, & inter alia notat, eclipſes ſic variari poſſe, ut omnis varietas nulla arte prædici queat, propterea quod umbra atmosphæræ ſubinde circularem figuram variat. Sub finem denique accurate deſcribit novas obſervandi methodos cum inſtrumentis neceſſariis: quibus deſcriptionem machinæ, ex tribus laminis metallicis, aut chartaceis circularibus, & una regula, facillime parandæ, ad Eclipſes Solares atque Lunares pro quovis anno prompte inveſtigandas ſubjungit. Præcepta ſingula exemplis clariſſime illuſtrat, ad captum etiam tyronum calculi.

M. PAU-

M. PAULI RABEN, PROFESSORIS REGIOMONtani, Curſus Philoſophicus, Dialecticam, Analyticam, Politicam, ſub qua comprehenditur Ethica, Phyſicam atque Metaphyſicam continens, in gratiam non ſolum Philoſophiæ cultorum, ſed & ſuperioribus Facultatibus addictorum.

Regiomonti & Lipſiæ, apud Heinr. Boye, 1703, in 8.
Alphab. 4 pl. 4.

HUjus Curſus Philoſophici, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi Pruſſorum dedicati, Præfatio agit de libertate philoſophandi, quæ nuda autoritate alicujus Philoſophi non acquieſcit, ſed rationes requirit in iis rebus, de quibus ſine ἀπαιδευσίας, vel ignorantiæ atque ruditatis vitio, & ſine ἀῤῥωστία τῆς διανοίας, ſeu imbecillitate judicii, rationes poſtulari queunt. In hac libertate, ait, Ariſtotelem ſecutos eſſe veros quoſque Philoſophos, & inter eos, Profeſſores Regiomontanos, qui, licet Philoſophum eum tum propter ἀκρίβειαν & methodi elegantiam, tum propter dogmatum veritatem, & rationum atque demonſtrationum evidentiam, ducem & ipſimet ſequantur, & ſtudioſæ juventuti præ aliis ſemper commendent, nunquam tamen in verba ejus jurarint, ſed contra potius, ubi humani quid paſſus ſit, emendarint, defectum ſuppleverint, methodum atque ordinem ſubinde perfecerint. Quorum veſtigia premens in præſenti curſu Philoſophico Cl. Autor in methodo ulterius perficienda, tum in defectu ſupplendo, tum etiam in dogmatibus emendandis, libertate hac uſus eſt, & præcipue in Ethicis atque Metaphyſicis, imperfectionem quoque luminis naturæ, ob quam non potuit non ceſpitare in multis Ariſtoteles, declarare, atque breviter ex lumine rationis dilucidare voluit. Hanc philoſophandi methodum non ſolum unanimi ferme doctiſſimorum atque celeberrimorum virorum conſenſu probat, ſed & Principum atque Magiſtratuum ſtatutis & edictis corroborat, quibus ab ipſis primordiis Reformationis Eccleſiæ Ariſtotelis Philoſophia doceri juſſa eſt in Germaniæ Academiis, Julia, Tubingenſi, Wittenbergenſi, aliis, quibus noſtra Lipſienſis annumeranda, e contra Rami atque Carteſii philoſo-

phandi ratio in Hollandia & Scholis quibusdam illuſtribus improbata & prohibita. His quæ objici ſolent, diligenter removet, ut ſunt, Philoſophiam debere eſſe Chriſtianam, non gentilem amplius, Philoſophiam Ariſtotelicam hæreſium atque errorum, Syncretiſmi & Apoſtaſiæ, eſſe genitricem, graviſſimo Lutheri judicio Ariſtotelem e ſcholis proſcribi.

Curſum hunc Philoſophicum Dialectica inchoat, cujus, præmiſſo proœmio generali de Philoſophia, & ſpeciali de natura Dialecticæ, Pars prior eandem abſolute dictam proponit, & quidem Libro I propria Dialecticæ inſtrumenta; Libro II locos problematum Dialecticorum; Libro III formam diſputationis Dialecticæ, ubi de genuino diſputandi modo in genere, de officio Opponentis & Reſpondentis, deque affectionibus diſputationum: Pars poſterior Sophiſticam explicat. Inter problemata Dialectica exempli cauſa elaboratum eſt, an Deus ſit cauſa peccati, nec ne? Pars prior negativam evincit; pars poſterior affirmativam adſtruit. Sed cum affirmativa hæc ex animi ſententia non adſtruatur, ideo circa ſingulos locos ſolutio ſtatim adjicitur.

Dialecticam excipit Analytica, ab ea ſpecie diſtincta ars definita, rem quamque demonſtrandi, & methodice explicandi, ad producendam in animo auditoris πεπαιδευμένου ſcientiam. Hæc ars docetur duabus partibus; prior Syllogiſmi γένεσιν, εὐπορίαν, ἀνάλυσιν, poſterior demonſtrationem explicat.

Poſt Analyticam ſequitur Politica, in duas tributa partes: prior dicitur Politica de Moribus: poſterior Politica abſolute dicta de Societatibus Humanis. In Ethica Libri II cap. I de Virtute morali in genere Appendicem habet, in qua oſtenditur, tum in quo conveniat lumen naturæ cum lumine revelationis, tum in quo deficiat, atque imperfectio illius conſiſtat.

Politicæ ſubjungitur Phyſica, ſive Scientia cotemplativa ſubſtantiæ mobilis, quam cum Ariſtotelis antiquiſſimis Interpretibus in tres partes dividit, & juxta eas exacte perſequitur: primo principia & affectiones communes ſubſtantiæ mobilis, inprimis generabilis; ſecundo corpora & ſubſtantias ſimplices; tertio corpora atque ſubſtantias mixtas,

Clau-

Claudit Curſum hunc Philoſophicum Metaphyſica; in cujus proœmio docens, Philoſophiam atque Sapientiam eſſe vocabula ἰσοδυναμοῦντα, eorum immodeſtiam notat, qui πανσοφίαν profiteri ſuſcipiunt, aut talem ſcriptis, vel collegiis, ſuis titulum aut ipſimet faciunt, aut ab aliis fieri patiuntur. Deinde conditiones & proprietates Sapientiæ & Sapientis ponderatas in unum colligendo, Methaphyſicam definit, intellectum principiorum primorum, & Scientiam ipſius Dei. Male ab aliis genus Sapientiam poni, probat. Intellectum dicit, reſpectu principiorum primorum, quoniam hæc non ſcientia cognoſcuntur, ſed intellectu apprehenduntur; Scientiam vocat, reſpectu Dei atque entis qua entis, cum certæ de iis conclusiones ex principiis ſuis cognoſcantur. Inter quæ objecta primarium eſt Deus, propter quem ens in genere & prima principia conſiderantur. Pro qua triplici objecti ratione doctrinam Methaphyſicam dividit in tres partes, quarum una ſiſtit principia prima, altera ens qua ens conſiderat, poſtrema Deum ſpeculatur. Antequam vero illam orditur, totum Philoſophiæ vel Sapientiæ genus in ſpecies ſuas dividit, quoniam hæc doctrina per ſe ad Pædiam Metaphyſicam ſpectat. Nimirum Philoſophiam in univerſum triplicem eſſe docet, pro triplici genere rerum & triplici fine, Theoreticam, Practicam, & Effectivam, atque διχοτομίαν nonnullorum recentiorum, qui duplicem modo Philoſophiam eſſe, Theoreticam nempe & Practicam, ſuſtinere laborant, reſpuit. Theoreticam rurſus ſubdividit in Phyſicam, Mathematicam & Metaphyſicam, reprehenſis nonnullis Neotericis, imprimis novarum Scientiarum fabricatoribus, qui addunt Ontologiam, Noologiam, Gnoſtologiam, & Pnevmatologiam, hasque omnes a Metaphyſica diſtinctas. Practicæ Philoſophiæ duas ſpecies facit, Politicam & Oeconomicam: Politicam in duas partes diſtribuit, quarum prior agit de Summo Bono, fine ipſo Civitatis atque Reipubl. & propter hoc de virtutibus omnibus tam intellectualibus, quam moralibus atque ethicis, unde & communiter Ethica nuncupatur, judicio autem Ariſtotelis rectius Politica de moribus: poſterior de civitate & Rerumpubl. formis agit, & κατ' ἐξοχὴν Politica appellatur. A qua doctrina abeuntes, vel eos, qui tres

Digitized by Google

Philoſophiæ Practicæ ſpecies, Ethicam, Politicam, & Oeconomicam, vel unam tantum Philoſophiam Practicam, nempe Politicam, cujus pars ſit ipſa Oeconomica, aſſerunt, falli monſtrat. Tandem Philoſophiæ Effectivæ, ſive Scientiæ de arte, ſpecies luſtrat, quæ totuplices ſunt, quotuplices ſunt Artes. Nimirum etiam artifices dicuntur Philoſophi & Scientes, non quidem ſimpliciter, ſed in quantum & quousque reddunt cauſas de ſuis artibus atque operationibus, quando autem juxta cognitionem ſuam aliquid efficiunt, tum non amplius Philoſophi, vel Scientes, nuncupantur, verum artifices, ut ex arte operantes. Sub finem hujus proœmii adhuc de diſcrimine prudentiæ & ſcientiæ de prudentia, itemque artis & ſcientiæ de arte, diſſerit.

In prima Methaphyſica parte de Principiis primis, tria eorum genera, hypotheſes, axiomata & definitiones explicat: in ſecunda de ente in genere, oſtendit reſolutionem entium in genere ad ſubſtantiam, Logicam in reſolutionem ſubſtantiarum ad formam, reductionem ſubſtantiæ Phyſicam, nec non actus & potentiæ in ſua principia; reſolutionem unius & multorum in ſua principia, parte tertia Cap. I exiſtentiam Dei per reſolutionem motus probat, eaque demonſtratione facta, imperfectionem luminis naturæ arguit, ſi cum lumine revelationis comparetur: Cap. II eſſentiam & operationem DEI, tum relative conſiderati, ut primus motor eſt, tum abſolute ſpectati, explicat. Cap. III unitatem DEI non una ratione evincit, ac intelligentias ab ipſo non realiter diſtinctas, ſed ipſum Deum eſſe, diverſimode ſolum & reſpectu diverſorum mobilium conſideratum, ex Ariſtotelis mente deducit, inferens, male ejus de intelligentiis doctrinam ad Angelos trahi.

Appendix Metaphyſicæ reſolutionem omnium entium in Deum, hujusque demonſtrationem naturalem, breviſſimis aphoriſmis comprehendit. Adjectus eſt Index rerum & verborum in totum hunc Curſum Philoſophicum.

M.PAU-

M. PAULI RABEN, PROFESSORIS REGIOmontani, Rhetorica Civilis, in ſcientificam methodum noviter redacta.

Regiomonti & Lipſiæ, apud Henricum Boye, 1704, 8. Alph. 2 plag. 2.

Librum hunc commode adjungimus præcedenti, cum & proxime poſt eum Auctor ediderit, atque ejus in præfatione Curſus Philoſophici meminerit. Etſi vero in hoc genere multa extant ſcripta; quia tamen Noſter de vera Rhetoricæ tractandæ methodo diſceptare Viros eruditos videret, & neminem ſuſcepiſſe hunc laborem deprehenderet, ut in eandem debita ſolicitudine inquiſiviſſet, potius pro abitrio multos ſcribere, pleroſque communem ordinem ſecundum inventionem, elocutionem, atque diſpoſitionem ſectari obſervaret, minime probandum, ob rationes, quas ſubjicit: ipſe Rhetoricam, ut Dialecticæ ἀντίστροφον, id eſt, congeneam, ſimilem atque analogam tractat. Hinc non ſolum, uti Dialecticam, in duas partes diſtribuit, ſed & in partium iſtarum duarum ſubdiviſione, eodem ordine libros atque capita diſponit atque ordinat. In parte quidem priori ante omnia, quæ ad προθεωρίαν pertinent locorum Rhetoricorum, & ante eos cognoſcenda ſunt, dehinc ipſi loci, & tandem locorum uſus, ipſaque ratio conſcribendi ex iis orationem, traduntur & explicantur. Ad uſum locorum monſtrandum in genere Judiciali, injuſtum Pilati judicium, quo Chriſtum Salvatorem noſtrum nefario prorſus auſu ad mortem crucis damnavit, ventilandum ſumſit, a pag. 521 ad p. 543. Etiamſi enim, ut ipſe præfatus erat p. 52, in ſe impium & hæreticum, imo omni hæreſi & impietate majus ſit, Pilatum juſtum velle nuncupare judicem, qui juſte Chriſtum condemnarit ad mortem; nihilominus tamen, quia Pilatum jam a Stellero & forſan aliis pluribus ex animi ſententia defenſum eſſe conſtet, optime & ſine omni, etiam leviſſima, Chriſtianismi, vel orthodoxæ veritatis, macula poſſe quem, facultatem Oratoriam, & uſum locorum generis Judicialis monſtraturum, inſtituere actum quendam oratorium de injuſto Pilati judicio. In poſteriori autem parte tum ſtrophas fucatorum

Rhe-

Rhetorum oſtendit, tum earundem cauſas, ſolutiones, atque remedia manifeſtat. In dogmatibus ipſis ſecutus eſt præ omnibus Ariſtotelem, hinc Ciceronem, Quintilianum, Hermogenem, tandem & Voſſium, Cauſinum, Moguntinenſes, Zeidlerum, Verulæum & quamplurimos alios; ita tamen, ut libertate philoſophica uſus etiam ſubinde ab eorum ſententia receſſerit.

DE MORALIBUS CRITICÆ REGULIS COMpendioſa monita, ad quorum normam veluti obiter exiguntur tum controverſia prius agitata inter celeberrimos Viros, Marcellum Malpighium *&* Jo. Hieronymum Sbaraleam, *tum quædam Epiſtolæ nuper a quibusdam illius Aſſeclis adverſus hunc evulgatæ.*

Coloniæ, typis Eymerici de Francal, 1706, 4. plag. 22.

QUum non alia Critica literaria, quam quæ modeſtiæ finibus coercetur, & moralis ſcientiæ legibus conſtantiſſime paret, laudem mereatur, noſtrisque, ſi alias unquam, temporibus neceſſaria Reipublicæ literariæ videantur genuinæ Criticæ, ſive artis diſceptandi, præcepta, rudimenta quædam illius delineanda ſibi ſumpſit Auctor libri huius anonymus, ſed amicus Editoris, F. Alamani Laurenti S. B. qui ipſum Petro Otthobono, S. R. E. Cardinali & Vice-Cancellario, inſcripſit. Cumque Theorica cujuscunque artis aptiſſime tunc tradatur, quando illam exempla comitantur, & praxis illuſtrat, poſt inſtitutam de vario Criticæ abuſu diſputationem, examen controverſiæ inter Marcellum Malpighium & Jo. Hieronymum Sbaraleam, Malpighiique aſſeclas, ſecundum iſtas regulas morales inſtituitur; ita tamen, ut publica potius cauſa, quam privata, atque illa inprimis, agi videatur: re vera autem, ut pateat, Anonymum in Sbaraleæ partem inclinaſſe. Ediderat hic anno 1687 Epiſtolam ad Amicum *de recentiorum Medicorum ſtudio*, ut oſtenderet, ſubtiliorem Anatomen, Dendranatomen & Zootomen, aut parum, aut nihil, ſoli-

p. 8.

ſolidiori Medicinæ practicæ inſervire. Excepit hanc anno 1690 Jo. Pauli Ferrarii, Medici & Philoſophi Parmenſis, *Zelotypia Veritatis*. Tum anno 1691 D. Joannis Bohnii, Medici & Philoſophi apud nos excellentiſſimi, prælectio quædam Therapeutica. Et huic reſpondit Sbaralea, edita anno 1693 diſſertatione ſecunda de humani corporis ſubtiliori inſpectione. Obiit autem Malpighius ſequente anno 1694, & reperta inter ejus opera poſthuma, quæ primum Londini A. 1697 lucem viderunt, Reſponſio ad Epiſtolam Sbaraleæ, ſed ſylveſtribus alienæ manus mixturis interpolata. Eodem tempore Petrus Regius, Patavus, & Antonius Franciſcus Bertinus, Florentinus, partes Malpighii ſuſceperant. Sbaraleæ autem Diſſertatio ſecunda recuſa Bononiæ anno 1701 cum Appendice, in qua ſe purgavit penes Autores Bibliothecæ Anatomicæ, Danielem de Clerc & Jo. Jacobum Manget, ſed & Petro Regio & Ant. Franc. Bertino ſatisfaciendum putavit. Secutumque eſt præterea Boooniæ anno 1704 opus Sbaraleæ poſtremum, *Oculorum & Mentis Vigiliæ, ad diſtinguendum ſtudium Anatomicum, & ad praxin Medicam dirigendam.* Sed vero ſtatim ſub finem anni 1705 emiſſa eſt Epiſtola, quæ CL errores in iſtis Vigiliis oſtenderet, Horatii de Florianis M. E. P. & huic præfixa altera Epiſtola in illud idem argumentum, Lucæ Terranovæ M. S. quorum alter ſe Malpighii diſcipulum, alter cultorem profitetur, ficto nomine uterque. Noſtri autem Anonymi obſervationes diſputationibus iſtis Anatomicis non immorantur, ſed morales tantum ſunt, & modum diſputandi reſpiciunt, atque uter prior Criticæ fines ſit prætergreſſus & canones morum, tum vero, quatenus & a quibus adverſus easdem regulas fuerit peccatum. In genere autem monet, I differre inter ſe Calumoiatorem, qui judicio morum non modo injurioſus, ſed & mendax ſit; Satyricum, qui licet non mendax, injurioſus tamen eſſe poſſit, ſi vitioſi proferat nomen; & Criticum, qui proferat vitia & peccata non morum, ſed ingenii. Satyricum ergo, quoties errores ſcriptorum, rem literariam ſpectantes, carpit, jam non ſuo, ſed Critici potius, munere fungi. Et hunc diſtare maxime a calumnia eo, quod nequaquam mendax ſit, ſive falſis opinionibus inhæreat, ſive a veris diſcedat: C. 1.

L diſtare

Digitized by Google

diſtare etiam a Satyra, quod illi liceat eorum nomina proferre,
C. 2. quorum ſententiis adverſatur; quia non perſtringat vitia mo-
rum, ſed opinionum. Ideoque II ne leviter quidem lædi hic
honorem ſcriptorum, quippe qui virtutibus morum maxime in-
nitatur. Sicut enim honeſtisſimi hominis decus non labefacte-
tur ideo, quod de quapiam opinione ille non laudetur; ita etiam
non labefactari ait, ſi quis opinionem iſtam ad Criticen revocet;
utpote quæ non Honori, ſed Laudi tantum, adverſatur, ei ſcili-
cet, quæ virtutibus intellectus & fructibus doctrinæ jure debe-
3. tur. Indecorum quidem aliquando cenſeri poſſe, aliquid par-
ticulare circa mores ignoraſſe: aliquid vero particulare
circa literas neſciviſſe, nunquam inhoneſtum poſſe judica-
ri. Unum Deum eſſe, in quem nulla omnino cadat igno-
4. rantia, quique ſupra omnem cenſuram ſit conſtitutus. Defle-
ctere ergo III Criticam a ſuo officio tunc, cum in maledicta ac
contumelias ſe effundit; propenſosque ad hæc jurgia, ſub ſigno
5. Arietis ortos videri Petronio: illi enim habere dicuntur caput
durum, frontem expudoratam, cornu acutum. Pravam vero
hanc declinationem oriri, ſi quis vel a fine Criticæ, ſtudio nimi-
rum veritatis, diſcedat, vel ultra materiam, ſpecialiter Criticæ
propriam, contendat. Monet ergo IV, ut Criticus ſolum erro-
7. res intellectus attingat, non pravos mores voluntatis, & ad ni-
hil aliud extra quæſtionem ſe transferat. Atque adeo exhiben-
ti oppoſitionem aliquam, licet injuſtam & infirmam, placide ta-
men materiam ſcientificam impugnantem, æque placide eſſe re-
ſpondendum. Ac aliquando quidem modeſte leniterque literariam
controverſiam exoriri; at vero in progreſſu ſæpius peccari. Tunc
enim fieri poſſe, ut convitii autor evadat tam ille, qui ad Cri-
ticam provocabat, quam qui provocabatur. Eum ergo V ſem-
per injurioſum provocantem fore, qui primus eruperit in inju-
rias, etiamſi in negotio ipſo provocatus fuerit: ſive id fiat in
reſponſione injurioſa, ſive in replicatione etiam injurioſa. At-
que tunc veniam indulgendam videri offenſo, ſi paria reddat
offenſori, & contumeliam propulſet. Sed difficile eſſe, liquido
oſtendere poſt longum diſputationis alicujus curſum, quinam
ex diſceptantibus primus ab hisce legibus abierit, atque adeo e-
va-

vaſerit primus provocans injurioſus? Sic in præſenti controverſia provocantem Criticum utique fuiſſe Sbaraleam. In priori autem Diſſertatione ſua nullibi Malpighium ne nominare quidem, & neque in illa, neque in poſteriore, habendum pro provocante injurioſo. Nullibi enim quidquam inveniri, quod morales honeſtæ cenſuræ limites perrumpat. Agi ibi de re ſcientifica, nec præter ipſam fieri ullam digreſſionem. Multoque minus in ipſo titulo Diſſertationis occurrere vocabulum contumelioſum. Malpighii autem poſthumam reſponſionem magis contumeliam, quam cenſuram, referre, & verius dicendam injurioſam provocationem, ſive illa a defuncto dictata, ſive ab aliquo amicorum illius temere fuerit depravata. Similiter Terranovam altero ſtatim Epiſtolæ ſuæ puncto ad moralem materiam deſcendere. Et contra perpetuo tenendum, librum *Vigiliarum* Sbaraleæ nullo pacto haberi poſſe pro provocatione in ordine injurioſo: ſed illum, acriter antea laceſſitum, paulo liberiorem poſtea ſe exhibuiſſe. Curioſam inprimis rem eſſe, quomodo circa unicum locum Luciani *de recta ſcribenda hiſtoria*, ab iſto primum allatum, de fraude Soſtrati, uterque contendentium a ſuſcepta quæſtione potuerit plane deflectere. Quæ omnia majori jucunditate ex Autore ipſo, erudito & facundo, petenda arbitramur.

C. 9.

11.

AN ACCOUNT OF DIVERS CHOICE Remarks taken in a Journey, &c.

h. e.

EXPOSITIO VARIARUM SELECTARUM Obſervationum, in itinere collectarum ab E. VERYARD, M. D.

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1701, in fol. Alph. 4 pl. 4 & Tabb. æn. 2.

SElectas exhibemus Obſervationes ad Geographiam, Hiſtoriam, Politicam, Matheſin, Philoſophiam, qua Moralem, qua Naturalem, pertinentes, quas Autor collegit in itinere per Belgium, Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Siciliam atque Melitam facto. Ex his pauca ſpeciminis loco in medium afferamus.

Digitized by Google

P. 8 poſtquam Auctor Theatrum Anatomicum Academiæ Lugdunenſis, nec non alia rariora, quæ ibidem aſſervantur, prolixe ſatis deſcripſerat, meminit quoque Bibliothecæ publicæ, in qua magnam inſignium MSS. Orientalium multitudinem ſeſe oculis uſurpaſſe teſtatur, quæ Academiæ a Joſepho Scaligero & Jacobo Golio teſtamento legata fuerint. In iis exſtitiſſe egregium quendam tractatum ab Ahmedo Arabica lingua conſcriptum, cujus titulus fuerit: *De Margaritis ex rore genitis*, eumque Profeſſorem Vehtmannum in ſermonem Latinum vertere, & cum publico communicare, tum temporis in animo habuiſſe. Pagina ſubſequenti referuntur nonnulla, quæ ad Hiſtoriam belli inter Hiſpanos atque Batavos intercedentis pertinent, ac inprimis de Lugduno Batavorum narratur, cives hujus urbis feſtum ſolemne anniverſarium tertia die Octobris celebrare, ut memoriam conſervent prodigioſæ liberationis, quæ A. 1574 ipſis divinitus fuit oblata. Nimirum civitas a Valdeſio duce exercitus Hiſpanici obſidebatur. Cum igitur civitatem per longum ſatis temporis intervallum magno animo a vi hoſtium defendiſſent cives, fame tandem compulſi carnibus equorum veſcebantur. Hisce quoque ad unum conſumtis, agmine facto ad domicilium Conſulis Adriani de Verf contendunt, magnis utique clamoribus deditionem urbis efflagitantes, quod, ſi ſuis precibus locus non relinqueretur, ſibi ſine dubio brevi eſſet pereundum. Nihilominus tamen Conſul magno & humanam propemodum ſortem ſupergreſſo animo ipſos ad conſtantiam adhortabatur, poſtulans, ut ſe potius interficerent, ſuumque corpus inter ſe partirentur, atque eo facto ſorte alium ex ſua grege deſignarent, qui eadem deinde fata ſubiret. Hoc magni animi exemplum novum robur civibus ad incitas redactis addiderat, & paulo poſt parte muri oppidani forte fortuna concubia & perobſcura nocte in foſſam cadente, obſeſſores tum hoc ſtrepitu, tum clamore, ab obſeſſis edito, perterrefacti magna cum feſtinatione diſceſſere, firmiter credentes, civitati a Principe Arauſionenſi auxilium eſſe illatum. Sunt, qui ſervant adhuc genus quoddam monetæ chartaceæ, cui durante obſidione juſto valore gaudenti iſta verba erant inſcripta: *Hæc libertatis*

ergo,

ergo, pugno pro patria. P. 45 & ſqq. Problema Franciſci Lini de Iride Latine & Anglice inſeritur, in quo hæ ſex quæſtiones ex regulis opticis per Iridem artificialem luculenter admodum explicantur: 1 unde fiat hic, quod omnes pluviæ guttulæ per aerem deſcendentes æqualiter a Sole illuminentur, nec omnes tamen appareant coloratæ? 2 unde oriatur forma illa circularis? 3 unde fiant hi colores tam vivaces, tam diverſi, cum nec in Sole illuminante, nec in ipſis guttulis illuminatis, ulla videatur cauſa tantæ diverſitatis poſſe aſſignari? 4 unde contingat, quod quinque tantum colores, iique eodem ordine diſpoſiti, conſpiciantur? 5 unde accidat, quod deſcendente Sole aſcendat Iris, eoque aſcendente deſcendat? 6 cur centrum Solis, Iridem efformantis, centrum oculi aſpicientis & centrum Iridis efformatæ ſint ſemper in eadem linea recta? P. 96 per Salonam Galliæ oppidum ſeſe iter feciſſe Auctor narrat, eamque dicit patriam fuiſſe Michaeli Noſtradamo, cui propheticæ, quas ſcripſit, Centuriæ magnam inter Gallos lucem fœneratæ fuerint. Ipſius ſepulchro in ædibus Franciſcanis hæc verba addit fuiſſe inſcripta:

D. M.

Clariſſ. oſſa M. Noſtradami unius omnium mortalium judicio digni, cujus pene divino calamo totius Orbis ex Aſtrorum influxu futuri eventus conſcriberentur. Vixit An. 62 M. 6 D. 10. Obiit Salo MDLXVI. Quietem Poſteri ne invidete. Anna Portia Gemella Salonia conjugi optimo V. F.

Refert inde Fratres hujus ordinis varias de eo fabulas in medium attuliſſe & Auctori noſtro multis verborum ambagibus perſuadere voluiſſe, iſtum prophetam hujus mundi pertæſum hoc monimentum ædificandum curaſſe, eique ſemet ipſum vivum incluſiſſe, lampadem, atramentum atque chartam ſecum habentem, ſimul vero diras pœnas imprecatum fuiſſe ante præſtitutum tempus, quod tum temporis nondum effluxerat, ſepulchrum iſtud aperienti. Hujus vero rei veritatem ex publico monaſterii archivo ſatis probari poſſe contendebant. P. 242 Florentiæ ait in Bibliotheca Laurentiana magnam ſervari multitudinem vetuſtiſſimorum MSS.

 La-

Latina, Græca, Hebræa, Italica lingua conſignatorum, ex quibus ceu typis nondum impreſſis Auctor nominat tractatum Dioſcoridis περὶ ἀντιφαρμάκων; itidem inſigne Græcum MS. opera Veterum continens, qui de Chirurgia ſcripſerunt, nec non opera nonnulla Nicandri, Aphrodiſæum περὶ πυρετῶν & fragmenta quædam Diodori Siculi. Verum dolet Noſter, nemini licere Codices illos deſcribere, ne raritati aliquid decedat, qua in re vix tamen fidem habere Auctori poſſumus. Eadem pagina mentionem injicit ſepulchri doctiſſimi Pici Mirandulani, quod in templo S. Marci ſe vidiſſe teſtatur, cui ſequens Diſtichon fuerit inſcriptum:

Joannes jacet hic Mirandula; cetera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

P. 174 meminit Catacombarum, quæ a Veteribus *Coemeteria, Arenaria* & *Concilia Martyrum* nuncupabantur. Inter eas reliquis palmam præripere dicit catacombam S. Cyriaci ſive S. Laurentii, S. Agnetis, S. Calixti ſive S. Sebaſtiani, & S. Pancratii. Haſce vero a Chriſtianis fuiſſe excavatas, propterea ſibi perſuadere non poteſt, quod veroſimile non videatur, Chriſtianos tam immenſam terræ vim effodere & aſportare potuiſſe, ita ut res ea non fuerit divulgata. Nec minus eos falli autumat, qui aſſeruerunt, Romanos maximam civitatis ſuæ partem ſubruentes tantos ſumtus ſtupendo huic operi impendiſſe, non alio fini, quam ut municipia in hiſce locis ſepelirentur. Curioſa admodum ſunt, quæ adfert p. 295 de Taliſmanis ab Ægyptiis ſive, ut alii dicunt, a Chaldæis inventis. A Græcis appellantur ϛοιχεῖα & τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου τελέσματα: ſunt autem figuræ ex ligno, lapide, vel metallo, prout phantaſia artifici dictitaverit, conflatæ, qui cumprimis ad poſitum ſtellarum attendit, ut nimirum ab hiſce cœleſtibus corporibus influxum recipere valeant. Præterea plures aliæ ſuperſtitioſæ ceremoniæ in ipſis conficiendis peraguntur. Myſtica enim verba pronuntiantur, obſcuri & quos nemo intellectu aſſequi valeat, characteres inſcribuntur, qui vim miracula & ſtupenda opera peragendi ipſis impertiantur. Judaici Doctores contendunt, æneum ſerpentem hujus generis fuiſſe,

nec

nec non, ſi Chronologiæ Samaritanæ fides ſit habenda, avem iſtam æneam, quam Romani in faſtigio montis Garizim collocaverunt, quæ cum Sole vertebatur, &, ſi Samarita appropinquaret, exclamabat *Hebræus*, ita ut Romani hoc ſigno admoniti accurrerent atque Samaritam occiderent.

Auctor noſter non ſolum Europam, verum etiam magnam Regionum Orientalium partem, peragravit. Inde accuratam ſatis deſcriptionem exhibet Candiæ, Ægypti, Maris rubri, Deſertorum Arabiæ, Montis Horeb & montis Sinai, nec minus ſtatum orarum Palæſtinæ, Syriæ, Aſiæ Minoris itidem, Helleſponti, Propontidis & Conſtantinopoleos, tandemque variarum Inſularum in mari Ægeo ſitarum luculenter exponit. Cum vero in iis plurima occurrant, quæ ab aliis quoque paſſim ſunt commemorata, filum hic abrumpimus, ne nimia prolixitate Lectorum patientia abuti videamur.

A CONTINUATION OF SAMUEL PUfendorfs Introduction, &c.

h. e.

CONTINUATIO SAMUELIS PUFENDORfii Introductionis in hiſtoriam potentiſſimorum in Europa Regnorum & Statuum, usque ad Annum MDCCIV.

Lond. apud A. & J. Churchill & Richardum Baſſet, 1704, 8. Conſt. 1 Alph. & plag. 17.

UT omnia, quæ ab Illuſtri Pufendorfio exarata proſtant, ingenii monimenta, quacunque bonæ literæ florent, maximo cum eruditorum plauſu ſuſcepta fuerunt; ita quoque in Anglia non defuere, qui iisdem ſuum ſtatuerunt pretium. Inde factum eſt, ut præſtantiora hujus Viri ſcripta reliqua in linguam ſuam diligentisſimo ſtudio non ſolum transtulerint, ſed etiam Introductionem, quam in hiſtoriam potentisſimorum in Europa Regnorum adornavit, ab eo tempore, quo Vir illuſtris deſinit, usque ad annum 1705 continuari curaverint. Hanc enim continua-

Digitized by Google

nuationem J. Crullius, Med. D. Regiæque Societatis & Collegii Medici Londinenſis Socius, qui nomen ſuum in præmiſſa dedicatione profitetur, exoptatisſimo ſucceſſu perfecit, Pufendorfianæ methodo arctisſime inſiſtens. Paulo fuſius tamen rerum in Anglia geſtarum hiſtoriam perſecutus eſt. Exiſtimabat enim, ſe rem præſtiturum exteris imprimis vehementer gratam, ſi *Jacobi II* e patrio Regno expulſionem, quæ interim evenit & omnium memoratu maxime digna eſt, plenisſime haberent enarratam. Et fatendum ſane, nihil a Viro clarisſimo fuiſſe prætermiſſum, quod ad ejus illuſtrationem aliquid adferre poſſet. Nec hoc putat a Pufendorfiano inſtituto eſſe alienum, ſiquidem & Pufendorfius, quod Sueciæ Regi ſubjectus eſſet, integro volumine Regni hujus fata complexus ſit, cum interim reliquorum Regnorum hiſtoriis vix tot plagulas ab ipſo videas impenſas. Ceterum & illa ad calcem cujuslibet Capitis adjecit, quæ Principum rationes, quas ad ſui conſervationem ſequi debeant, videbantur concernere. Nam licet Pufendorfius idem argumentum jam attigerit, magnaque ingenii luce excuſſerit, ab Auctore tamen noſtro non penitus erat nunc negligendum, poſtquam totius Europæ conditionem, facta Hiſpaniarum cum Galliis unione, mirum in modum immutatam deprehendiſſet.

JO. ALBERTI FABRICII BIBLIOTHECA Latina, ſive Notitia Auctorum Veterum Latinorum, nova hac editione ſic recognita, ut novum opus videri poſſit.

Hamburgi, apud Benjaminum Schillerum, 1708, 8.
Alph. 2 plag. 12.

UNdecimus jam annus eſt, ex quo Bibliotheca hæc, ſive veterum Auctorum Notitia, in Actis etiam noſtris A. 1697 p. 109 recenſita, primum prodiret. Etſi vero tumultuarium tantummodo & inchoatum opus illud fateretur Auctor doctiſſimus, tanto tamen plauſu liber excipiebatur, ut propter emolumentum, quod in rei literariæ ſtudioſos redundare videbatur, Londini A. 1703 recuderetur, additis hinc inde, ut inſcriptio ipſa præ ſe

fert,

Digitized by Google

fert, præſtantioribus auctorum veterum editionibus, a Fabricio noſtro omisſis. Hinc forte ipſe Auctor novum cepit conſilium operi ſuo manus denuo admovendi, quæque deſiderabantur, attexere ſtatuit, qui pertinaci tandem induſtria, ſtudioque indefeſſo, illud conſecutus eſt, ut & priorem & Londinenſem quoque editionem longe poſt ſe reliquerit, ut plane novum opus videri posſit. Nam cum in priori editione nonnullos ſcriptores veteres & eorum ſcripta intacta reliquiſſet, & præſtantiores ſæpe editiones omiſiſſet, ea omnia fideliter hic inſeruit, diſpunxit etiam multa, quæ curis poſterioribus mutila & falſa deprehenderat. Opus vero ipſum in quatuor libros, & hos deinde in capita & paragraphos, diſtinxit: prioribus tribus libris veteres auctores non eccleſiaſticos ordine chronologico recenſet, quorum ætatem, patriam & fata breviter carptimque enarrat: tum ſcripta, quæ ætatem noſtram tulerunt, accurate exponit, genuina a ſuppoſitis diſtinguit, nec deperdita omittit, quæ ex variis auctoribus cum ſumma cura collecta adducit: ſequuntur Commentatores veteres ac recentiores, & illos tum ex ſuo, tum aliorum, judicio interdum percenſet: varias itidem operum editiones vetuſtiſſimas & præſtantiſſimas obſervat, & Aldorum maxime, Stephanorum, Plantinorum, rationem habet, non neglectis vilioribus: his addit varias verſiones auctorum in alienas linguas factas. Ultimus hujus Bibliothecæ liber offert nobis veterum ſcriptorum fragmenta, collectiones Grammaticorum, Rhetorum, aliorumque, non omiſſis JCtorum ac Medicorum ſcriptis. Denique ſcripta quædam ſuppoſita recenſet, & nobiliorum typographorum commemoratione ac Indicibus pleniſſimis librum integrum abſolvit. Ex qua brevi hujus Bibliothecæ recenſione facile patet, Lectorem multum inde fructus ac emolumenti ſibi poſſe jure meritoque promittere.

ELOGIUM JO. GODOFREDI HERRICHII.

Fit ferme hodie pro temporum noſtrorum vel elegantia, vel fugiendorum aut ſumtuum, aut moleſtiarum, ſtudio, ut rerum circa beate defunctos, quorum in exequiis antiquioribus teſtatiſſima reddebatur memoria, nulla amplius fiat commemora-

tio. Intereſt autem rei literariæ, ne & omnis humanitatis & literarum inprimisque cum Latinarum, tum Græcarum, conſultisſimus vir, Jo. Godofredus Herrichius, ante hos quatuor annos exſtinctus,& novis ceremoniis tumulatus, æterno tenebrarum atque obſcuritatis ſitu atque ſqualore involvatur & occidat. Et natum quidem accepimus duodecimo die menſis Aprilis anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono Carsdorffii, qui pagus eſt in agro Thuringiæ Friburgenſi ad fluvium Unſtrutam ſitus. Patrem habuit M. Petrum Herrichium, Con-Rectorem primum Portenſem, Paſtorem deinde Carsdorffenſem, IV Non. Febr. A. 1657 defunctum. Mater vero fuit Catharina, Laurentii Hoffmanni, Paſtoris diœceſeos Friburgenſis Balgſtadienſis, filia. Ad ſtudia literaria aptum deprehenſum domi pater ipſe primum inſtruxit, cumque ob multiplicia negotia ſubinde ille impediretur, Joannes Sauerus, ad Paſtoratum poſtea Stagrenſem promotus, cujus curæ fideique, poſtquam munere Eccleſiaſtico fungi ille cœperat, ſubtractus ad Scholam Portenſem acceſſit, exacto ibidem biennio, Halam venit, Virorum celeberrimorum, Gueinzii Rectoris & Caleni Con-Rectoris, doctrinam hauſturus. Ab hoc loco Lipſiam translatus civis Academicus factus eſt Rectore Magnifico, Joanne Michaelis, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo, commendatione Chriſtiani Friderici Franckenſteinii & L. Philippi Mulleri præcipue uſus. Hinc poſt biennium domum avocatus eſt, partim quod, unde viveret, pater amplius ſuppeditare non poterat, partim ut vices ejus interdum in ſuggeſtu ſubiret. Et ita quidem his exercitationibus excultus eſt, ut dignus non parenti ſolum, ſed Antiſtiti tum etiam Friburgenſi, M. Chriſtophoro Dauderſtadio, videretur, qui parenti in munere Eccleſiaſtico adjungeretur. Sed maluit literis & ſibi adhuc vivere. Hocque conſilio primum Noribergam petebat; cumque per tempus ibi ſubſtitiſſet, Argentoratum anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto adiit, inſertusque Albo Academico Rectore D. Melchiore Sebizio, quam ex informandis aliis collegit, ſtipe vixit, donec ſummæ celebritatis Theologus Danhawerus innoteſcentem ſibi ſcriptis, quæ edebat, deſcribendis, locisque, quæ in iis allegabat, ex aliis, inprimisque

Græ-

Digitized by Google

Græca lingua in Latinam vertendis, adhibebat. Audiens vero A. 1656 imbecillitate valetudinis affligi parentem, Argentina relicta in patriam rediit. Sed veniens cum virum ipſum ægrotantem jam mortuum offendit, tum munus a patre relictum alteri jam delatum. Ut haberet igitur, unde ſuſtentaretur, quos humanioribus literis imbueret, quærebat, conſcriptaque adeo a ſe & in ſcholis inferioribus & in Academiis carmina primum M. Pretnizio, qui tunc Sereniſſimi Adminiſtratoris Magdeburgici Sobolis maſculini ſexus illuſtris ſtudiis literariis præfectus erat, eo fine obtulit. A quo ſumme reverendo Oleario, qui tunc Aulæ dicti Adminiſtratoris a Sacris primariis erat, commendatus, cum ægrotantem Lipſiæ D. Johannem Benedictum Carpzovium, Theologum, Patrem, inviſeret, quærenti liberis tribus natu minoribus præceptorem, non commodiorem facile repertum iri, quam Herrichium, affirmavit, reverſusque etiam domum Herrichio, ut Lipſiam ſe conferret, auctor fuit. Qui, quantum potuit, feſtinans, ipſi quidem Carpzovio non amplius vivo ſiſti non potuit; ſummi tamen Theologi D. Martini Geieri, beatiſſimi Carpzovii Generi, conſilio officio, quod quærebat, a vidua præfectus fuit. In qua functione quantam fidem & dexteritatem præſtiterit, & innumera alia teſtimonio ſunt, & ſummorum munerum amplitudo & meritorum præſtantia, & fama inter eruditos diffuſiſſima trium Carpzoviorum, qui ex cultura ejus prodierunt, demonſtrant. Non fugit enim quemquam facile excellentia ſuperioribus annis exſtinctorum Auguſti Benedicti Carpzovii, Codicis Prof. Publ. in hac Academia, Conſiſtorii Eccleſiaſtici, Curiæ ſupremæ provincialis, Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris, Academiæ Decemviri, & Canonici Martisburgenſis, Samuelis Benedicti Carpzovii, Sereniſſimo Regi & Electori Saxoniæ in aula Dresdenſi a concionibus primariis & conſiliis Eccleſiaſticis, & Friderici Benedicti Carpzovii, Polyhiſtoris famigeratiſſimi, & urbis hujus Ædilis ſpectatiſſimi. Nec defuerunt fidei dexteritatisque præmia. Nam inter medios labores Magiſterii Philoſophici inſignia A. 1661 adeptus eſt; & poſtquam per ſeptem annos commiſſos Carpzovios imbuendo idoneos ſtudiis Academicis fecit, a Nobiliſſimo hujus urbis Senatu Scholæ Ni-

colaitanæ primum Con-Rector principio ſtatim anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi quarti, & poſt elapſos duodecim annos anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto Rector menſe Aprili factus eſt; in qua adminiſtratione usque ad A. 1693 ſubſtitit, quo tempore ob ingraveſcentem ætatem a Nobiliſsimo Senatu dimiſſus & rude donatus, alimentisque neceſſariis usque ad vitæ finem ſuſtentatus eſt. Obiit vero A. 1705 die vigeſimo octavo Januarii poſt horam decimam matutinam, poſtquam poſt longam ſatis virium imbecillitatem, quam ſenſit, ſubito alvi profluvio, quod nullus Medicus compeſcere valuit, die vigeſimo ſeptimo Januarii correptus, altero, ut prædictum eſt, die animam, a ſumme Reverendo Viro D. Seligmanno, cujus curis eam commiſerat, ſacro epulo paſtam, calidisſimisque precibus Deo commendatam, exhalavit. Et poſſent quidem ad commendandam Viri claritatem edecumatisſima ſcripta allegari, queis nihil Muſis acceptius, nihilque magis vel eruditione, vel elegantia, cum Gratiis Phœboque ipſo contendere de victoria posſit. Ex multis enim quid oda Græca ejus de herba Thee terſius & nitidius? quam dignam utique cenſuit Cl. Henr. Chr. Henninius, quam obſervationibus ſuis ad Jac. Tollii Epiſtolas Itin. p. 80 ſq. totam inſereret. Quem Latinarum elegantiarum ſingularitate non in admirationem rapit Adonis ejus, ſeu diſticha in Evangelia Dominicalia Beuſtii JCti verſibus Adonicis reddita? Quid ceteris carminibus ſeu Græcis, ſeu Latinis, elaboratum magis? Quorum nonnulla vel colligere, vel ex manuſcriptis in publicum edere, noſtrum aliquis meditatur, quem niſi bonus quisque juvet, dignus erit, qui, quicquid Pindo favet, adverſum habeat & infenſisſimum. Inprimis apparet viri in tractandis Græcis literis intelligentia ex explicatione marmoris cujusdam antiqui, quod Roma Lipſiam transmiſſum erat ad explorandam ſententiam eorum, qui hæc Eruditorum Acta colligunt. In quo intelligendo cum Lectorum oculis per ruditatem & oſcitantiam ſculptoris temporisque injuriam nebulæ offuſæ eſſent, ita ut ne Itali quidem ſatis caperent, Herrichius, dum vel transpoſita in ſuum locum repoſuit, vel voces probe ſeparavit, vel paucas etiam literas, quæ perperam inciſæ, aut mutilatæ, erant, emendavit, & lectionem inſcri-

ſcriptionis genuinam reſtituit, & ſenſum ejus ſatis planum ac perſpicuum reddidit. Ipſa inſcriptio exhibetur in Actis noſtris A. 1696 menſe Oct. p. 482, easque emendationes probatas fuiſſe Italis, ſpeciatim doctiſſimo Jo. Paſtritio, qui novam ſaltem verſionem dedit, obſervatum nobis eſt in Actis A. 1698 p. 203. Ceterum Herrichium Tollius feliciſſimum vocat priſcæ Poeſeos Græcæ cultorem, quanquam hoc elogium longe eſſe infra illius merita & eruditionem fateatur Henninius l. c. p. 79.

HISTOIRE DU COMTE DE MANSFELD.

h. e.

HISTORIA COMITIS MANSFELDENSIS.

Luxemburgi, apud Andream Chevalier, 1707, in 12.
Conſtat 4½ plag.

BRevis hic exhibetur Petri Erneſti, Comitis Mansfeldenſis, hiſtoria. Natus nimirum fuit Heros inclytus A. 1519 die 20 Julii, Patre Erneſto, Comite Mansfeldenſi, & Matre Dorothea, Comite Solmenſi. Simul ac ætas pateretur, in aulam Ferdinandi Romanorum Regis & poſt Caroli V. Imperatoris conceſſit, a quo & dignitate Magiſtri Stabuli ornatus eſt. Hunc in expeditione Africana A. 1535 adverſus Tunetanos ſuſcepta noſter annos natus ſedecim ſecutus, poſt reditum ab eodem in Belgio militari muneri præfectus, multis expeditionibus bellicis, obſidionibus item atque præliis ſumma cum laude interfuit, & temporum ſucceſſu pluribus ab eodem Imperatore filioque Philippo II cumulatus eſt honoribus. Cum A. 1569 Carolo IX Regi Galliæ contra Proteſtantes cum copiis auxilio mitteretur, tam feliciter rem contra eos geſſit, ut Rex eum *Coronæ ſuæ Protectorem* ſalutaret. Ejus ope Provincia Luxemburgenſis in Belgio ſub Hiſpanorum dominio fuit conſervata, unde in memoriam raræ fidelitatis ſequens in arcis Luxemburgenſis introitu legitur inſcriptio: *In Belgio omnia dum vaſtat civile bellum, Mansfeldus bello & pace fidus, perpetuus æquitatis cuſtos, æquiſſimi Regis Legatus, hanc Provinciam in fide continet, ſervatque illæſam cum ſummo populi commodo & hilari ſecuritate, unde Mansfeldi nomen apud gentem Luxemburgam*

Per ſæcula clarum manebit. Anno 1592 & ſequenti Gubernator fuit Belgii Hiſpanici ad adventum usque *Erneſti,* Archiducis Auſtriæ A. 1593 optabat eum *Mauritio*, Principe Arauſionenſi, acie congredi, qui caſtra munita egredi auſus non eſt. Cumque e buccinatore ad ſe miſſo noſter quæreret: *cur Princeps prælium declinaret?* reſpondiſſe hic fertur: *Princeps meus æque ac tu ſenior belli Dux fieri geſtit.* Rudolphus II Imp. Rom. inſignia Mansfeldi merita perpendens A. 1544 eum cum deſcendentibus utriusque ſexus ad dignitatem Principis Imperii evexit.
p. 76. Deceſſit tandem Heros fortisſimus Luxemburgi A. 1604, die 22 Maji, anno ætatis ſuæ 85, ubi ſequens nactus eſt Epitaphium:

D. O. M.
QUI TUMULUM VIDES VIRUM COGITA
HIC ILLO MAJOR EST
PETRUS ERNESTUS
S. R. I. PRINCEPS
MANSFELDIÆ COMES EQUES VELLERIS AUREI
EX EA STIRPE QUÆ ET SERIEM CÆSARUM AUXIT
AD ARMA ET IMPERIA NATUS
SUB CAROLO CÆS. PHILIPPO REGE ALBERTO ARCHID.
NUNC PRÆLIANDO NUNC REGENDO FELIX
EUROPÆ IN SE OCULOS CONVERTIT
CONDÆO PROFLIGATO TITULUM SERVATÆ GALLIÆ
A CAROLO IX ACCEPIT
ANTVERPIA CAPTA TANTÆ VICTORIÆ SOCIUS
A FARNESIO AGNITUS
HONORES ADJUNGO SED MAXIMOS
PROVINCIÆ LUXEMBURGENSI ANNIS LIX PRÆFUIT
EXERCITUS REGII MARESCHALLUS
CONTINUO FUIT
ETIAM SUMMUS BELGICÆ GUBERNATOR
POSTQUAM III VICES SUMMI GESSISSET
ANNIS NATUS LXXXV LUXEMBURGI
OBIIT VIII KALEND. JUNII
cIↃ IↃ c IV
CAROLUS MANSFELDIUS F. PATERNO TUMULO
HANC MEMORIAM INSCRIPSIT.

Extru-

Digitized by Google

Extruxerat idem non procul ab urbe Luxemburgenſi magnificum palatium, in cujus ingreſſu hæc aureis literis picta inſcriptio hodienum conſpicitur:

Petrus Erneſtus Comes in Mansfeld, Gubernator Ducatus Lucemburgii & Comitatus Chiny: Eques aurei Velleris: Regii Exercitus Mareſchalcus, Conſilii Status Senator, poſtquam annos LVI miniſterio invictorum & Augg. Principum D. Caroli V Cæſaris & Philippi Regis Catholici deſerviviſſet. Cum jam inde a bello Africæ ad Tunetum, quo primum militarat, omnibus pene in poſterum expeditionibus, conflictibus, urbium expugnationibus, interfuiſſet, indeque Belgio domeſticis motibus turbato, conſtantem in omnem partem ſuam Cæſari ac Regi fidem comprobaſſet, ac varios ampliſſimarum dignitatum honores, belli atque pacis munia adminiſtraſſet, ad ſupremam inde a Rege Catholico, totius Belgii Burgundiæque præfecturam accerſitus exſtitiſſet, hos fontes atque ædes exciſa rupe, valle complanata D. O. M. Regi Domino ſuo, quibus immortales atque immenſas agit gratias; ſuæque, quod precatur, ſenectutis tranquillitati D. D. anno MDXC.

A GENERAL TREATISE OF MONIES AND Exchanges.

h. e.

TRACTATUS GENERALIS DE MONETIS & Cambiis.

Londini, apud S. & J. Spriet, J. Nicholſon & R. Smith, 1707, in 4. Conſtat 5 Alph.

LE NEGOCE RENDU FACILE.

hoc eſt,

NEGOTIATIO FACILITATA, PER MONERIUM DE CLAIRE-COMBE.

Lon-

Londini, apud Davidem Mortier, 1708, in 4.
Conſtat Alph. 1 plag. 17.

L'ART DE BIEN TENIR LES LIVRES DE Compte,

h. e.

ARS RATIONES EXPEDIENDI, AUTORE SAMUELE RICARDO.

Amſtelodami, apud Paulum Marret, 1709, in fol.
Conſtat Alph. 2 plag. 14.

Tres hi libri Bibliothecam Mercatoris abſolvere non immerito dicuntur: omnia enim continent, quæ ad mercaturam exercendam ſcitu neceſſaria exiſtunt. *De Claire-Combe* parte prima operis ſui Arithmeticam practicam ita explicat, ut multis continuo exemplis eandem illuſtret, quæ in re mercatoria occurrere ſolent. Parte altera eandem ad cambia applicat, prout in Anglia, Batavia & Gallia uſitata. Ea occaſione de diverſis quoque monetarum in memoratis regionibus generibus agit, & præcipuorum locorum menſuras ac pondera inter ſe confert. Idem hoc argumentum plenius perſequitur Anonymus Anglus. Etenim ex Gallico ſermone in Anglicum tranſtulit Tractatum alterius cujusdam Anonymi Galli de monetis & cambiis, ita tamen, ut hinc inde eundem immutaverit. Præmiſit elementa ſcientiæ cambiorum, quæ generalem ad cambia introductionem continent. Addit verſionem legum de commerciis in Gallia latarum, nec non *Henrici* cujusdam Tabulas reductionis monetarum & cambiorum præcipuorum in Europa locorum, una cum Actis Parlamenti Anglicani de commerciis. Ex variis Autoribus congeſſit, quæ commercia præcipuarum regionum ac urbium concernunt, ita ut ſimul Geographiam mercatoriam exhibuiſſe dicendus ſit. Exhibuit denique verſionem Tractatus generalis de menſuris & ponderibus per univerſum orbem Chriſtianum occurrentibus, a *Ricardo* Gallice conſcripti. *Ricardo* explicare propoſitum eſt, quomodo libri rationum conficiantur, & rationes optime expediantur: id quod veluti anima mercaturæ haberi debet. Præmittit Indicem Alphabeticum terminorum inter Mercatores uſitatorum, Lexicon adeo mercatorium exhibens.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV. Sect. III.

THE HISTORY OF THE REIGN OF HENRY the Fifth, King of England, &c.

i. e.

HISTORIA RERUM GESTARUM HENRICI V, Regis Angliæ, &c. Libri novem.

Londini, apud S. & J. Sprint & rel. 1704, fol. Alph. 4.

TAnta fuit Henrici V rerum domi foriſque geſtarum gloria, ut mirum ſit utique, tam paucos hactenus exſtitiſſe, qui ejus vitam ſigillatim deſcripſerint. Nam præter Petrum Baſſetum, Henrici familiarem, quem Jo. Pitſeus nonnihil commentatum teſtatur de Script. Angl. p. 616, unus fere pſeudonymus, Titus Livius, Hiſtoriam hujus Regis ſcripſit, quam Henrico VI dedicavit, ſed hactenus nondum editam, ut refert Wilh. Nicolſon, Rev. Carleolenſium hodie Epiſcopus, in Bibl. Angl. Vol. I p. 217. His nunc accedit Thomas Goodwin, edita ante paucos annos Henrici V vita, in qua concinnanda non vulgatos modo hiſtoricos præſtantiſſimos, Gallos imprimis, qui res Caroli VI, qui coævus Henrici & æmulus fuit, deſcripſere, ut Monſtreletum, Fabrum, Urſinum, le Bouvier & ſimiles, verum & MSpta, ut illam Livii Hiſtoriam, Anonymi Hiſtoriam Angliæ, quæ ad tempora Henrici VI pertingit, tum archiva &

 alia

alia monimenta a Thoma Rymero, Hiſtoriographo Regio, Johanne Sotherby, aliiſque liberaliter communicata, diligenter in conſilium adhibuit. Ceterum non tam politam ſcribendi rationem, quam veritatis ſtudium, ſectatus eſt, & ubi diſſentientes a ſe invicem hiſtoricos offendit, ipſa eorum verba transſcribere dignatus eſt, judicio Lectoribus relicto. Nos pauca delibabimus.

p. 2. Cum juvenis exiguam de ſe ſpem præbuiſſet Henricus,
mores quippe minus pacatos prodens, dici non poteſt, quantum
fuerit immutatus, cum primum ſe ad ſceptra vocatum ſenſit,
ſiquidem pravos, quos antea habuerat, ſocios, jam ſumma
quæque ſpe devorantes, cum exiguo viatico donaſſet, a ſe dimiſit,
decemque ab aula milliaribus abeſſe præcepit. Cumque
Regni Senatus paratam Regi fidem jurejurando ante coronationem
ſolennem, qua Rex ſubditis obſtringi ſolet, confirmandam
offerret, pronum ſubditorum erga ſe affectum laudavit, deque
ſua viciſſim in Regnum voluntate multa teſtatus, demum addidit,
ſe Deum precari, ut, ſi ſe improbum Regem, aut injuſtum, futurum
prævideat, protinus dignetur ſe rebus humanis eximere,
ne dilectis olim ſubditis calamitatem pariat. Principio fere
15 ſq. regiminis Henrici A. 1413 Joanni Oldcaſtle, qui & Cobhami
nomen e familia uxoris adſcivit, viri nobili proſapia & antiqua
pietate & fide, magnaque in aula auctoritate, ob hæreſin mota
lis eſt a clero Anglicano. Is cum Wicleffiſtarum, ſive eorum,
quos vulgo *Lollards*, ſeu *ignavos*, vocabant, caput quoddam crederetur,
publice accuſatus eſt in Synodo, &, quamvis cauſam
egregie S. Scripturæ præſidio tueretur, eo tamen prævaluere cle-
26. ri artes, ut capite damnaretur, decreto inſuper facto, ne quis auderet
S. Biblia Anglice transferre. Et elapſus quidem eſt e
carcere Cobhamus, at, cum rebellionis adverſus Regem concitatæ
nonnulli eum arguiſſent, poſt aliquot annos, largo proditoribus
præmio promiſſo, deprehenſum A. 1418 e patibulo ſuſpende-
32. runt, & ſubjecto igne cremarunt; de Arundellio vero, Archi-
Epiſcopo Cantuarienſi, obſervatum eſt, eum paulo poſt recitatam
ſententiam illam amiſſo protinus vocis uſu exſpiraſſe. De Comite
39. Verovicenſi, qui cum aliis ad Conſtantienſe concilium legatus

fuit,

fuit, refertur, cum Conſtantiæ a Duce quodam provocatum, tam fortiter ſe geſſiſſe in duello, ipſo Duce occiſo, ut & Sigismundus Imp. proprium ei enſem dono tradiderit, & conjux Imp. affectum teſtatura, ſymbolum Comitis, urſum ex humeris cujusdam, qui e familia illius erat, detractum propriis affixerit. Celebris eſt pugna ad Dagincurtum, Galliæ viculum, A. 1415 p. 84 ſq.
commiſſa, qua, ſuperiores licet numero, Galli ingenti victoria ſuperati ſunt. Præclara hic Henricus ipſe virtutis ſpecimina edidit, Alenconii imprimis Ducis impetum fortiſſime ſuſtinens; 89.
victoria vero moderate uſus eſt, ita ut ad Deum, qui peccata Gal- 91.
lorum punire decreviſſet, omnia referret, & pacem exinde non minus ſerio exoptaret. Graviſſime quoque ſolatus eſt Aurelianenſem, qui impatientius ferebat captivitatem, his verbis eum 94.
compellans: *Bono ſis animo, mi Amice; neque enim tibi virtute præferendus ſum, quod vicerim, ſed voluit ita ſupremum Numen, quod cum peccata tuæ gentis provocaverint, te fatis obſtrepere haud conveniit.* Inde ut Gallos Anglosque conciliaret, nihil omiſit Sigismundus Imp. eoque iter in Galliam ſuſcepit A. 1416, ubi per- 101.
honorifice exceptus, in publico Regni conſeſſu, quem Parliamentum vocant, abſente Rege, Regiam ſellam occupavit. Quanquam minus placuit Carolo, Imperatorem in eadem celebritate judicis quoque atque adeo Regis partes ſibi ſumpſiſſe. Nam cum duo in poſſeſſionem Belloquadri immitti cuperent, 103.
quorum alter, etſi jure haud inferior, nobilitate carebat, Sigismundus protinus hunc correpto gladio equidem creavit, moxque lata a Parlamento ſententia Belloquadrum eidem adjudicatum eſt. Trajecit inde in Angliam, ubi a Comite Verovicenſi tanta lautitia exceptus eſt, ut ipſe Imperator apud Henricum prædicaret, ſi omnem humanitatem interire contingeret, poſſe eam ab hoc Comite reperi, ex quo factum, ut hic Pater urbanitatis (*the Father of Courteſy*) fuerit vulgo appellatus. Sed ipſi quoque Angli ab auctoritatis Cæſareæ exercitio metuiſſe ſibi viſi ſunt: quippe appulſuro ad Doveræ caſtrum Cæſari Dux Gloceſtriæ, Regis germanus, idemque arcis præfectus, una cum nobilibus pluribus, gladios monſtrantibus vagina vacuos, obviam factus indicavit, *ſe dignum quidem Cæſari honorem nequaquam negaturos,*

ſi pacis mediatorem induat, at, ſi jure Cæſaris uti in Anglia geſtiat,
jura ſe ſua & libertatem enſe defendere paratos. Ad hæc cum Cæ-
p. 104. ſar, ſe pacem unam curare, reſpondiſſet, magna pompa dedu-
ctus ad regem, ei cor S. Georgii, qui ſummus Angliæ Patronus
habetur, obtulit, & aurei viciſſim Periſcelidis ordine ornatus eſt,
Rege primarium ubique locum occupante, quem Cæſari tamen
in ſolennibus epulis ſponte & ultro conceſſit. Multum deinde
de pace inter utramque gentem concilianda laborabat Sigismun-
dus, cumque ſe deludi a Gallis demum intellexiſſet, fœdere cum
109. Henrico Angliæ Rege firmato, Caletum atque inde Conſtan-
tiam rediit, quam Periſcelidis ſymbolo torque (quem perpetuo
104, 145. fere in gratiam Anglorum geſtabat) ornatus, mirantibus novi-
tatem Germanis, ingreſſus eſt. Quæ deinde ultro citroque de
pace Gallos inter & Anglos tentata fuerint, & qua ratione ea
demum A. 1420 coaluerit, ducta ab Henrico Catharina, Ca-
roli VI filia, & Ludovico filio Regni Gallici hæreditate excluſo,
pluribus hic recenſetur, atque inter alia obſervatur, nummos ab
294. Henrico in Normannia ante pacem factam cuſos fuiſſe cum in-
ſcriptione: HENRICUS FRANCORUM REX, poſt
pacem vero cum lemmate: HENRICUS REX ANGLIÆ
ET HÆRES FRANCIÆ.

MISCELLANEOUS TRACTS.
ſeu
TRACTATUS MISCELLANEI; AUCTORE MICHAELE GEDDES, J. U. D. & Cancell. Eccl. Sariſbur.

Volumen III.

Londini, apud A. & J. Churchill, 1706, 8.
Alph. 1 pl. 14.

QUæ rerum miſcellanearum nativa velut indoles eſt & conditio, ut varietate ſua ſcita & docta tum delectent animum, tum erudiant: eam in *Geddeſii*, Eccleſiæ Sariſburienſis Cancellarii, lucubrationibus variis tum quidem jam animadvertimus, cum Volumen alterum Tractatuum ejus Miſcellaneorum (M. Novembr. 1707 pag. 482) recenſeremus. Nunc cum Voluminis

luminis quoque tertii ſynopſis quædam ſuccincte ſit adornanda, id ſub initium ſignificandum exiſtimavimus, quod *Volumen* hoc *tertium*, Rev. *Gilberto Burneto*, Epiſcopo Sarisburienſi & Ordinis Periſcelidis Cancellario, inſcriptum, *VII* abſolvatur *Diſſertationibus*, ad res maxime ſacras & lites Proteſtantium cum Eccleſia Romana ſpectantibus.

Et *prima* quidem Voluminis hujus *Diſſertatio* multarum rerum Eccleſiaſticarum, ex uno fonte diſceptatarum, farraginem ſiſtit, ita ut tum cultum imaginum & Angelorum, Sanctorumque adorationem, juxta & dogma de Purgatorio & ſeptem Sacramentis, tum transſubſtantiationem & ſurreptum plebi in S. cœna calicem, item miſſam privatam & Sacramenti adorationem, tum immiſſionem panis in os communicantis manu ſacerdotis, hujusque iu uſu S. cœnæ non communicationem, nec non confeſſionem auricularem, ejusmodi dogmata ritusve eſſe, Geddeſius evincat, quæ ſub initium Seculi VIII, cum Mauri rerum in Hiſpania potirentur, Eccleſiæ iſtius temporis Hiſpanæ, adeoque antiquiſſimæ, penitus & æque fuerint ignota, ac Papæ primatus & poteſtas ſuprema. Cui rei ut robur accedat, provocat Noſter ubivis ad ſilentium illud conſtans & perpetuum Conciliorum XL, quæ a primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ Hiſpanæ ad Seculum usque VIII ibi fuere celebrata; prout in ſecundi etiam Voluminis recenſu antea meminimus. Hæc enim tantum abeſſe, ut ullius memoratorum modo dogmatum, aut rituum, uſpiam mentionem faciant, ut potius, quod ad cultum ſpeciatim imaginum attinet, Canon VItus Concilii Eliberienſis hæc verbis expreſſiſſimis edicat: *Placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Confirmat præterea hoc argumentum ſilentio ſolenni Officii Moſarabici; item S. Iſidori, Pereſii, Cardinalis Bonæ, aliorumque, teſtimoniis, qui, prædicta dogmata ſeculis octo primis Eccleſiæ Hiſpanæ prorſus incognita manſiſſe, uno omnes ore affirmant. Uti proinde in cenſu ſcriptorum profanorum ſilentium illud Herodoti, aut Livii, aliorumque Auctorum, tum Græcorum, tum Latinorum, argumento eſſet invicto & evidenti, quod, cum ipſi in commemoratione prælii alicujus

 nul-

nullam tormentorum bellicorum & pulveris pyrii mentionem injiciant, inſtrumenta idcirco iſta bellica ipſorum ætate in uſu nondum fuerint, nec cognita: ſic ex ſilentio monimentorum vetuſtiſſimorum idem, concludit Noſter, licet in Eccleſia Hiſpana de ritibus & dogmatibus ſacris tuto colligere. Ac cum etiam laudatiſſima illa Hiſpaniæ veteris Concilia gratiarum ſemper actionem adjectam habeant, ad Regem tum imperantem poſt Deum, ſolenni ſeculorum iſtorum more, directam; quod nempe ejus auctoritate & juſſu congregati Eccleſiæ Doctores de rebus ſacris & Eccleſiæ ſalute conſultare potuerint ac decernere: inde quod parem & æqualem prorſus Britanniæ Principes hoc ævo imperantes poteſtatem Eccleſiaſticam cum Hiſpaniæ Regibus antiquiſſimis obtineant, ultimo & appendicis velut loco ad primam in Volumine ſuo ſecundo Diſſertationem Geddeſius contendit.

Altera Diſſertatio methodos varias examinat, quibus Eccleſia Romana vulgum & populum ſuum intra terminos contineat & velut faſcinet, ne in errorem fidei ſuæ & cultus corrupti agnitionem quocunque modo perveniant. Principio Pontificios ſat multos perpetuo cum Judæis, Mahomedanis, & Gentilibus, præjudiciam commune vulgo ſuo obtrudere: quod fides & religio, quam patres & majores ſui habuerint, & in qua ipſi nati fuerint & educati, tenaciter omnino tenenda ſit, & ad poſteros uſque omni niſu propaganda. Sed quia hæc via religionem Pontificiam ſartam tectamque conſervandi aliis incerta admodum videatur & lubrica, inde alios, & quidem ipſa Eccleſiæ Romanæ capita, hunc populum in poteſtate ſua continendi modum inire: ut *primo* omnes ei dudum obfaſcinato vias præcludant, quibus vel aliqua ſaltim ratione ad cognitionem errorum ſuorum pervenire poſſit; *ſecundo* ut ſub deformi valde facie religiones ipſi alias omnes repræſentent, has tum Atheiſmi, tum Hæreſeos, graviter inſimulando; *tertio* ut extrema ubivis vi populum illum ſuum intra religionis & regionis limites coerceant, quo Inquiſitionis maxime ſacræ fulmina & tormina ſpectant; & *quarto* ut per tot traditiones ſuperſtitioſas & miracula conficta ipſas etiam ſuorum cogitationes & con-

Digitized by Google

ſcientias captivas veluti teneant, vel leviſſimam etiam de traditionum harum & miraculorum veritate dubitationem peccatum mortale eſſe dictitando. Ad primum modum cumprimis refert edictum iſtud Eccleſiæ Romanæ catholicum de Scriptura ſacra non legenda. Cui cum cœco penitus aſſenſu morem gerant Luſitani & Hiſpani; inde ipſi magno Schombergio, duci Luſitanorum & Anglorum optimo, cum primum in Luſitaniam appelleret, accidiſſe, ut, quæ in dormitorio navis ſuæ reliquerat Biblia Belgica, in menſa repoſita, a telonario illico ad Inquiſitionis tribunal fuerint delata. Sollicitum admodum fuiſſe Ducem generoſiſſimum de Bibliorum ſuorum reſtitutione, maxime quod ea ex hæreditate Avi quondam ſui accepiſſet. Sed utut Schombergius ipſum Inquiſitionis ſacræ Præſidem ea de re adiiſſet, nequaquam tamen eum impetrare potuiſſe, ut librum innocuum recuperaret; ceu Schombergius ipſe aliquando ſe coram, ait Auctor noſter p. 5, non ſine lacrymis eſſet conqueſtus. Quo ipſo vero Luſitani novo exemplo confirmaſſent Cardinalis Ximenii metum, *lectio Bibliorum*, ajentis, *in lingua vulgari allatura demum eſt ruinam & interitum universæ religionis.* Præterea hoc Eccleſiam Romanam, Noſter pergit, ſtratagemate frequenter uti, ut ſicubi Proteſtantium Scriptor aliquis a ſui forte gregis Doctore viri eruditi nomine & honore mactatus fuerit, eum ſtatim per Indicem Expurgatorium expungant, ut, hoc modo apud gentes alias nullos plane viros doctos & eruditos inveniri, populo ſuo ignaro eo vel felicius, vel infelicius, perſuadeant. Et perſuaſum imo idem ſibi habuiſſe ſummum aliquando in Hiſpania Prætorem, qui, cum Legatum Regis Angliæ in muſeo ſuo inter libros aliquot ſuos conſidentem offenderet, ex eo plane attonitus quærebat: *Num vero etiam in Anglia libros haberent?* De altero & tertio modo nihil addimus. Quod autem quartum & ultimum modum concernit, vix præterire hoc loco poſſumus, quod cauſam illam Auctor eſſe moneat præcipuam, cur non vulgus ſaltem Eccleſiæ Romanæ, verum aliquando quoque, qui ſupra vulgum ſapere ſibi viſi, tot revelationibus Monialium & miraculis, tam ludicris & profanis, quam ſuperſtitioſe confictis, aſſentiantur. Nempe

quia

quia vulgus inter Pontificios, credulus ſatis, leviſſimam etiam de fide & miraculis dubitationem ad Procerum ſuorum nutum pro peccato mortali habeat, idcirco non mirum ſibi amplius eſſe, ait Auctor, quod gens ſpeciatim Hiſpana CHRISTUM, Servatorem noſtrum ſanctiſſimum, aliquando Monacham unam alteramve uxorem duxiſſe; aliquando vero charta luſoria cum Monialibus luſiſſe; item Monachas quaſdam ſolo B. Virginis lacte per integros menſes & annos ſuſtentatas fuiſſe, minime dubitet, prout hæc quidem in Waddingi, Cardinalis Bonæ, aliorumque, ſcriptis, poſt reformationem Eccleſiæ editis, & auctoritate Inquiſitionis ipſius ac Superiorum comprobatis, totidem verbis legantur. Quod enim ad Chriſti cum Monialibus quibusdam connubium attinet, Lucas Waddingus, Monachus Franciſcanus, in annalibus Ordinis ſui tradit, quod CHRISTUS, ſponſus cœleſtis, tum A. 1514 S. *Claram*, tum A. 1534 *Joannam a Sancta Cruce*, non modo fictitio, ſed vere, ſibi deſponſaverit. Cui traditioni illud ſimul etiam addit, S. Claram poſt matrimonii ſui conſummationem ſe ſolo Virginis beatiſſimæ lacte aluiſſe; & Joannæ a Sancta Cruce ſponſalia coram ipſa B. Virgine & Angelorum multitudine ingenti fuiſſe conſummata. Verum ne quis excipiat, quod Eccleſiam Romanam figmenti hujus putidi & profani ſucceſſu forte temporis puduerit: novam Noſter hiſtoriam de alio Chriſti matrimonio dehinc memorat, quod ille multo poſt Eccleſiæ Reformationem cum *S. Roſa* contraxiſſet; ceu quidem Auctor Vitæ S. Roſæ, per Inquiſitionem Hiſpanam adprobatæ, Capite undecimo habeat. Nempe ubi habitum vix ordinis tertii Dominicanorum S. Roſa induerat, multa nocte amabili vir quidam vultu & divina reſplendens luce, ſed ſub cæmentarii, aut ſtatuarii, quod mirum, forma ipſi apparebat: quem vero mox ſponſum ipſum cœleſtem eſſe pulcherrimum inter filios hominum, S. Roſa divinabat. Non unas illico viſio hæc mirabilis Roſæ noſtræ cogitationes de matrimonio cum tanto ſponſo ineundo inſpirabat, per amoris divini, ut volunt, ſympathiam. Nec fallebat quoque Roſæ ſpem & cogitationes amoris pleniſſimas ipſius Sponſi divini amor reciprocus, utpote qui non amplius per ſomnium, aut viſionem,

ſed

ſed Roſæ vigilanti adparens eam ſibi uxorem poſcebat, his dilectam ſuam verbis affatus: *O Roſa, corculum meum! Totam quaſo te mihi & in Sponſam quidem trade!* Non dubitabat Roſa, tanto ſponſo manum, os, cor, imo ſe totam, illico tradere, ejusque alloquium perblandum atque benevolentiſſimum hoc inter amplexus tenerrimos reſponſo venerabundo excipiebat: *O bone Jeſu! Ecce ancillam Domini! Ecce ſervam & mancipium tuum! O Rex æterne ac ſumme! Tua ego ſum! Modo ut te quoque meum eſſe intelligam, effice: & ero ego tua in ſempiternum!* Hæc dum Roſa non ſine affectu effuſiſſimo eloquebatur, B. Virgo Maria media adſtabat inter ſponſum ſponſamque, atque felicitatem huic ſuam ſummam, perinde ut in nuptiis Cananæis, gratulatura, *Ecce*, ajebat, *Roſa! quanta gratia te Filius meus dilectus complectatur!* Atque hæc Geddeſius ex Auctore Vitæ S. Roſæ tradit. Verum cum brevi tempore poſt Roſa guttur ex adverſo aere raucum, ſeu catharrum, contraxiſſet; ſponſus cœleſtis ſui ratus officii, ut conjugis ſuæ afflictiones & moleſtias conſolationis quadam amœnitate diſtingueret, hoc frequentius ipſi adparebat, illamque aliquando ad *luſum charta luſoria* invitabat. Non diſplicebat Roſæ ſponſi conſilium: quæ tamen prius, ut lucrum a lucraturo ſemper determinaretur, cum ſponſo ſuo cœleſti paciſcebatur. Miſcebantur invicem chartæ, diſtribuebantur illæ, &, cum lucrum demum ex luſu primo in Roſam redundaret, hæc inter gutturis ſui rauci afflictiones & moleſtias probe gnara, *fructum dilecti ſui eſſe dulcem palato*, juxta caput ſecundum Cantici, lenimentum dolori & edulcationem gutturis ſibi ab eo in lucrum poſcebat. Damnabat voti ſui Roſam Dilectus ejus, ſed cum hic lucrum ex altero luſu caperet, id quidem Sponſus cœleſtis a Roſa, conjuge ſua amantiſſima, lucri loco repoſcebat, ut patienter omnia ferret, ejusque patientia majora indies ſumeret incrementa. Efficiebat demum hæc lucri ſuavitas atque præſtantia, ut S. Roſa noctis ſilentia prorſus inſomnis, ſed tamen quieta, duceret. Proximo die accedebat Roſam S. Maria Olivera, non parum de eo ſollicita, quod hæc in ſtatu ſuo feliciſſimo ſe male haberet. Cui vero Roſa myſterio revelato hæc reſponſi loco dabat, quod

afflictiones & moleſtiæ gutturis ſui tantum luſus fuiſſent & jocus peramœnus cum ſponſo cœleſti. Egregia ſane ſomnia & luſus ſatis ludicri! Sed hujus fidei & auctoritatis ſubleſtæ miracula plura Geddeſius hoc loco cumulat, quorum alia plane profana & impia; alia omni uſu deſtituta & ludicra; alia vero peſſimum in religionem influxum habere, demonſtrat. Quorſum inter alia pertinet, quod de Viro Nobili memorat, qui cum delapſus ex equo, quo domum noctu petebat, crus dextrum fregiſſet; quod in ſalutem S. Uldarici bibere recuſaverat: medelam, ut traditum eſt, ulceri prius ſuo & dolori impetrare non poterat, quam ubi ad lipſanothecam S. Uldarici delatus ſolenni ritu voverat: *ſe hauſtum in Uldarici honorem facere nunquam detrectaturum.* Adſtruit deinceps hanc miraculorum fidem ſubleſtam & ſuperſtitioſam ipſius Lyrani, Acoſtæ, Wicelii, Schultingii, Guyeti, & Melchoris Cani, auctoritate, quorum poſtremus dolenter potius, quam contumelioſe, Libro undecimo Locorum ſuorum Theologicorum ingemiſcat: „quod multo a Laertio ſeverius Vitæ Philoſophorum ſcriptæ ſint, quam „ a Chriſtianis Vitæ Sanctorum, quodque longe corruptius &„ integrius Suetonius res Cæſarum tradiderit, quam expoſuerint„ Catholici, non res Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum„ & Confeſſorum.„ Gemina his prorſus ſunt, quæ apud Joſephum Acoſtam, Jeſuitam Hiſpanum & Indiæ Miſſionarium, in libro de procuranda Indorum ſalute, Salamancæ A. 1589 edito, Libro II Cap. 8 leguntur: *Non ſolum ſignorum ſeu miraculorum vis noſtris temporibus deeſt: verum pro iis etiam ſcelera ubique fervent.*

XI *Diſſertatione tertia* Vitam deſcribit Noſter Mariæ de Jeſu, Monachæ Hiſpanæ recentioris, anno quippe 1602 in Caſtellæ veteris urbe Agreda natæ, & A. 1665 denatæ, ac magnam inter ſuos famam vitæ ſanctitate & miraculorum gloria indeptæ. Traditur nempe illa Vitam B. Virginis Mariæ plenius longe & luculentius ex ſingulari revelatione concinnaſſe, qua de re tamen multa inter Monachos Dominicanos & Franciſcanos eſt diſceptatio. Ipſius autem Mariæ noſtræ Vitam conſcripſit Joſephus Zimenez Samaniego, Monachus Franciſcanus; quam vero

Legen-

Digitized by Google

Legendis plurimis & traditionibus ſubleſtis ſcatere, Noſter commonſtrat.

Diſſertatio quarta Hiſtoriam complectitur ſchismatum Eccleſiæ Romanæ, quam ſe aliquantum pleniorem reddidiſſe, ac ante eum Rev. Stillingfleetius fecerat, Geddeſius monet. Et adornaſſe ſe hanc dicit eo conſilio, ut Eccleſiam Romanam non pacis & unionis in Republica Chriſtiana inſtrumentum eſſe, cœlitus, ut ipſa falſo jactaret, demiſſum doceret; ſed ut ex ipſa re demonſtraret potius eam titionis inſtar eſſe doloſæ, quæ diſſenſiones in fide atrociſſimas & bella per orbem truculentiſſima inflammaſſet. Commemorabimus vero jam ſaltem ordinem & numerum horum ſchismatum ex Auctore noſtro; ipſam quidem eorundem notitiam pleniorem cujusvis, cui placet, evolutioni relicturi. Nempe primum Eccleſiæ Romanæ ſchisma in Geddeſii noſtri cenſu eſt, quod inter Novatium & Cornelium exarſit, & per ducentos prope annos continuavit, ita quidem, ut Romæ Novatianus ſemper Epiſcopus ſederet, usque dum Cœleſtinus I ſedem illam occuparet. Alterum ſchiſma ortum fuit inter Felicem & Liberium; prout tertium Urſicinum inter atque Damaſum, ceu quidem Ammianus ipſe Marcellinus, ſcriptor gentilis, teſtatur. Quartum ſchiſma erupit inter Eulalium & Bonifacium I, ejusque hiſtoriam ex Honorii, Imperatoris, & Symmachi, præfecti tum Romæ, litteris Noſter eruit. Quintum ſchiſma, quod Symmachum inter & Laurentium natum eſt, multum ea tempeſtate Theodorico, Gothorum in Italia Regi, negotii faceſſivit. Sextum ſchisma Bonifacius & Dioſcorius; ſeptimum Silverius & Vigilius; & octavum Paulus atque Theophylactus, concitarunt. Nonum ſchiſma inter Eugenium & Zinzinum; & decimum inter Benedictum & Anaſtaſium; nec non undecimum inter Formoſum & Sergium, nonnullos in Eccleſia Romana motus dedere. At tamen gravius longe fuit ſchiſma duodecimum inter Joannem XI, Leonem ac Benedictum, prout vel ex ipſo Baronio conſtat: cui item ſchiſma decimum tertium inter Benedictum VI & Bonifacium VII, ut & ſchiſma decimum quartum inter Gregorium V & Johannem, quem Creſcentius tuebatur, eſt jungendum. Decimum

mum quintum ſchiſma inter Benedictum IX, Sylveſtrum, Johannem & Gratianum; decimum ſextum inter Benedictum & Nicolaum; decimum ſeptimum inter Alexandrum & Honorium; decimum octavum inter Gregorium VII, ſeu Hildebrandum, & Guibertum; & decimum nonum ſchiſma inter Innocentium Monachum & Anacletum, non ſine magnis hinc inde motibus exarſit. Vigeſimum porro ſchiſma inter Gelaſium & Gregorium, cognomine Burdonem; vigeſimum item primum Victorem inter & Alexandrum; ac demum vigeſimum ſecundum inter Johannem XXII & Nicolaum viguit, id quod demum vigeſimum tertium ſchiſma, omnium prope graviſſimum, excepit, utpote quod ab A. 1377, poſtquam ſcilicet Pontifex ſummus Avenione in Gallia per ſeptendecim annos ſederat, Europam prope omnem per integros XL annos colliſit. Unde et prolixiorem paullo ſchiſmatis hujus notitiam Noſter tradit. Ultimum denique locum in hiſtoria Geddeſiana occupat ſchiſma vigeſimum quartum, quod natum eſt A. 1439 inter Felicem V & Eugenium IV, e Sabaudiæ Ducum familia. Forte tamen erunt, qui paullo mitius hac in re Geddeſium cum Eccleſia Romana egiſſe cenſebunt: cum alii longe plura Eccleſiæ Romanæ ſchiſmata connumerent.

Diſſertatio quinta Syllabum exhibet omnium in univerſum, quos Monachi habent, Ordinum in Eccleſia Romana, una cum eorundem Fundatoribus, horumque vita. Primum & antiquiſſimum Monachorum Benedictinorum Ordinem excitavit, juxta Geddeſium noſtrum, D. Benedictus, quem centum ab obitu S. Jeremiæ annis primi, ut Fratres Catholici volunt, Monachi, anno nempe 480 poſt natum Chriſtum, in lucem editum Annales perhibent. Multa narrat in vita hujus de corvo quodam D. Benedicto admodum familiari, adeo ut Fratris ſemper nomine eum, quotidie ad ſe advolantem, D. Benedictus compellaverit. Ordinem vero ipſum ut antiquiſſimum, ita & opulentiſſimum, omnium dicit. Alterum ordinem, Monachorum Cluniacenſium, circa A. C. 900 fundavit Abbas Odo; cujus tamen inſtitutum parum admodum ab inſtituto Benedictinorum differre, Noſter ait. Tertium ordinem conſti-

tuunt

tuunt Monachi Camaldulenſes, cujus fundamenta circa A. 970 D. Romualdus jecit, (ceu nuper quoque in recenſu Diſſertationum Camaldulenſium D. Grandi M. Febr. 1709 p. 49 meminimus;) cui quartum item Monachorum Vallis Umbroſæ ſtatim ſubjungimus, quod eum Gibertus, Romualdi diſcipulus, inſtituerit. Habitu utuntur Camaldulenſes albo, ut contra Benedictini, ſtricte ſic dicti, nigro. Quintum Fratrum Carthuſianorum ordinem circa finem Seculi XI per Brunonem, Eccleſiæ Remenſis Canonicum, inſtitutum Noſter memorat, ſed ita tamen, ut morum ſeveritate, cui propria ipſum Inſtituta adſtringunt, omnes alios ordines antecedat, ac prope inhumanus exiſtat. Ordo ſextus Monachorum Ciſtercienſium inſtitutionem ſuam juxta nonnullos Abbati Roberto, juxta alios vero D. Bernardo, Monacho eruditiſſimo, circa Seculum XII acceptam refert; unde & Monachi hi ab aliis quandoque Bernardini vocantur. Ordini ſeptimo Monachorum Cœleſtinorum; & octavo Monachorum Montis Beatæ Virginis, ſeu Montis Oliveti; nec non nono Monachorum, quos a fundatore vocant, Silveſtrinorum; ut & alii cuidam Fratrum Humiliatorum, a Pio V Papa A. 1570 iterum abrogato, non multum Geddeſius immoratur. Atque hi commemorati Ordines omnes, præter Carthuſianum, Regulam D. Benedicti tenent. Qui vero jam ſequuntur Ordines vel Regulæ S. Auguſtini, vel Regulæ S. Franciſci, vel Regulæ S. Baſilii, ſunt addicti, & ſimul Vota tria colunt monaſtica, præter Fratres Franciſcanos. Ac Regulam quidem S. Auguſtini amplectuntur primo Canonici Regulares; ſecundo Monachi Præmonſtratenſes; tertio Monachi Dominicani, quorum ut ampliſſimus eſt ordo, ita & paullo ampliorem ejus hiſtoriam Noſter inſperſit; quarto Hermitæ, ſeu Hieronymiani; quinto Servitæ; ſexto Jeſuati; ſeptimo Crucigeri: octavo Fratres Boni Jeſu; nono Trinitarii; decimo Eremitæ S. Auguſtini; undecimo Theatini; duodecimo Patres S. Oratorii; decimo tertio Pauliſtæ; & ultimo Monachi S. Antonii. Pertinent huc præterea ordines IV militares, ut Ordo Equitum Johannitarum, ſeu Melitenſium, Ordo Equitum S. Jacobi in Hiſpania, Ordo Equitum Teutonicorum, & Ordo Equi-

Digitized by Google

tum S. Lazari; quod eidem Regulæ D. Auguſtini fidem & obſequium ſuum adſtringere teneantur. Regulam tertiam monaſticam, Sancti ſcilicet Franciſci Aſſiſii, A. 1182 nati, venerantur Fratres Franciſcani, quorum alii Fratres de Obſervantia, alii Fratres Capuccini, alii Fratres Minimi, vocantur; atque his per inſtituta propria mores mendicantium ſunt injuncti. Numerum vero Fratrum hujus ordinis ceteris longe ſuperiorem & maximum ſemper extitiſſe, Noſter commonet, ita ut ſoli Fratres de Obſervantia aliquando 2203 cœnobia, ac 30696 Fratres in iis numeraverint. Regulæ monaſticæ quartæ a S. Baſilio concinnatæ ſoli Monachi Carmelitæ inhærent; qui tamen gloriam inſtitutionis ſuæ non S. Baſilio, cujus Regulam tenent, ſed ipſi Prophetæ Eliæ, & reſtaurationem Johanni Baptiſtæ, vindicant. Quod autem reliquos Monachos attinet, ut Grandimontanos in Gallia, & Fratres Diſcalceatos in Luſitania, de iis Auctor non ſatis ſibi conſtare dicit, cui Regulæ ſint addicti. Supereſt denique Ordo famigeratiſſimus Societatis Jeſu; quem autem nulli memoratarum Regularum ſubjectum, ſed propriis inſtitutis regi & contineri, Noſter monet. Originem hunc Ordinem ſuam, qui in tres familias abit, Novitiorum, Scholaſticorum & Profeſſorum, Ignatio Lojolæ debere, A. 1491 Guipuſcoæ in Hiſpania nato, penes omnes conſtat; prout & vita ipſius, ab Auctore ſubjuncta, teſtatur. Subjicit vero idem ſyllabum quendam monaſteriorum omnium & perſonarum hujus ordinis; quem quidem jam ſub initium Seculi XVII confectum eſſe non diſſimulat; ſed ex quo tamen non difficili conjectura aſſequi forte liceret, quam in immenſum noſtra ætate numerus Jeſuitarum, tot regionum & Principum, ut Noſter putat, damno, excreverit. Nempe numerabat Societas Jeſu, cum vix per annos centum floruiſſet, in una Italia Socios 3046, in Hiſpania & Luſitania 2853, in Gallia 1746, in Belgio utroque 1269, in Germania 1700, in Polonia 795, in India Orientali 660, & in India Occidentali 1106 Socios; ex quo calculo numerus 13175 Jeſuitarum reſultat. At ab eo tempore Societas Jeſu ultra 12000 domos & cœnobia Sociorum ſuorum numeravit; ut adeo, quantum inde numerus Sociorum auctus fuerit, non difficilis admodum ſit conjectura.

Diſſer-

Digitized by Google

Diſſertatio ſexta ideam continet hiſtoriæ de ſucceſſionibus Gentium & Nationum, quæ Imperium Romanum ſede ſua dejecerunt & deturbarunt, earumque regionibus, religione, ſcientiis, numero, forma regiminis & cauſa ſuccedendi. Et primatum quidem hoc loco libere defert Geddeſius genti Saxonum, Brittannorum majoribus & anteceſſoribus, qui Cherſoneſum initio Cimbricum & Orientem Germaniæ ac oras Auſtrales maris Balthici inhabitarunt, & tum armis, tum litteris, ad Græcorum Latinorumve usque invidiam, floruerunt. Secundas Brittannis ſuis ac Scotis vindicat, quos partim linguæ ſuæ ortum primævum, partim imperii adeo felicis regimen, Saxonibus debere, tum auctoritate Taciti, tum argumentis complurimis aliis, non indocte demonſtrat. His Gothorum, Vandalorum, Suevorum, & Francorum, res ſubjunxit. Ac demum quoque Longobardorum, Slavorum, & Hunnorum, in diſtinctis capitibus meminit.

Diſſertatio ultima, ſeu *ſeptima*, inquiſitionem exhibet perdoctam Canonum Concilii Sardicenſis, maxime vero eorum, qui adpellationes ad Curiam Romanam ſpectant. Et labor hic Geddeſii omnis eo redit, ut, Canones hos ſuppoſititios eſſe, nec ætatem ferre, demonſtret.

יוסיפון בן גוריון

JOSEPHUS GORJONIDES, JUXTA VENETAM editionem, ut & eam, quæ Francofurti ad Mœnum typis excuſa eſt, Latine verſus, & Notis illuſtratus a JO. FRIDERICO BREITHAUPTIO, Conſil. Saxonico; cum indicibus rerum & verborum.

Gothæ, apud Jacobum Mevium, 1707. in 4to.
Alph. 5 pl. 9.

Labore, quem Cl. Gagnerium in Anglia nuper ſuſcepiſſe ſupra memiņimus, induſtrius Hebræarum literarum cultor Breithauptius quoque perfunctus eſt, eo magis laudando, quod a Viro aliis ſtudiis conſecrato proficiſcatur. Neque Joſephi tantum verſionem ipſi

ipſi debemus, ſed & omnes Raſchii in ſacrum Codicem commentarii ab eodum Latinitate donati ſunt, & bibliopolæ impenſas, quibus typis imprimantur, expectant. Cl. Interpres in Præfatione controverſiam diſcutere ſtudet, utrum liber hic genuinus Flavii Joſephi partus ſit, an vero alio & incerto auctore prognatus. Adductis utriusque ſententiæ auctoribus & argumentis, Munſtero tandem, Flavium Joſephum etiam hujus libri auctorem facienti, adſtipulatur, concedens tamen, quod vel unius, vel plurium interpolatorum Judaicorum, labor intervenerit. Exhibetur in hac editione non ſolum textus Hebraicus, Venetiis quondam & Francofurti excuſus, cum locis diſcrepantibus ex collatione cum Conſtantinopol. exemplari obſervatis; ſed etiam verſio eo ſtudio concinnata, ut preſſo pede quidem plerumque textui inſiſtat, poſtulante tamen ſtyli ratione, quandoque ſenſum magis, quam verba, exprimat. Præterea obſervandum, quod Cl. Interpres capitum diſtinctionem, quam in Veneto & Francofurtano exemplari offendimus, quamque Scriptores in allegationibus hactenus ſecuti ſunt, non retinuerit, ſed novam partitionem ſubſtituerit, ea ratione motus, quod in Hebræis exemplaribus unus capitum ordo per ſingulos libros continuetur. Notæ tandem & animadverſiones huic editioni ſubjectæ ſunt, quibus textus obſcuritatem tollere, ſenſumque planiorem reddere, laboravit, quo fine Hegeſippum, Joſippum epitomatorem, Joſephum Græcum, Tacitum aliosque ſcriptores ſæpius cum noſtro contulit, & haud raro nomina propria corrupta ex illis integritati reſtituit.

DE VOCUM CARNIS & SPIRITUS, CUM de ipſo Chriſto dicuntur, genuino ſenſu & uſu Commentatio theologica ſtudio M. JO. PHILIPPI STORRII, Eccleſiæ Heilbronnenſis Symmiſtæ & Gymnaſii Sysſcholarchæ,

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1706, in 4.
Conſtat plag. 12.

Cum

Cum pl. Reverendus Autor animadverteret, voces carnis & ſpiritus, quæ in Scriptura S. frequentiſſime occurrunt, amplæ admodum & diverſæ ſignificationis eſſe, atque in iis potiſſimum locis, in quibus de Chriſto uſurpata leguntur, multum negotii interpretibus faceſſere, operæ pretium ipſi fuit, ejusmodi vocabulorum ſenſum genuinum magno ſtudio eruere, qui in omnia illa loca, quibus vel carnis, vel ſpiritus, Chriſti, vel utriusque ſimul, mentio injicitur, commode quadrare videatur. Quod inſtitutum ut eo felicius perſequeretur, in eruditæ hujus commentationis *Sectione prima* ſingula Scripturæ loca, quæ carnis & ſpiritus Chriſti mentionem faciunt, affert, & quidem primum, quæ de carne Chriſti ſolum loquuntur, ſequenti ordine enarrat: Joh. I, 14, Heb. II, 14, 45, Eph. V, 30, Rom. IX, 5, Act. II, 30, 1 Joh. IV, 2, 3, 2 Joh. v. 7, Rom. VIII, 3, Col. I, 21 ſq. 1 Petr. IV, 1, Heb. X, 20, Joh. VI, 51, Hebr. V, 7, hisque locis adductis monet Cl. Autor eſſe quidem & alia dicta, in quibus de carne Chriſti mentio quædam fiat, ut Luc. XXIV, 39, & 2 Cor. V, 16, verum, ut in priori de parte illa humani corporis, quæ una cum oſſibus illud conſtituit, ſermonem eſſe manifeſtum ſit: ita in poſteriori τὸ κατὰ σάρκα potius ad ſubjectum cognoſcens, quam ad objectum cognitum, referendum eſſe, plane ſibi perſuadet, hoc ſenſu, non jam amplius ſenſu carnali quemquam, nec Salvatorem noſtrum Chriſtum ipſum cognovimus. Deinde loca, quæ de Spiritu Chriſti ſolum agunt, nempe Jo. III, 34, Act. X, 38, Luc. II, 40, IV, 18, IV, 1 & 14, Marc. II, 8, VII, 12, Luc. X, 21, Jo. XI, 33, XIII, 21, Hebr. IX, 14, 1 Cor. XV, 45, in medium adducit. Tandem loca Rom. I, 3 ſq. 1 Tim. III, 16, 1 Petr. III, 18, in quibus caro & ſpiritus ſimul de Chriſto prædicantur, & ſibi invicem opponuntur, allegat. In *Sectione ſecunda* varias interpretum, tum Socinianorum & Arminianorum, tum Calvinianorum tum Pontificiorum, tum Patrum primitivæ Eccleſiæ, tum Noſtratium, de his vocibus ſententias in diſtinctis claſſibus recenſet. In *Sectione tertia* ſuam mentem per certos aphoriſmos proponit atque confirmat. E quibus cum de mente laudati Autoris optime conſtare poſſit, rem non ingratam

B. L. nos facturos confidimus, ſi eosdem hic exhibeamus. Hujus autem tenoris eſt Aphoriſmus I: Vox caro, de Chriſto Θεανθρώπῳ dicta, ſignificat veram & perfectam humanam naturam, anima rationali & corpore organico, ut partibus eſſentialibus, conſtantem & a peccatis prorſus immunem. II: Caro notat veram illam humanam naturam, vere quidem exiſtentem, non tamen per ſe, ſed in perſona filii Dei, ſubſiſtentem, naturæque ejus divinæ intime ad unum ὑφιστάμενον unitam. III: Caro Chriſti notat humanam ejus naturam per unionem illam in communicationem divinæ Majeſtatis, ſeu idiomatum divinorum ſubvectam. IV: Caro Chriſti notat humanam naturam divinæ perſonaliter quidem unitam, & in communicationem Majeſtatis ſuſceptam; ſed ad infirmitates & obſequium uſque ad mortem crucis propter nos exinanitam. V: Spiritus ſignificat principium illud, cui omnia argumenta iſtius demonſtrationis, definitionis & juſtificationis propter illam carnis exinanitionem neceſſariæ, proxime debentur. VI: Spiritus ille, ſeu principium, cui argumenta demonſtrationis, definitionis & juſtificationis debentur, eſt communis utrique naturæ Chriſti, humanæ pariter atque divinæ. VII: Spiritus ille itaque non tam divina natura in Chriſto eſt, quam Spiritus S. qui a Chriſto juxta divinam naturam procedit ab æterno; quove juxta carnem præter menſuram unctus fuit. VIII. Spiritus ille per gradus quoſdam & juxta œconomiam ſtatuum exinanitionis & exaltationis vim ſuam juſtificatricem, demonſtrativam & declarativam diſtincte exeruit. IX: Spiritus ille inde a reſurrectione Chriſti uſque ad reditum ejus ad judicium Chriſtum plenius juſtificare & demonſtrare debuit. X: Quoties itaque in S. Scriptura de Chriſto caro & ſpiritus ſibi opponuntur ſeu expreſſe, ſeu interpretative; ut per carnem humana ejus natura cum aſſumta per exinanitionem humilitate, ita per ſpiritum Spiritus S. qui a Chriſto juxta divinam naturam procedit ab æterno, juxta humanam vero ipſi præter menſuram datus fuit, intelligendus veniet. In *Sectione quarta* aphoriſmos adductos ad loca ſingula, in quibus vel carnis, vel ſpiritus, Chriſti, vel utriusque ſimul, Scriptura S. meminit, per brevem paraphraſin applicat. In *Sectione quinta*

uſum

uſum dictorum in Theologia Chriſtiana tribus capitibus exponit, quorum I de Chriſti ſumma & æterna deitate: II de Jeſu Chriſti incarnatione, uſum didactico-elenchticum demonſtrat: III uſum pædevtico-epanorthoticum oſtendit, & paracleſi huic ſcripto coronidem imponit.

THE NATURAL IMMORTALITY OF THE Soul &c.

h. e.

NATURALIS ANIMÆ IMMORTALITAS ASSERTA & probata tam ex Scripturis, quam ex Patribus primitivæ Eccleſiæ, a Thoma MILLES, Th. D.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, apud Antonium Peisley, 1707, in 8.

Conſtat 1 Alph. 11 plag.

Recenſuimus in Actis A. 1707 p. 207 & ſeqq. paradoxam *Dodwelli* de naturali Animæ mortalitate ſententiam, & p. 212 atque ſeqq. *Samuelis Clarke* in eam cenſuram ſubjunximus. Eandem impugnat Cl. *Milles*, id potiſſimum agens, ut loca Patrum, a *Dodwello* citata, rite interpretetur, quod ab aliis ejus Antagoniſtis factum non ſit. Explicat igitur *Juſtini Martyris, Irenæi, Athenagoræ, Tertulliani, Cypriani, Athanaſii*, de animæ immortalitate ſententias, easque a perverſis *Dodwelli* interpretationibus vindicat. Monet autem in genere Patrum autoritatem non valere, niſi quatenus analogiæ fidei & doctrinæ in Scripturis contentæ conformis. Eos ita explicandos eſſe, ut & ſinguli ſibimet ipſis conſtent, & omnes inter ſe conſentiant. In rebus rationis & pure moralibus allegari haudquaquam debere. Evincit, quod per immortalitatem intellexerint 1 indefectibilitatem divinæ naturæ, 2 dependentiam immediatam a voluntate Dei, 3 impeditam ſeparationem a Deo per peccatum. Quamvis autem ſibi potiſſimum Patrum de animæ immortalitate dogmata illuſtranda propoſuerit; reliqua tamen ſimul expendit argumenta, quæ *Dodwellus* ad dogmata ſua ſtabilienda profert. Quare cum ſtatum controverſiæ expoſuiſſet, in verum ſenſum locorum Gen. II, 7, & 1 Cor. XV in-

Digitized by Google

XV inquirit, quibus ille abutitur. Iſtum vulgari ratione interpretatur, quod ſcilicet per *Spiraculum vitæ* infuſio animæ immortalis intelligatur. In altero per *Corpus naturale* præſens indigitari contendit, quod mens noſtra nunc incolit; per *Spirituale* vero alterum illud, quo in reſurrectione univerſali potiemur. Immortalitatem infidelium ad puniendum propriam *Dodwelli* hypotheſin evertere arbitratur, quoniam per Spiritum in baptiſmo receptum animam immortalizari aſſerit. Cum enim animæ infidelium Spiritu divino careant; neceſſe omnino eſſe, ut alia via immortalizentur. Malas recenſet conſequentias, ex negata univerſalitate reſurrectionis & judicii reſultantes. Quodſi enim credatur, non baptizatos a mortuis non reſurgere; fore ait, ut non modo a Chriſtianiſmo amplectendo arceantur homines, ſed & mala, quæ poterunt, perpetrent, omnia ſic peſſundaturi. Univerſalitatem judicii extremi in Eccleſia ſemper defenſam fuiſſe probat, & eam tum ex principiis rationis, tum ex Scriptura ſacra corroborat. Rationem illius neceſſitatem colligere exiſtimat, ubi bonorum ac malorum temporalium inæqualem inter homines diſtributionem trutinaverit: ex ſacris paginis ea adducit loca, quæ ad hunc fidei articulum confirmandum adhiberi ſolent. Notionem itaque futuri judicii *Dodwellianam* Scripturæ ſacræ rationi & univerſali Eccleſiæ conſenſui adverſam reputat. Quodſi vero judicii univerſalitas concedatur, hypotheſin *Dodwelli* primariam de particulari quorundam per ſpiritum baptiſmalem immortaliſatione tolli. Ceterum cum is aſſeruerit, quod *Plato* animam ex natura ſua mortalem eſſe crediderit; ex ejus *Phædone* & *Timæo* prolixe contrarium docet. Explicat etiam genuinum ſenſum, quem *Philo* Judæus vocibus ψυχὴ & πνεῦμα tribuit. Priore ſcilicet, ut apud *Platonem* denotari ait, alteram hominis partem eſſentialem: poſteriore ipſam animæ rationalis eſſentiam exprimi. Carpit *Dodwellum*, quod ad confirmandam hypotheſin ſuam potiſſimum adducat locum 1 Petr. I, 4. utpote maxime obſcurum & interpretibus controverſum. Ipſe per *ſpiritus in carcere* intelligit omnes eorum animas, qui ante Chriſti adventum mortui, & iis Chriſtum ſignificaſſe credit opus redemtionis a ſe perfectum,

tam

tam ad piorum ſolatium, quam impiorum terrorem. Præterea in notiones inquirit, quas ethnici de inferno & tartaro habuerunt. Oſtendit, Poetas omnes, æque ac Scripturam, Tartarum agnoſcere locum ſupplicii omnium impiorum. Ex hiſtoria calamitatum *Jobi* ſatis liquere putat, ante adventum Chriſti Diabolum pro rebelli & traditore declaratum fuiſſe: utut non neget, ſub novo fœdere multo clarius id factum. Dum vero homines olim ἰσάγγελοι fore dicuntur, nequaquam hoc intuitu Spiritus alicujus adſcititii, ſed animæ, affirmari cenſet. Quæ ad explicandam Patrum ſuperius laudatorum mentem adducit, recenſere nimis prolixum foret. Suffecerit igitur adhuc notaſſe, quod in Præfatione multus ſit in immaterialitate animæ adſtruenda. Utitur primum argumento *Carteſianorum*, quod ſcilicet anima ſit ſubſtantia cogitans, cogitationes autem a nulla vi,aut proprietate,materiæ cognita reſultare queant. Vanam eſſe ait exceptionem, quod forſan Deus materiæ vim cogitandi ſuperaddiderit: neque enim Deum materiæ ſuperaddere poſſe, quod proprietatibus ipſius eſſentialibus repugnet, cum id contradictionem involvat. Hanc repugnantiam monſtraturus, ſupponit, materiam ipſam ſtatum ſuum mutare non poſſe: nullam certe habere vim ad motum inchoandum, nec ullam ad motum ſiſtendum. Experientia autem conſtare urget, quod animæ talis vis actiones proprias inchoandi & ſiſtendi competat, cum cogitationes noſtras pro arbitrio in objecto defigere, in eodem retinere, & ab eo ad aliud revocare, valeamus. Deinde *Clarkianum*, in Actis A. 1707 p. 214 & 215 expoſitum, argumentum adducit, & contra objectiones nonneminis ſtrenue defendit. Scilicet a ſingularitate conſcientiæ indiviſibilitatem principii cogitantis concludit. Quodſi excipias, conſcientiam pendere a ſyſtemate omnium partium percipientium; eam ibi eſſe debere regerit, ubi vis percipiendi exiſtit. Si itaque hæc per plures partes æqualiter diſtributa, illam quoque ſimiliter diſtribui debere. Prius probat, quia conceptu impoſſibile ſyſtema materiæ cogitantis ex partibus conſtans, quarum ſingulæ non habeant vim percipiendi & cogitandi. Laudem vero Autor publicis præconiis dignam meretur, quod raro de argumentis

Digitized by Google

Theologicis controvertentium exemplo modeſtiæ litet, ſtylique acerbitatem omnem deteſtetur, nec *Dodwello* deneget virtutes, quas in eo agnoſcit, tribuens ipſi animum a pietate minime alienum ac zelum pro religione inſignem.

TRACTATUS DE POLITIA ECCLESIÆ ANglicanæ: cui acceſſerunt RICHARDI ZOUCH, LL. D. *Deſcriptio Juris & Judicii Eccleſiaſtici, ſecundum Canones & Conſtitutiones Anglicanas, nec non Deſcriptio Juris & Judicii Temporalis ſecundum Conſuetudines Feudales & Normannicas.*

Londini, impenſis R. Clavel, 1705, in 8.
Plag. 19.

D. Richardus Mocket, ſub Jacobo Rege quondam Georgio Archiepiſcopo Cantuarienſi a ſacris domeſticis & Collegii Omnium Animarum in Academia Oxonienſi Præfectus, tractatum hunc de Politia Eccleſiæ Anglicanæ Londini 1616. primum edidit, ſtatimque 1618 dolore, ut creditur, ob ignominiam libris ſuis inuſtam (qua de re confer A. Woodii Athenas Ox. T. I p. 368) concepto obiit. Recuſus eſt autem Londini 1683 & egregiis laudibus apud doctiſſimos ſemper ornatus, breviter utpote & dilucide leges Eccleſiaſticas, uti in hoc regno Anglicano vim obtineant, explicans. Cum enim in Doctorum Juris
c. 2 p. 12. Canonici ſcriptis ejusque corpore ipſo multa occurrant ad Romanæ Eccleſiæ faſtum, ſuperſtitionem, idololatriam ſtrenue ſtabiliendam, in hoc Regno illos duntaxat Canones vim ait obtinere, qui ante uſitati fuerunt in curiis Eccleſiaſticis Anglicanis, & qui nec juribus municipalibus Regni, nec nuperis conſtitutionibus Eccleſiaſticis, repugnant, neque privilegiis Regis incom-
c. 3 p. 13 modant. Agnoſcere nimirum Eccleſiam Anglicanam auctoritatem ſupremam, id eſt, præeminentiam ſuper omnes Magiſtratus, ab omni temporalium pœnarum coactione liberam,
p. 17 ſeqq. ſolique Deo hac ratione ſubditam. Et eo refert Autor jus deſignandi Epiſcopos & conferendi beneficia, congregandi concilia, & ſtabiliendi illorum decreta. Quos autem, pergit, Regia Majeſtas in unum congregat, eosdem in Regni pacem & con-

Digitized by Google

& contra Regiam dignitatem delinquentes, judicis civilis tribunali ſiſtere poteſt, eosque deponere (inhibendo externum poteſtatis ſacerdotalis intra ſuas ditiones exercitium) & in illos gladio animadvertere. Et hinc Regem Angliæ ab Epiſcopis electis & regio ejus aſſenſu confirmatis homagii jusjurandum exigere, eique omnes Presbyteros juramentum fidelitatis præſtare. Eundem de dogmatibus fidei, ritibus ac ceremoniis poſſe deliberare, eorumque veritatem ac æquitatem ad verbi divini ſtateram una cum illarum rerum conſultiſſimis expendere, atque tunc leges & edicta de iis condere. Vindicat etiam Regiæ Majeſtati jus definiendi lites circa res eccleſiaſticas contentioſas & judiciales, adeoque ſuper variis criminibus, poſtquam per plures ſubordinatas appellationes ad ſupremum ejus judicium devolvuntur. Tunc enim conſtituere judices delegatos per ſummum Angliæ Cancellarium ſub magno ſigillo. Sed & absque omni appellationum interſtitio poſſe dirimere lites commemoratas, & reos carcere & mulcta pecuniaria caſtigare, per Commiſſarios quosdam eccleſiaſticos, ad ſupplendam & corroborandam ordinariam jurisdictionem Epiſcoporum & Archidiaconorum, per univerſum Regnum protenſa poteſtate conſtitutos. Atque eundem fere ordinem ab his Commiſſariis in judiciorum ſuorum proceſſibus obſervari, quem de Republica Hebræorum refert Sigonius Libro VI c. 7. Ad poteſtatem Archiepiſcoporum vero pertinet etiam jus recipiendi appellationes, & ut iis reſcribant interpoſitis ab Epiſcopis ſuis ſuffragiis, jus porro viſitandi totam ſuam provinciam: quodque, qua Primates & primores, appellationes admittant ab inferioribus judiciis, etiam omiſſo medio, vacante quavis Archiepiſcopalis ſuæ provinciæ ſede Epiſcopali, & cuſtodiam habeant eccleſiaſticæ jurisdictionis ad eam ſpectantis. Uterque etiam Archiepiſcopus approbat & inſinuat teſtamenta, & concedit ab inteſtato ſuccedentibus adminiſtrationes bonorum; quod idem de Epiſcopis perhibetur C. 5 p. 83. Quædam præterea privilegia propria ſunt Archiepiſcopi Cantuarienſis; quia enim totius Angliæ Primas eſt, *literas Tuitorias* concedit, per quas ei, qui appellaverit, absque moleſtia interea ipſi exhibenda, Appellationem ſuam

C. 4 p. 29.

ſuam proſequi liceat. Noſtrates *Inhibitionem* appellant. Et ex his infert D. Mocket, Archiepiſcopalem hanc in Anglia hierarchiam non tam a Papali faſtu fuiſſe derivatam, quam ab eo vindicatam, & primævæ Eccleſiæ praxi reſtitutam. Similiter

C. 5 p. 37. ſeqq. Epiſcopalem poteſtatem a primæva Eccleſia in Romanam invectam, & in ea ad noſtra uſque tempora permanſiſſe, ac per impuriſſimos ejus cœtus canales limpidam tamen in noſtras Eccleſias effluxiſſe, proxime a Romana, ſed non primitus: allato in hanc rem loco Hieronymi in Epiſt. ad Titum, ab Hammondo & Blondello alibi excuſſo, & verbis præterea Brentii noſtratis ex Homiliis, *non vetat habere Epiſcopos Eccleſiæ æternam dominationem, quam publicis & legitimis ordinationibus ac conſenſu Monarcharum poſſident.* Sic enim, ait Noſter, in Republica Anglicana Epiſcopi poſſeſſionibus ſuis atque honoribus, non aliqua a Chriſto delegatione, ſed libera Principum donatione, potiri. Ac poſſe Regi eſſe a ſecretioribus conſiliis, conſtitui Eirenarchas, legatorum munere fungi ad exteros Principes, (ſicut Ambroſius bis Valentiani legatus fuerit ad Maximum) eo fine, ut melius coerceretur atheiſmus illorum, qui magis mundano timore, quam amore ſpirituali, ad externâ pietatis officia peragenda adiguntur. Modus viſitationis Epiſcopalis, quæ ceu actus jurisdictionis voluntariæ quolibet triennio peragenda eſt, tum contra Miniſtros verbi, Oeconomos, Ludimagiſtros, Medicos, Chirurgos, obſtetrices; tum contra

C. 6 p. 55, 62 ſeqq. quoslibet Chriſtianos, an delinquant in pietatem, juſtitiam, ſobrietatem, recenſetur ſatis ample Capite ſexto. Ordo autem coercendi reos talis eſt: Epiſcopus imperat reo ab Oeconomis denuntiato, ut ad purgandum ſe a crimine ſibi objecto, die ſtatuto ad judicii locum redeat, & ſecum afferat compurgatores quatuor, ſex, vel octo, (ſecundum judicis arbitrium) ſpectatæ probitatis viros, ſibi vicinos, ſuamque vitam exploratam habentes, qui illum ab hoc delicto immunem eſſe juramento ſuo confirment. Mandatum hoc per ſex minimum dies ante illum terminum publice in Eccleſia notum omnibus ſuis parochianis facit illius Miniſter, indicans iis tum compurgatorum, tum rei, nomina diemque, ut exceptiones ſuas, tempore conſtituto exhibeant.

Digitized by Google

hibeant. Quodſi deinde reus juraverit, ſe crimen intentatum neutiquam commiſiſſe, & compurgatores etiam juramentum credulitatis appoſuerint, eum verum juraſſe, ſubinde cenſetur inſons; ſi autem reus nullos compurgatores queat comparare, aut ii legitimis exceptionibus expoſiti ſint, ſententia judicis reus decernitur, &, ſi crimen fuerit publicum, totamque Eccleſiam offenderit, ad tempus excommunicatur, & per hanc excommunicationem humiliato demum infligitur publica pœnitentia: quæ cum magis fuerit ſolennis, his ritibus peragitur. Die aliquo Dominico pœnitentiam acturus, capite & pedibus nudus, linteo velamine candido a collo ad crura demiſſo indutus, albamque virgam manibus geſtans, ſtat mœrens in porticu Eccleſiæ, illamque intrantium preces ad Deum, ut ſibi ignoſcat, humillime depoſcit. Dein ipſam Eccleſiam ingreſſurus ſe humi proſternit, & inde elevatus adit templi meditullium: ubi in loco eminentiori & e regione Miniſtri ſacra peragentis ſtans admonetur, quantum ſcelus admiſerit, &c. Et cum perfecerit pœnitens ei præſcripta, illique Miniſter peccatorum remiſſionem annuntiaverit, ipſe totam congregationem per viſcera Jeſu Chriſti ſuppliciter rogat, ut ſibi graviſſimum ſcandalum condonare, & in ejus rei teſtimonium, una cum eo Dominicam Orationem alta voce recenſere dignentur. Huncque præcipuum eſſe, licet non unicum, finem viſitationis Epiſcopalis in Anglia, concludit Auctor. Ad contentioſam Jurisdictionem Epiſcoporum per ſuperius dicta referuntur iterum cauſæ teſtamentariæ ex innata ſua conditione. Nam etiam inter Ethnicos teſtamenta ſemper habita fuiſſe ſancta & inviolata, tantoque magis ſacra cenſenda eſſe Chriſtianorum, qui in iis animam Deo, corpus ſub ſpe beatæ reſurrectionis loco ſacrato, bona egenis Chriſti membris legare ſoleant. Caput autem hoc extenditur etiam ad jura inteſtatorum, aut quaſi inteſtatorum; (quod fit, cum nullus ſit, qui onus executionis teſtamenti in ſe ſuſcipere velit,) ad conſequendam adminiſtrationem, aut contra temerarium adminiſtratorem. De Presbyteris & Diaconis etiam pauca notabimus. Nullibi nimirum in S. Scriptura cuiquam credentium, præterquam Apoſtolis & illorum ſucceſſori-

c. 7 p. 72.

74.

c. 10 p. 91.

 bus,

bus, Epiſcopis & Presbyteris, ſpecialem factam eſſe promiſſionem de efficaci per eum remiſſionis peccatorum denuntiatione, ne privatim quidem. Presbyterialis autem hujus poteſtatis clavium in Eccleſia propagandæ miniſtros per MD annos fuiſſe Epiſcopos. Et hanc venerandam antiquitatem imitari hodie Eccleſiam Anglicanam, ut ſoli Epiſcopi Presbyteros creent his verbis: *Accipite Spiritum S.* &c. licet una cum iis Decani, Præbendarii Cathedralium Eccleſiarum, & Archidiaconi, manus quoque imponant. Ad hunc autem Presbyterorum ordinem in eadem Eccleſia, gradum & velut præparationem eſſe ordinem Diaconorum, 1 Tim. III, 13. Nam primos illorum Diaconorum Actor. VIII, & qui proximis ſeculis ſecuti, prædicaſſe quidem quandoque & baptizaſſe, ſi iis hoc ab Apoſtolis & Epiſcopis permiſſum fuerit, & hinc etiam Apoſtolos iis manus impoſuiſſe adhibitis precibus, Act. VI. Veruntamen per Can. 19. Nicæni Concilii I non habuiſſe eos poteſtatem offerendi, ſeu elementa Euchariſtica conſecrandi, ſed opem tantum ferendi Presbyteris in adminiſtranda Euchariſtia, ſecundum Juſtinum Martyrem: quanquam Diaconi ſæpe in N. T.
108. c. ult. Presbyterorum nomine intelligantur. Similiter membra vera & genuina Conciliorum generalium eſſe Eccleſiæ Paſtores, Epiſcopos ſcilicet & Presbyteros, juxta primum Chriſtianæ Eccleſiæ concilium, Act. XV & XVI, 4. In Provincialibus vero etiam Diaconos quandoque fuiſſe admiſſos. Et hinc in Eccleſia Anglicana ad Synodos Nationales & Provinciales duos demum Presbyteros ex ſingulis Diœceſibus etiam vocari, & quæ in iis deliberata ac definita ſint, Regia autoritate cenſeri rata, imo nonnunquam, poſt Regiam confirmationem a ſuprema Curia Parliamenti, tanquam Regni leges, promulgari.

Duo libelli Richardi Zouch, Juris Civilis in Academia Oxonienſi quondam Profeſſoris Regii, cum Elementis Jurisprudentiæ ejusdem A. 1636 in Anglia primum prodierunt: iniquum itaque putans Editor, illos in partibus transmarinis diutius inſuper haberi, & quaſi neglectui expoſitos eſſe, hac vice eos ſimul procudi curavit. Ac de prioris argumento quidem ſatis jam dictum eſt ad Mocketum. Alter perpetuam exhibet colla-

collationem Juris Feudalis cum conſuetudine Normanniæ. Specimen dabit unica ſectio 6 Partis III, *de Cognitione per Duellum.* Secundus modus, inquit Autor, experiundi juxta Jus Feudale erat Duellum, in quo qui ſuccubuit, idem etiam in cauſa cadebat. *Feud. lib. 2 t. 27.* In conſuetudinario Normanniæ cuſt. c. 68 & 127 dicitur Vadiatio Duelli, in quo ſic proceditur: pugiles in die duelli ante horam meridiei in curia comparere debent in tunicis, cum ſcutis & baculis cornutis armati, capillos ſuper aures rotunde adæquatos habentes: cumque uterque eorum ſe Juſtitiario obtulerit, Duelli verba per Juſtitiarium debent recitari, & deinde ad campum ducendi ſunt pugnaturi. Et quatuor milites eligendi ſunt, qui campum cuſtodiant, omneſque alii ſedere debent in corona, & bannum Ducis proclamatur, ne quis ſub pœna vitæ & membrorum, verbo vel facto, alicui pugilum auxilio, vel impedimento, ſit. Tum pugiles, præſtitis invicem juramentis de veritate cauſæ, & quod *ſorcerias* non adhibeant, & peracta competenter oratione, pugnam ineunt; & ſi defenſor ſe usque ad ſtellas de nocte in cœlo apparentes defendere poterit, victoriam conſequitur.

RELATIO DE DUOBUS ULCERIBUS SINUOSIS, totum brachium dextrum occupantibus, JOANNIS FAWLERI, Chirurgi, ad D. GUILIELMUM COCKBURN, Societatis Regiæ Socium.

Translata ex Transactionibus Anglicanis, N. 302, A. 1707, §. 4.

Joannes Marsh, juvenis 16 annorum, ſub declinatione febris continuæ tumorem nanciſcebatur in brachio, cujus curam cuidam Chirurgo committebat. Cum autem duobus præterlapſis annis nulla ſanationis ſpes affulgeret, ego accerſitus duo reperiebam ulcera ſinuoſa in brachio dextro, uno circa muſculum deltoidem ad juncturam fere usque aſcendente, & ad cubitum deſcendente, & ad pollicem unum cum dimidio aſcendente. Apertis ſinubus os carioſum & ſeparatum ſe offerebat,

quod quinque pollices longum extrahebam. Tres ſeptimanas poſt aliud fragmentum ſeparabatur, duos pollices longum, quod medullam immediate contingebat. Hæc ulcera intra novem menſium ſpatium ſuccreſcente firmiſſimo callo ita curabantur, ut 50 librarum pondus brachio tollere poſſet juvenis.

OBSERVATIO ANATOMICA DE EXITU ſanguinis venoſi in Auriculis et Corde. Extracta ex Diſſertatione Inaugurali, die 15 Maji A. 1708 Lugduni Batavorum ab ADAMO CHRISTIANO THEBESIO, Sileſienſi, habita.

Præter hactenus notos ſanguinis venoſi exitus, multo plures, tum in auricula, tum in corde, forte fortuna mihi occurrerunt. Cum enim in vena cava, cordi imminente, & fibris carneis inſigniter roborata, foveolæ multæ appareant, quæ nil niſi oſcula ſunt venularum, tum a tunicis ipſius cavæ, tum aliunde advenientium, & in ampliſſimum alveum hiantium; ſuſpicio inde mihi nata eſt, an non forſan multa hujusmodi foramina in cordis & auricularum aditis figura illis prorſus ſimilia eadem munia ſuſtinerent. Quare, ut certus fierem, aquam ſiphone in venam coronariam leniter immiſi; tum vero ventriculo dextro æque ac ſiniſtro aperto, vaſisque diſciſſis debite obſervatis, (ne liquor ab illis in ſinus proſiliens experimentum fallax redderet) ex foveis quamplurimis aquam copioſe prodire conſpexi, vaſis ceteroquin & reliqua cordis ſubſtantia illæſis permanentibus. Nondum tamen experimento huic, eodem ſucceſſu in cujuscunque animalis corde ſæpius repetito, ita fidere audebam, ut nihil prorſus dubii ſupereſſet, ſuſpicatus, venulas per trajectionem aquæ, utcunque lenem & cautam, aliquatenus tamen violentam, in iis locis poſſe rumpi; adeoque exhiberi phænomena, quæ maxime ambigua ſint, nec unquam forſan in corpore vivo contingant. Hinc ſatius fore duxi, ut, nulla liquoris transfuſione prægreſſa, in corde integro in ipſa vaſa cultro Anatomico inquirerem. Hunc in finem corda, ovinum bubulumque, quorum vaſa minora facilius in oculos incurrunt, adhi-

adhibui. Et primo ſtatim intuitu curatiori intra ventriculi dextri ſcatebras animadverti; decurrere per ſuperficiem gracilia quædam vaſcula, & ex ſurculis minoribus in truncum abire, qui in ſcrobiculum quendam aperitur. Harum orificiis cum applicarem tubum, flatus immiſſus promtiſſime omnes ramificationes diſtendit, atque penitius circumiens, aliasque ſocias venulas penetrans ex perplurimis foveis, bullulis factis, prorupit; ut inde dubitationi locus amplius non ſit relictus. Hæc poſtmodum eadem cura in corde bubulo recens exſecto & adhuc calido indagavi; eo quidem ſucceſſu, ut venulas ejusmodi ſemper copioſius viderim, nec unquam cor fruſtra aperuerim.

Idem reperi in utraque auricula, &, quod mirere, in ventriculo cordis ſiniſtro. Ibi enim ſi pari ratione tubum cavernulæ cuidam apponas, flatus per venulas copioſiſſimus circumibit; & ne putemus, fieri ecchymoſia a flatu fortius intruſo, elevatamque membranam vaſa mentiri, attendi debet ſanguinis motus in venulis illis, ſi cor recens ſit, & flatus progreſſio obſervetur, qui usque in venæ coronariæ ramos ampliores externos penetrat.

Ita vix unquam curioſus horum indagator fruſtra erit, ſi in cordis bubuli thalamo dextro circa radices trabi carneæ a ſepto ad oppoſitum parietem transverſim protenſæ foveolas perquirat, tubuloque caute applicato flatum immittat. Tum enim ſtatim venulæ, quæ in illas aperiuntur, flatu turgidæ redduntur, quæ circa hæc loca in ſuperficie decurrere, adeoque oculis noſtris clare patere, ſemper deprehenſæ ſunt. Neceſſe enim eſt, ut in thalamis æque ac auriculis foramina minora potius excutiamus, quam majora, utpote minus cum aliis communicantia; quæ alioquin fovearum mutua inoſculatio facit, ut flatus per magis patulos exitus prodeat, minoribus venularum oſculis prætermiſſis. Accedit & illud, quod ſulci ampliores & profundiores venulas quoque profundius ex ſubſtantia cordis corrivantes recipiant, quæ licet flatum admittant, oculis tamen indagantis ſeſe exhibere nequeunt.

Eadem ratione res ſuccedit, ſi ramum venæ coronariæ majorem, potiſſimum illum, qui exterius per ventriculum ſini-

Digitized by Google

ſtrum decurrit, & maxime omnium vicinus eſt dextro, multosque ab hoc ventriculo & ſepti convexitate ramos recipit, flatu diſtendamus: ſic namque cordis ſepto patente ex plurimis ejus foveis copioſus flatus prodibit, bullasque formabit in ſanguine ex venularum oſculis flatu primum protruſo, & intra foramina hærente.

Denique liquores colorati, gluten ſolutum, ipſaque ceræ, aptata manu, ramis venarum aperturas & in utraque auricula & in ambobus cordis thalamis clare demonſtrant. Utut non negandum ſit, injectionibus violentioribus aliquando perrumpi vaſa, qui tamen exitus liquoris immiſſi vi factus a genuino a quolibet facile diſtingui poteſt.

Hæc vero experimenta pari ratione in corde humano ſuccedunt. Sic flatus venæ coronariæ immiſſus, reliquis omnibus aditibus occluſis, promtiſſime per orificia illa in cor penetrat, illiusque ventriculos veſicæ in modum expandit; ipſa autem vaſorum orificia a priori, cum vaſculis ipſis ſanguine plenis, quemadmodum in corde bubulo, hactenus in corde hominis inquirere nondum licuit.


Quæ cum ita ſint, abunde puto nobis cum veritate convenire, ſi aſſeramus, multas eſſe venas & inter ſe & cum aliis venæ coronariæ ramis ad canalem communem commeantibus, copioſis anaſtomaſibus connexas, ſanguinem in auricularum ſinuumque cordis foveas deducentes.

Eplicatio Figurarum.

TAB. II Fig. I. — Fig. I. Cordis bubuli ventriculum dextrum apertum exhibet, cujus paries externus verſus ſuperiora reclinatus eſt.

A. Venæ cavæ introitus.
a. a. a. Valvulæ tricuſpidales.
B. Arteria pulmonaria.
b. b. b. Valvulæ ſemilunares.
C. C. Auricula dextra.
c. Venæ coronariæ orificium alterum.
D. Vaſa coronaria externa, quorum vena per tubum immiſſum flatu diſtenta apparet.

F. E. E.



Digitized by Google

Digitized by Google

E. E. E. Foveæ in ſepto cordis, ex quibus ſtatus ramo venæ coronariæ externæ immiſſus, bullulis factis, prodit, & venarum aperturam in foveis probat.

e. e. e. e. Venulæ ubique a foveis receptæ.

F. F. Venæ in foveolas circa radicem trabis transverſæ ſe aperientes.

G. G. Trabs carnea diſciſſa.

Fig. II. Partem ventriculi ſiniſtri cordis bubuli ſiſtit. Fig. 2.

A. A. A. A. Foveæ, in quas flatus immiſſus tranſit in venas hic ſe aperientes.

a. a. a. a. Venulæ flatu tumentes.

B. Venæ coronariæ externæ ramus, ad quem flatus ſimul pertingit.

C. Arteriæ coronariæ ramus ad latus venæ ſitus.

MAGNÆ BRITANNIÆ NOTITIA: OR, THE preſent State of Great-Britain.

i. e.

PRÆSENS STATUS MAGNÆ BRITANNIÆ, cum variis obſervationibus de ſtatu ejus antiquo; Autore JOANNE CHAMBERLAYNE, Socio Regiæ Societatis.

Londini, apud Timotheum Goodwin & reliq. 1708, 8. Alph. 2 plag. 5.

Nota ſatis & commendata omnibus eſt *Angliæ Notitia*, ab Eduardo Chamberlayne anno primum 1669 edita, & poſtea ſæpius recuſa, ſubindeque ab Auctore ejusve filio Joanne aucta plurimum atque emendata. Sed hactenus ſimilis Scotiæ Notitia deſiderabatur, quam cum nova illius editione conjungi nunc hoc magis conveniebat, quo firmiori vinculo haud ita pridem utrumque Regnum fuerat unitum. Præſtitit hoc Joannes Chamberlain, qui Magnæ Brittanniæ ſtatum hodiernum ita duabus Partibus deſcripſit, ut altera Angliæ, altera Scotiæ, ſtatum traderet, quarum adeo illa nunc viceſima ſecunda, hæc

hæc prima vice prodit. Atque in illa quidem præter ea, quæ de reditibus Regiis inſerta ſunt, hactenus non omnibus comperta, pauciora nunc addita invenias, in hac vero omnem induſtriam poſuit Autor, ut quam emendatiſſime prodiret. Itaque in generali Scotiæ deſcriptione Jacobi Dalrymple editionem ſecundam Britanniæ Camdenianæ, qua Scotiam ſpectat, in Inſularum vicinarum deſcriptione Martinium, in rebus Eccleſiæ Morthlandum, in aliis alios ſecutus eſt. Præterea vero multum ſe debere fatetur Jacobo & Davidi Dalrymple, Davidi Nairne, Jacobo Anderſonio & Alexandro Cuninghamo, qui ſchedas ſuas accurate perluſtratas emendaverint, & luculentiſſimis obſervationibus exornaverint. Ceterum dubium non eſt, quin hæc quoque libri utiliſſimi pars, ubi denuo prelo ſubjicietur, ſupplementa habitura ſit plurima.

GLOSSOGRAPHIA ANGLICANA NOVA: OR, a Dictionary, &c.

i. e.

DICTIONARIUM, QUO VOCABULA DIFFICILIORA, in idiomate Anglicano occurrentia, explicantur.

Londini, apud Danielem Brown, 1707, 8, ch. maj.
Alph. 1 pl. 15.

DICTIONARIUM ANGLO-BRITANNICUM: OR, a General English Dictionary, &c.

i. e.

DICTIONARIUM ANGLICANUM GENERALE, quo vocabula difficiliora, quæ ex aliis linguis derivantur, tum ea, quæ ad Artes & Scientias, tum Liberales, tum Mechanicas, ſpectant, perſpicue explicantur; Autore JOANNE KERSEY.

Londini, apud Jo. Phillips, 1708, 8, ch. maj.
Alph. 3 pl. 18.

Poſt

Digitized by Google

POſt tot Dictionariorum realium ſpiſſa volumina, quæ Viri Cl. Blunt, Philips, Cole, Harris, aliique, Anglice edidere, non deſunt, qui Lectorum commoditati minora quoque condant. Duo hic producimus, quorum idem fere uſus eſt; quamvis Kerſæus Anonymum articulorum numero, ut mole, aliquantum ſuperaverit. Uterque Theologicos, Juridicos, Medicos, Philoſophicos, Hiſtoricos, Heraldicos, aliosque omnium fere artium & ſcientiarum, terminos explicat; in Heraldicis tamen id habet præcipuum Anonymus, quod ipſas etiam figuras accurate repræſentet. Kerſæus vero magno inprimis ſtudio antiquata vocabula, quæ in vetuſtis legibus, ſtatutis, diplomatibus, obveniunt, tum nomina propria virorum & fœminarum, & appellativa metallorum, plantarum, & ſimilium, nec non nummos, pondera, & menſuras, quæ in minoribus Dictionariis hactenus non exſtabant, explicat.

CONTINUATIO ANNOTATIONIS SUPER Animadverſione in difficultatem, Hugenianæ de Centro Oſcillationis Demonſtrationi oppoſitam, agens de diverſis centri oſcillationi Hypotheſibus pro variis motus oſcillatorii quantitatibus.

EX jam dictis de oſcillationis centro (Sect. I p. 29 ſqq.) ſatis liquet, mutuam eſſe relationem velocitatis totalis v Pendulorum compoſitorum, hoc eſt, quantitatis motus omnibus eorum particulis minimis diſpertitæ, & longitudinis z Pendulorum ſimplicium iſochronorum. Fit namque (III) $z = (h\int{}^2\delta) : gv^2$ & conſequenter (IV) $v = (h^{1:2}\int\delta) : g^{1\,2} z^{1:2}$ ubi, ſicut modo obſervatum eſt, exponuntur, per $\int\delta$ ſumma intervallorum δ, quibus omnia Pendulorum elementa ab axe ſuſpenſionis diſtant, per g ejusdem axis a communi gravitatis centro diſtantia, & per h hujus centri deſcenſus altitudo.

Porro ut centrum gravitatis fieret quoque centrum oſcillationis; neceſſe foret z & g congruere, proindeque v ſuperius notatam (IV) evadere $= (h^{1:2}, \int\delta) : g$, talem videlicet ſingula vibratione, qualis exprimitur per radicem quadratam; ex altitudine deſcenſus centri gravitatis ductam in rationem, quam ſumma inter-

vallorum inter axem agitationis & puncta omnia penduli habet ad intervallum inter eundem axem & idem gravitatis centrum. Ex hac velocitatis totalis menſura conſequens eſt in pendulis vere ſimplicibus centrum oſcillationis idem eſſe punctum cum centro gravitatis. Sit AC (Fig. 5) virga longitudinis datæ a, parte ſuprema circa axem DD libere mobilis, parte ima appenſum pondus C ſuſtinens. Intelligamus autem cum Hugenio, tum virgam ipſam, tum pondus appenſum, in particulas minimas æquales 11, 22, 33, &c. diviſa; quarum particularum numerus b in virga ſit ad numerum c in pondere, ſicut gravitas virgæ ad gravitatem ponderis. Summa intervallorum a particulis omnibus ad punctum ſuſpenſionis A eſt $= \frac{1}{2}ab$ (ea, quam ponit celeb. ille Geom.) Gravitate enim per totam virgæ longitudinem AC æqualiter diſpertita, ſingula particula 11, 22, &c. valet $\frac{b}{a}$: Diſtantiis vero arithemiticis A 1, A 2, A 3, &c. adæquantibus ſimul triangulum rectangulum $\frac{1}{2}aa$, productum $(b:a)\ \frac{1}{2}aa$ exprimit aggregatum A11 + A22 + A33 &c. talium parallelarum diſtantiarum haut ſenſibili diſcrimine a præciſa dictorum intervallorum ſumma differens ob exilitatem virgæ. Quod ſpectat ad intervalla, quibus idem axis DD a minimis particulis ponderis C abeſt; illorum ſumma intervallo a inter centrum ponderis C & punctum ſuſpenſionis A multiplici ſecundum numerum c particularum hoc pondus componentium cenſenda eſt æqualis; quum ipſius ponderis nec figuram, nec magnitudinem, ſed ſolam gravitatem tanquam alicujus rectæ 44 (Fig. 5) axi DD parallelæ conſiderare hic liceat. Itaque $\int \delta$ ibi eſt $= \frac{1}{2}ab + ac$. Atqui b ſemper poteſt aſſumi $= g$ quod intervallum nunc dicimus a: Ergo valor noſtræ z ſupra notatus (III) hic evadit $= (\frac{1}{4}a^2b + a^2bc + a^2c^2) : v^2$ pro longitudine penduli ſimplicis compoſito ex virga gravi & appenſo pondere iſochroni; qualiſcunque ad definiendam velocitatis totalis v menſuram theoria centri oſcillationis aſtruatur. At ſi virgæ inflexibilis CA nulla eſſet craſſitudo, nullaque gravitas; tunc b evaneſceret, centri oſcillationis a puncto ſuſpenſionis diſtantia z fieret $= a^2c^2 : v^2$ & ſumma $\int \delta$ redigeretur ad ac. Adeo ut permanente $b = g = a$, velocitas totalis, quam hic ſtatuimus $= (b^{1:2}, \int \delta) : g$ efficeretur $= a^{1:2}, ac : a = c \sqrt{a}$: Cujus quadra-

to

to in locum v^2 in quantitate $a^2c^2:v^2$ ſubrogato, invenitur centri oſcillationis diſtantia quæſita $z = a^2 c^2 : ac^2 = a = AC$, quæ ideo ad centrum gravitatis C terminaretur.

Verum hinc facile animadvertitur, theoriam, iſta duo centra adunantem, non parum a naturali oſcillationum ſyſtemate nulla pendula vere ſimplicia admittente, quodcunque illud ſit, diſcrepare. Etenim ſumma $\int s^{1:2}$ radicum quadratarum ex altitudinibus s, unde elementa pendulorum oſcillantium deſcendunt, & quibus celeritates horum elementorum vibrationes ſuas ſeparate peragentium exprimuntur, eſt quantitas minor, quam $(b^{1:2}, \int \delta) : g$ ſumma celeritatum, quas in hac theoria eadem elementa conjuncte acquirerent. In primo exemplorum, quæ initio diſſertationis noſtræ prolata ſunt, habemus primo $b = g = \frac{1}{2} a$ & $\int \delta = \frac{1}{2} aa$: Igitur $(b^{1:2}, \int \delta) : g$ fit $= \sqrt{\frac{1}{2} a}, 2aa : 2a = a\sqrt{\frac{1}{2} a}$. Secundo $s = \delta$: Ergo $\int s^{1:2} = \int \delta^{1:2}$ eſt $= \frac{2}{3} a \sqrt{a} = a\sqrt{\frac{4}{9} a}$ perſpicue minori, quam $a\sqrt{\frac{1}{2} a} = a\sqrt{\frac{4}{8} a}$. Ita ut neceſſe foret, in ſumma particularum, ex quibus pendula componuntur, plus motus produci, dum connexæ oſcillant, quam ſi ſeparatæ ſuas oſcillationes agerent; remotis ſcilicet exterioribus impedimentis. Quaſi vero id ſola connexio efficeret; quæ nihil gravitati, vi motrici corporum oſcillantium, addere poteſt. Talis itaque theoria de centro oſcillationis in rerum natura impoſſibilis cenſenda eſt. Quanto magis imaginarias dicemus eas, quæ majorem adhuc motus oſcillatorii quantitatem pendulis compoſitis attribuerent. Harum phyſice impoſſibilium numero adſcribenda illa eſt, quæ ex argumento ſequenti diduci poteſt.

Breviorum pendulorum celeriores ſunt oſcillationes, longiorum vero lentiores. Si hæc cum illis conjunguntur, neceſſarium ſit, ut non niſi eodem tempore oſcillent. Eorum igitur celeriores oſcillationes retardarentur, dum accelerarentur lentiores. Tempus itaque, quo penduli compoſiti duraret oſcillatio, medium eſſet inter tempora, quæ illius elementa ad oſcillandum ſeorſim impenderent; nempe exprimendum eſſet quotiente, quem ſumma exempli cauſa $\int \delta^{1:2}$ radicum quadratarum ex intervallis δ ab axe ſuſpenſionis ad hæc elementa dp daret diviſa per ipſorum numerum infinitum $\int dp$. Conſequenter quadratum $\int^2 \delta^{1:2} : \int^2 dp$

hujuſce medii temporis exprimeret longitudinem $\int^2 \delta : v^2$ penduli ſimplicis iſochroni: Unde in iſta theoria $v = (\int \delta, \int dp) : \int \delta^{1:2}$, quæ modus oſcillatorii quantitas ſic excederet quantitatem $\int \delta^{1:2}$, ut centrum oſcillationis altius centro gravitatis conſtitueret. In tertio Exemplorum noſtrorum, idem eſt $\int dp$ atque $\frac{1}{2} ab$ triangulum iſoſceles ex ſua baſi b ſuſpenſium. Sunt præterea $\int d = \frac{1}{6} uab$ & $\int \delta^{1:2} = 4 a^{3:2} b : 15 = (64 ab \sqrt{a}) : 240$, qua expreſſione deſignatur ſumma celeritatum ab omnibus hujuſce trianguli punctis ſeparate acquirendarum. Ibi ergo fit $v = 5 a^{3:2} b : 16 = 75 (ab \sqrt{a}) : 240$, qua ſcilicet quantitate exprimitur velocitas totalis ab iiſdem punctis triangulum complentibus conjuncte acquirenda, tum manifeſte major, quam $(64 ab \sqrt{a}) : 240$, tum determinans diſtantiam $\int^2 \delta : v^2$ inter axem & centrum oſcillationis $= \frac{64}{225} a$ evidenter minorem diſtantia $\frac{1}{3} a$ ſeu $\frac{75}{225} a$ inter eundem axem & centrum gravitatis. Quod naturaliter fieri non poteſt.

Rejectis igitur hujuſmodi theoriis centri oſcillationis, phyſice imaginariis; aliæ, quæ hoc centrum in pendulis compoſitis inferius centro gravitatis ſtatuunt, conſiderandæ ſunt ſolæ tanquam poſſibiles, inter quas naturalis ac vera inveſtiganda eſt vel ratione, vel experientia duce. Ejus autem generis notabiles mihi videntur duæ, prout in particulis æqualibus minimis mobilium oſcillantium aut *vim*, aut *velocitatem*, attendere libet. Harum particularum infinite exiguarum *velocitatem* dicimus quantitatem motus oſcillatorii, cum qua æquabiliter certum ſpatium certo tempore ſingula percurreret. Per *vim* intelligimus iterationem continuam hujus velocitatis, in hoc ſpatio, tempore determinato; id eſt, productum velocitatis per ſpatium, unitate particulam mobilem exprimente. Secundum primam iſtarum ambarum hypotheſium *velocitas totalis* penduli libere circa axem ſuſpenſionis librati concipitur *æquari ſummæ celeritatum*, quas omnia ejuſdem penduli elementa ſeparate circa eundem axem agitata, renixu aëris remoto, acquirerent; iiſque inter ſe connexis neceſſario diſtribui in ratione arcuum ſimul deſcribendorum, ſive diſtantiarum ab axe communi. Secundum alteram hypotheſim, *vis totalis*, quam omnes particulæ penduli circa ſuſpenſionis axem proprio pondere librati ad percutiendum obicem habent, ſupponitur *æquari ſummæ*

mæ virium, cum quibus a cauſa gravitatis ſimul impulſæ concipiuntur; iisque motis diſtribui intelligitur in ratione quadratorum ex arcubus una deſcriptis, ſive ex diſtantiis ab axe.

Imagineris duo pondera æqualia C & D (Fig. 3) quæ ex eodem puncto A ad inæqualia intervalla CA & DA ſuſpendantur: Totque bina ſimilia, quot volueris, circa communem diametrum ALM ſimiliter poſita intelligas. Si ſingulus conatus gravitatis ſingulum iſtorum ponderum æqualium verticaliter deorſum urgentis deſignatur æqualibus lineolis ad horizontem perpendicularibus CO, DP, MN, &c; tunc obliquæ reſpectu horizontis impreſſiones, quas in hæc pondera circum idem ſuſpenſionis punctum A duntaxat mobilia conatus ille facit, exprimentur per exiguos arcus inæquales CT, DV, MK, &c. qui radiis AC, AD, AM, &c. deſcribuntur, comprehenduntur que inter eos radios & ipſis parallelas rectas OT, PV, NK, &c. ductas e punctis O, P, N, &c. usque ad eosdem arcus, quibus proinde normaliter occurrerent. Quum illi arcus radiis ſuis non ſint proportionales; eorum alii, exempli cauſa CT, habentur majores, & alii, velut DV, minores, quam qui in ratione eorundem radiorum fiunt inter ſe ſimiles, ut CR, DS, &c. Quoniam autem pondera C, D, &c. in eodem pendulo, cujus totidem elementa ſunt, invariabili vinculo conjunguntur; non niſi ſimul moveri, & ideo non alios circulorum arcus, quam radiis proportionales, percurrere queunt. Iſtorum itaque ponderum inter ſe connexorum alia (C) velocius, alia (D) lentius, quam ſimilitudo arcuum deſcribendorum (CR, DS) permittit, ſingulo inſtanti a gravitatis conatu oblique urgerentur. Illa ergo ſic ſecum hæc in easdem partes mobilia traherent, ut fieret motus; hoc eſt in prima dictarum hypotheſium, ut impreſſionum, majores, quod deeſſet, minoribus conferrent, ſicque celeritatum naſcentium omnes defectus (VS) compenſarentur omnibus exceſſibus (RT). Quamobrem pone $\int RT = \int VS$: Hinc (ſingulo RT exiſtente $= CT - CR$, & ſingulo $VS = DS - DV$) colliges $\int(CT - CR) = \int(DS - DV)$ quod idem eſt ac $\int CT - \int CR = \int DS - \int DV$; ac tandem $\int CT + \int DV = \int DS + \int CR$, ſive $\int(CT + DV) = \int(CR + DS)$ quod ſignificat ſummam velocitatum a conjunctis penduli compoſiti CAD elementis acquiſitarum

TAB. II. Fig. 3.

Digitized by Google

rum, quæ naſcentes parvis arcubus CR, DS, &c. deſignari poſſunt, æqualem eſſe ſummæ celeritatum ab iisdem elementis ſejunctis acquirendarum, quas naſcentes exigui arcus CT, DV, &c. exprimere queunt. Expoſitis porro tum per rectam AM longitudine quæſita penduli ſimplicis dicto compoſito iſochroni, tum per arcum MK velocitate ipſius naſcente; datur ob iſochroniſmum hæc analogia: Sicut AM ad MK, ita $\left\{\begin{array}{l}\text{AC}\\ \text{AD}\\ \text{\&c.}\end{array}\right.$ ad $\left\{\begin{array}{l}\text{CR}\\ \text{DS}\\ \text{\&c.}\end{array}\right.$, ita quoque $\int(\text{AC} + \text{AD})$ ad $\int(\text{CR} + \text{DS}) = \int(\text{CT} + \text{DV})$ Ergo $\text{MK} = \text{AM}, \int(\text{CT} + \text{DV}) : \int(\text{AC} + \text{AD})$. At fieri poteſt, ut ſimplex illud pendulum, dum agitari incipit, ex altitudine z æquali rectæ AM deſcendat: tunc ipſi acquiſita velocitas, ſecundum accelerationem lapſus Gravium ſenſibili tempore, fieret $z^{1:2} = \surd$ AM: tunc ſi elementa C, D, &c. penduli compoſui ſeparatim ſenſibili tempore oſcillarent, naſcentes eorum velocitates per exiguos arcus CT, DV, &c. expreſſæ ſic gradibus accreſcentibus augerentur, ut exponi poſſent per radices quadratas ex altitudinibus ε unde hæe elementa conjuncta deſcendiſſent. Per conſequens $\int\delta$ ſignificante $\int(\text{CA} + \text{AD})$, erit $\text{MK} = z\int\varepsilon^{1:2} : \int\delta = z^{1:2}$ & tandem $z = \int^2\delta : \int^2\varepsilon^{1:2}$ longitudo AM penduli ſimplicis iſochroni, quæ in prima hypotheſium *poſſibilium* proponebatur invenienda, & quam majorem eſſe diſtantia AL centri gravitatis a puncto ſuſpenſionis A oſtendere ſequenti exemplo ſufficiet.

TAB. II. Fig. 4. Eſto Figura oſcillans rectangulum HHGG e latere ſuo HH ſuſpenſum. Nominetur x ſingula recta abſciſſa Al (Fig. 4) ſecundum ejus longitudinem HG; y ſingula recta ordinata ld ad Al, etſi eadem ubique; a latus HG; b latus alterum HH. Integrali creſcentium x nempe $\frac{1}{2}x^2$, ducto in conſtantem $2y$, obtinebitur ſumma variabilis Abſciſſarum Al, ſeu ſingulum ſegmentum $\text{Hd} = x^2y^1$, quod in toto HG adæquat $\frac{1}{2}a^2b^1 = \int\delta$. Prætcrea integrali variabilium $\surd x$, ſcilicet $\frac{2}{3}x^{3:2}$, multiplicato per eandem conſtantem $2y$, habebitur ſumma $\frac{4}{3}x^{3:2}y$ radicum quadratarum ex omnibus Al cujusque ſegmenti Hd creſcens in rectangulo integro usque ad $\frac{2}{3}ab\surd a$ exprimensque omnes radices quadratas $\varepsilon^{1:2}$ altitudinum omnium Al, e quibus cuncta penduli elementa

ta C, D, &c. deſcenderent dum gravitatis centrum commune L ex altitudine tanta quanta eſt diſtantia AL delaberetur. Itaque AM $= \int 2\delta : \int 2 \; \varepsilon 1 \cdot 2$ evadet $9a_4 b2 : 16a3b2 = \frac{9}{16}a$, evidenter longior, quam ipſa AL $= \frac{1}{2}a = \frac{8}{16}a$: Quod erat oſtendendum. Idem in primo Exemplorum noſtrorum deprehendes, ubi eſt AL etiam $= \frac{1}{2}a$ & $z = a4 : 4v2$, modo feceris ſecundum eandem hypotheſim $\int \varepsilon 1{:}2 = v = \frac{2}{3}a \; 3{:}2$; quandoquidem linea recta conſiderari poteſt, ac ſi eſſet rectangulum minimæ latitudinis.

Quod ad ſecundam de centro oſcillationis hypotheſim *poſſibilem* attinet: Quoniam Penduli particulæ D, C, &c. (Fig. 3) a gravitate oblique urgentur cum celeritatibus, veluti DV, CT, &c. quarum alia eſt ratio, quam quæ datur diſtantiarum ab axe ſuſpenſionis DA, CA, &c.; nec tamen ob invariabilem connexionem moveri queunt, quin circulorum arcus his diſtantiis proportionales deſcribant, hoc eſt, quin velocitates, ſicuti DS; CR, &c. in ratione earundem diſtantiarum concipiant: Neceſſe videtur, ut, ſi omnium impreſſionum a gravitate in iſtas particulas oblique factarum diſtributionem analogam circularibus ſpatiis ſimul conficiendis admittere nolis, contendas ex omnibus illis celeritatibus una tendentibus ad illas particulas transferendas per illa non proportionalia ſpatia oriri ſummam virium DV, DA, D; CT, CA, C; &c. quæ dum easdem particulas immutabili vinculo copulatas impellit; nequaquam eas conjunctim movere poteſt niſi ipſo inſtanti convertatur in æqualem ſummam totidem aliarum virium D, AD, DS; C, AC, CR; &c. reſultantem ex iisdem particulis ſimul movendis, ex iisdem radiis arcuum una deſcribendorum, & ex aliis velocitatibus, ſed in ratione radiorum proportionalibus, adeoque ſolis ad realem motum requiſitis. Facies ergo in hoc ſyſtemate

$$\left\{\begin{array}{l} \text{CT, CA, C} \\ + \\ \text{DV, DA, D} \\ + \;\&\text{c.} \end{array}\right\} = \left\{\begin{array}{l} \text{C, AC, CR} \\ + \\ \text{D, AD, DS} \\ + \;\&\text{c.} \end{array}\right\}$$

: Suppoſitisque in Figura tertia MN $=$ CO $=$ DP $= m$; MK $= n$; AC aut AD $= \delta$; AL $= \gamma$; 3. 1 $=$ 1. 2 $= \lambda$; AM $= z$; C aut D $= dp$; habebis primo (ex triangulis rectangulis ſimilibus NKM & L1A) MN

TAB. II. Fig. 3.

$\begin{array}{c|c||c|} MN & MK & AL \\ m & n & \gamma \end{array}$ At $= n\gamma : m$; unde colliges A3 = A1 + 1. 3. $= (n\gamma : m) + \lambda$ & A2 = A1 − 1. 2. $= (n\gamma : m) - \lambda$; ſecundo ex trianpulis rectangulis etiam ſimilibus A3 C & CTO, aut A2D & DVP) AC aut AD ad A3 aut A2

δ $(n\gamma \pm m\lambda) : m$

ita CO aut DP ad CT aut DV $= (n\gamma \pm m\lambda) : \delta$; tertio (ob iſo-

m

chroniſmum) AM : MK = AC aut AD : CR aut DS $= n\delta : z$.

z n δ

Ergo CT, CA, C; aut DV, DA, D fit $= ((n\gamma \pm m\lambda) : \delta)\,\delta,\ dp = n\gamma dp \pm m\lambda dp$; & C, AC, CR; aut D, AD, DS, eſt $= dp,\ \delta,\ n\delta : z = \delta\delta dp,\ n : z$. In reſpectivis autem binis $+ m\lambda$, $- m\lambda$, quantitas m eadem conſtat, & ambæ variabiles λ coæquantur; quare ſumma $\left\{\begin{array}{l} CT,\ CA,\ C \\ + \\ DV,\ DA,\ D \\ + \quad \&c. \end{array}\right\}$ valet $\int n\gamma dp + \int m\lambda dp - \int m\lambda dp = \int \gamma dp,\ n$. Inſuper quum quantitas n ſit conſtans, & z incognita invariabilis in Figura oſcillante propoſita; ſumma $\left\{\begin{array}{l} C,\ AC,\ CR \\ + \\ D,\ AD,\ DS \\ + \quad \&c. \end{array}\right\}$ æquivalet ipſi $\int \delta\delta dp,\ n : z$. Per conſequens (ex poſito principio) $\int \gamma dp,\ n = \int \delta\delta dp,\ n : z$, tandemque $z = \int \delta\delta dp : \int \gamma dp =$ AM pro hac ſecunda hypotheſi.

Ponatur nunc idem pendulum compoſitum ex ponderibus quotlibet dp ab axe per punctum A ducto ad intervalla δ ſuſpenſis, in ſublime attrahi usque dum linea centri gravitatis AL ad lineam verticalem certo angulo inclinetur, atque hinc dimitti; ita ut ſtatim atque centrum L ex altitudine æquali ipſi rectæ AL (præcipuæ omnium ſimilium γ) delapſum erit, ſingula pondera dp communi vinculo dirupto (in aliqua videlicet obſtacula impingendo) acquiſitas celeritates $\partial v : \int \delta$ ſingulis axis diſtantiis (δ) proportionales ſurſum convertant; & quo usque poſſunt aſcendant, nempe

nempe ad altitudines quadratis $\delta\delta v^2 : \int^2 \delta$ harum celeritatum exprimendas. Summa omnium productorum ducendo ejusmodi altitudinem ſingulam in ſingulum pondus aſcendens factorum erit $= \int \delta\delta dp, v^2 : \int^2 \delta$ aliter $= \int \delta\delta dp, : z$, ubi $\delta\delta dp$ variabilis eſt, non vero $\int^2 \delta, : v^2$, qua quantitate ſignificari longitudinem z penduli ſimplicis iſochroni, dependenter a totali velocitate v penduli compoſiti, ſupra demonſtravimus. Illa autem productorum ſumma (tertia Propoſ. Part. 3 Tract. de Horol. oſcil.) æquivalet ſummæ ponderum dp multiplicatæ per altitudinem aſcenſus centri gravitatis ipſis communis. Unde conſequens eſt, eam altitudinem exprimi per $\int \delta\delta dp : z \int dp$. Qua ſecundum Hugenium (Prop. 4 Part. 3 Tract. ejusdem) adæquata altitudini γ deſcenſus centri gravitatis L, invenitur $\int \delta\delta dp : \int \gamma dp = z$; haud ſecus ac poſito præcedenti principio, quod ſane non minus eget evidenti demonſtratione, quam Hugenianum. Etenim quænam inter generales motuum leges hactenus obſervata eſt, qua conſtet, omnia pendulorum oſcillantium elementa ſic a gravitate circulariter impelli ac moveri, ut ſumma virium ad movendum tendentium cum velocitatibus non convenientibus neceſſarie commutetur in æqualem ſummam aliarum virium movendo impreſſarum cum velocitatibus requiſitis? Fateamur ingenue, quod de hac re ſentiendum nobis videtur: Hypotheſis apparet iſta Hugenii theoria, quacunque ex parte ſpectetur.

In illa porro longitudinem penduli ſimplicis iſochroni majorem, quam in altera theoria, ante explicata, reperiri, per exemplum rectanguli circa baſin ſuam oſcillantis modo allatum facile innoteſcit. Singula ſegmenta (Al, AL, &c. TAB. I Fig. 5) rectæ hoc rectangulum ſuſpenſum bifariam ſecantis appellemus γ, quæ nominabamus x. Iis ordinatim ſumtis æquales hic fiunt diſtantiæ δ. Summa quadratorum ex omnibus γ, ſive integrale cunctorum γ^2 eſt $= \frac{1}{3}\gamma^3$; quod in unaquaque portione creſcente Hd hujusce rectanguli latitudinem HH $= b$ habentis, evadit $\frac{1}{3}\gamma^3 b$; & in ipſo rectangulo toto HHGG habente longitudinem HG ſeu maximam $\gamma = a$, migrat in $\frac{1}{3} a^3 b$ ($\int \delta\delta dp$, elemento 2ld, ſeu ſingulo dp exiſtente = HH = b). Præterea omnium productorum γ, b (γdp) ſumma indeterminata, ſeu integrale cre-

 ſcens

ſcens $\frac{1}{2}\gamma^2 b$ completur in $\frac{1}{2}a^2 b$ $(\int\gamma dp)$. Ibi ergo $\int\delta\delta dp:\int\delta dp$ fit $= 2a^3b : 3a^2b = \frac{2}{3}a = \frac{32}{48}a =$ AM, longior videlicet, quam $\frac{18}{28}a = \frac{27}{42}a$ alterius theoriæ: quod erat oſtendendum.

Ceterum non inficias imus, ipſo hypotheſis nomine theoriam Hugenianam præſtare alteri, quam poſſibilem quoque diximus. Nam primo, ſi objectus aeris motum oſcillatorium retardans attendatur; centrum oſcillationis prima iſtarum theoriarum nimis evehit, quanquam inferiorem centro gravitatis locum ei aſſignat; ſecunda vero, etſi usque adhuc incertum eſt, an præciſe, nec ne, idem centrum collocet, attamen quatenus illud magis deprimit, propius accedere ad phyſicum ſyſtema cenſeri poteſt. Secundo calculus mathematicus uſum habet tanto difficiliorem in priore hypotheſi, quanto in poſteriore faciliorem. Hæc enim poſterior punctum proprietatis notæ in figuris geometricis pro puncto quæſito aſſumit, centrum nempe percuſſionis pro centro oſcillationis; ſupponitque, cognitam eſſe cum ſummam quadratorum a diſtantiis inter penduli particulas æquales minimas & ſuſpenſionis axem interceptis, tum ſummam altitudinum, unde iſtæ particulæ minimæ deſcenderent, ſi commune centrum earum ex altitudine ſuæ ab eodem axe diſtantiæ æquali delaberetur, id eſt, ſummam productorum talis diſtantiæ in tales particulas ductæ. In illa autem priore hypotheſi, præterquam quod punctum quæſitum non aliunde notabile eſt, quantitates, quæ cognitæ ſupponuntur, ſunt dictarum diſtantiarum ab axe ſuſpenſionis & quadratarum radicum ex dictis altitudinibus ſummæ. At non ſolum ſumma infinita radicum quadratarum ex iſtis altitudinibus minus ſimplex in ſe eſt, quam ſumma infinita earundem altitudinum; verum etiam hæ diſtantiæ, quando inter ſe inclinantur, ſic evadunt irrationales, ut ſumma earum ſit algebraice inexplicabilis, non item quadratorum ab ipſis ſumma.

Neuvermehrte Welperiſche Gnomonica,
hoc eſt,

WELPERI GNOMONICA AUCTIOR.


Norimbergæ, apud Joh. Chriſtoph. Weigelium, 1708, in fol.
Conſtat 2 Alph. 16 plag. & 35 Tabb. æn.

Operi

Digitized by Google

Operi huic Gnomonico, quod rerum ubertate & perſpicuitate ſeſe commendat, perficiendo Autores tres incubuerunt.

Partem primam dudum
in qua horologiorum i
nantibus deſcribendoru
partem alteram de horo
rarum genera aliaque m
bendi: veruntamen cu
ſtophorus Sturmius non n
tem primam recudi feci
inde illuſtratam, ſed eti
ſatisfacientem. Addidi
giis reflexis; de horolog
quam irregularium ſupe
tilibus paſſim obviis, tan
demque de horologiis n
tempore *de la Hire* nov
umbris obſervatis horol
ſcribendi, vulgo uſitatis
nuper *Picardus* per calcu
tem, de quarum iſta in A
1695 p. 129 dictum eſt
tionem debemus, eam p
ſime dilucidat. Appe
ta eſt verſio Tractatus
ment. pag. 168 & ſe



tionis poſterioris, quæ priore auctior Londini anno 1700 in 12 prodiit. Inter illa augmenta referri quoque debet figura, inſtrumentum motus ſatellitum Jovis repræſentans, quod *Olaus Rœmerus* invenit, cum adhuc Pariſiis degeret, cujusque deſcriptionem cum *Flamſteedio* jam anno 1679 communicavit. In ea globus I Jovem, globuli p, s, t & q ſatellites ejus repræſentant. Numeri rotis adſcripti dentes determinant. Axis KL intra hebdomadem ſemel convertendus. Index in L affixus in circulo in 168 partes æquales diviſo horas ſingulas hebdomadis monſtrat. Reliqua nudus adſpectus docet. Enimvero opuſculum utiliſſimum in Ger- TAB. III.

 manicum

manicum idioma transferri meruit, cum in hoc genere unicum fere exiſtat. Quæ enim Guilielmus Oughtred in opuſculis Mathematicis Oxonii 1677 in 8 editis p. 68 & ſeqq. ſub titulo *Automata* de hoc argumento primus concinne admodum propoſuit, & *Jonas Moore* in Compendio Mathematico clarius poſtmodum explicavit, nimis adhuc imperfecta cenſenda ſunt.

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE, ejusque Baſilica in urbe Roma, Libri duo; Auctore PHILIPPO RONDININO, *Faventino.*

Romæ, excudebat Franciſcus Gonzaga, 1706, 4.
Alph. 2 plag. 12 Tabb. æn. 4.

Reverendus Abbas Philippus Rondininus has ingenii ſui primitias Clementi XI Pontifici, ceu frugum initia Sacerdoti, offert, non ſine ſpe, fore, ut hæc Clementis Baſilica, longævo nimis ætatis decurſu jam confecta, ſub Clementis XI beneficentia reſtauretur & ſplendidior reddatur. Conſtitutum eſt doctiſſimo Autori varia Veterum monimenta ſacra, quorum quædam propediem in Actis noſtris ſequentur, illuſtrare, & initium capit a S. Clemente ejusque Baſilica in urbe Roma, quod opus duobus Libris abſolvit. In primi Libri capite I S. Clementis vita & martyrium ſummatim deſcribitur, pluraque in dubium vocata pertractantur. Clementem igitur hunc poſt Petrum, Linum & Cletum ad apicem Pontificatus evectum fuiſſe, eundemque per annos 9 & menſes 6 tenuiſſe ſtatuit, atque illos errare putat, qui Linum & Cletum Chorepiſcopos tantum conſtituunt. Dicit, hunc Clementem Romæ ex veteri Senatorum propagine, imo Cæſarum genere, ortum, atque a Petro baptizatum eſſe, & inter alia tempore Apoſtolici ſui Præſulatus ſeptem Notarios Romæ inſtituiſſe, quibus 7 regiones urbis diviſerit, ut ſinguli res geſtas Martyrum ſollicite per regiones ſuas deſcriberent, unde etiam fundator Collegii Protonotariorum Participantium perhibeatur. Quod vero Barnabas Apoſtolus Romam profectus a Clemente in paternam domum hoſpitio exceptus fuerit, pro traditione nullius prorſus autoritatis habet Rondininus. In Capite II agit de ſcriptis, quæ ſub Clementis nomine circumferuntur, ubi ſolas duas ad

ad Corinthios Epiſtolas pro genuinis & veris agnoſcit, etſi poſterior Epiſtola non ab omnibus pro genuina habeatur; Autorem Epitomes Clementi adſcriptæ ſtatuit cum Cotelerio eſſe Simeonem Metaphraſtem; Conſtitutionum vero Apoſtolicarum libros aliaque opera Clementi immerito tribui fatetur. Cap. III Scriptores vitæ S. Clementis exhibet, quorum duos priores Johannem Rom. Eccleſ. Diaconum, & Paulum Regium Epiſcopum Viviciæquenſem, ex cœnoſo gurgite Recognitionum omnia deſcripſiſſe, & Regium quidem commenta illa, quæ de Petro, de Clemente, aliiſque, circumferuntur, ut hiſtoricam veritatem expoſuiſſe indignatur. Capite IV adducit Noſter, quanto in honore S. Clementis Papæ ſolennitas ac memoria apud veteres & recentiores Pontifices habita ſit, atque p. 44 pro inſigni argumento ejusdem venerationis habet, quod hodiernus Papa ejus nomen aſſumſerit, & eadem feſtiva die Pontificatus faſtigium aſcenderit. Caput V agit de inventione & translatione corporis S. Clementis Romam, ejusdemque depoſitione in Baſilica ejus nomini ſacra, quæ ſub Hadriano II circa annum 860 facta aſſeritur. Dehinc Capite VI usque XVI Autor contra alteram translationem, quæ ex urbe Roma in inſulam Piſcariæ facta perhibetur, inſurgit, ideoque Chronicon Piſcarienſe vel Caſaurienſe ab Andrea Ducheſnio Tomo III rerum Francicarum pag. 546 ſeqq. & Ughello Tomo VI Italiæ ſacræ p. 1291 ſqq. nec non a Dacherio Tomo V Spicilegii p. 361 ſeqq. editum, ejusque autorem Johannem Berardum fuſius reſutat. Inter alia cum Baronio dolet, extitiſſe fallendi arte peritos homines, qui ſomnia & inania prorſus mendacia pro hiſtorica veritate ventilarunt, & hiſtorias fabellarum aſperſione corripuerunt. Cujus generis nominat Chronica Dextri, Luitprandi, Maximi, aliorumque falſo nomine aſcriptorum, quæ male feriati cerebri ineptiis referta eccleſiaſticam hiſtoriam nimis inquinavere. Refellit pariter p. 75 Dacherium & Mabillonium, qui Berardi hoc Chronicon genuinum commendarunt, obſervans, plura horum diplomata mendis & erroribus exundare, e contrario laudat Juſtum Fontaninum, acerrimum vindicem veterum diplomatum Regum Francorum. Pro coronide Cap. XVII argumenta adducuntur, quibus S. Clementis corpus Romanæ huic Ba-

ſilicæ etiamnum adjudicatur, agiturque tandem Cap. XVIII de locis, ubi aliæ inſigniores corporis S. Clementis partes adſervantur.

Pergit Noſter ad Librum II, in cujus Capite I expendit, unde S. Clementis ædes uſitatiori vocabulo *Baſilica* nuncupetur, & diſcrimen Baſilicæ a templo vel eccleſia paucis explicat. Baſilica itaque ſeu regia domus ante ævum Conſtantini Imper. erat pulcherrimum ædificium columnis & ſimulacris inſtructum ad exercenda judicia & negotiatorum mercatorumque conventus accommodatum, quod, poſtquam a gentilibus ad Chriſtianos derivatum & in eccleſiam commutatum fuit, Baſilicæ nomen retinuit. Et ſingulas quidem partes veterum Baſilicarum huic S. Clementis Baſilicæ conſentaneas adhuc eſſe ulterius probat, cum ibi oblongam in medio obambulationem & tribunal videre liceat. Quanquam poſtea apud Chriſtianos Græcos & Latinos mos invaluerit, ut ædes ſacræ promiſcue & templa & baſilicæ dicerentur, hodie tamen Baſilicæ vocabulum templis præſertim amplioribus tribui, & Martyrum ædibus frequentius convenire profitetur Noſter, id quod iterum ad hanc Baſilicam applicat, quia vivens S. Clemens ibi locorum habitaverit, eaque paterna ejus domus fuerit. Caput II ſitum hujus Baſilicæ examinat. Sita eſt nempe in monte Cœlio regionis ſecundæ in via Labicana, cum contra Anaſtaſius Bibliothecarius in regione tertia Cœliomontana hunc ſitum perperam conſtituat. Quam ſententiam ſuam probat ex Antiquitatibus Pyrrhi Ligorii, civis Neapolitani picturæ & architecturæ præſtantia notiſſimi, cujus opera MSCta in 24 Tomos diſtributa in celeberrima Bibliotheca Ottoboniana aſſervantur, & ex Jacobi Laderchii diſſertatione de SS. Marcellini & Petri Baſilicis. Caput III agit de antiquitate hujus Baſilicæ, ubi Autor incertam reliquit fundationem propter defectum teſtimoniorum apud Scriptores antiquitatum Romanarum, diſſentit tamen ab Ugonio, Pancirolo & aliis, qui ſcribunt, hanc ædem ab ipſo Clemente in ſacrum uſum converſam fuiſſe. Capite VI in judicium Celeſtii Pelagii diſcipuli, qui luſoriæ hæreſeos, quam profeſſus eſt, errores hac in Baſilica A. 417 damnaſſe perhibetur, Autor inquirit. Caput V eſt de titulo Clementis ejusque antiquitate. Caput VI alia vetera monimenta repræſentat, ubi in pretio habetur, quod Gregorius M. homilias

milias quaſdam in illa habuerit, qui etiam graſſante ejus temporis lue A. 590 litanias ſeptiformes, i. e. in 7 partes diviſo populo, ſeu generales, inſtituiſſe creditur, ad avertendam iram divinam, atque tunc ex Baſilica S. Clementis omnes mulieres conjugatas exiiſſe refertur ex Gregorio Turonenſi Hiſt. Francorum Libr. X cap. I. Caput VII repræſentat recentiora hujus Baſilicæ monimenta. Hic notatu digna occurrit electio Paſchalis II Pontif. Max. A. 1090 in hac Baſilica facta, quippe qui Rainerius Cardinalis antea dictus, invitus & fugiens in Pontificem electus fuit. Capite VIII Baſilicæ S. Clementis munera a Pontificibus donata; nec non plures ejus reſtauratores ceteraque eidem collata beneficia recenſentur. Cap. IX de deſcriptione exterioris & interioris Baſilicæ, cum figuris æneis & commentario hiſtorico, agitur, ex quo capite tabulam ſepulcralem Hieronymi Ghinuccii p. 314 exhibere placet:

HIERONYMUS GHINUCCIUS
Stephani Patritii Senenſis F.
A Julio II. Pont. Max. in ſacro
Lateranen. concilio
Cum primis adhibitus,
Sub Leone X
Ad Henricum Britanniæ Regem
Nuntius,
Epiſcopus Vigorien.
Cameræ Apoſtolicæ clericus,
Et Auditor generalis,
Ab Hadriano VI
Ad Melitenſem eccleſiam,
Mox ad Aſculanam translatus,
A Paulo III Cardinalis creatus,
Apoſtolicis brevibus, reformandæ curiæ,
Tridentino concilio convocando:
Ordinandoque præfectus:
Poſtremo ad pacem conciliandam
Inter Carolum Cæſarem

Et Franciſcum Galliæ Regem
E latere legatus,
Poſt egregie tantis in rebus
Navatam operam
In æde
Tituli ſui
H. S. E.
Obiit ann. ſal. M D X L I
Die III Julii.

Capite X agitur de Sanctorum reliquiis, quæ in hac Baſilica coluntur. Et denique apparet Cap. XI collectio chronologica omnium Cardinalium, qui S. Clementis Baſilicæ titulares fuerunt, quorum dignitates & munera referuntur. Inter quos Cardinales Stanislaum Hoſium videre licet, cujus cadaver in antiqua S. Mariæ trans Tiberim Baſilica ſepultum eſſe dicit adpoſito ſequenti epitaphio:

D. O. M.

STANISLAO HOSIO, Polono, Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali, Varmienſi epiſcopo, Majori Pœnitentiario, vitæ ſanctitatis, eruditionis & eloquentiæ gloria celeberrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui quum antiquæ probitatis, & Epiſcopi vigilantiæ præſtantiam in humilitate, charitate, caſtitate & beneficentia expreſſiſſet, hæreticas ſectas ſcriptis & conſiliis ſapientiſſime & ferventer oppugnaſſet, multis ab erroribus revocaſſet, graviſſimisque legationibus pro pace eccleſiæ Dei, quum apud Carolum V & Ferdinandum Cæſarem, tum præcipue in ſacro concilio Tridentino Pii IV Pontificis nomine feliciſſime perfunctus, Chriſtianæ Reipublicæ plurimum præfuiſſet, omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans, obdormivit in Domino nonis Auguſti anno ſalutis M D L X X I X, ætatis ſuæ L X X V I. Stanislaus Hoſius patruo, & Stanislaus Reſcius patrono beneficentiſſimo, exequutores teſtamenti poſuere.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. IV.

TRAITE DE LA PUISSANCE ECCLESIAſtique & temporelle.

i. e.

TRACTATUS DE POTESTATE ECCLESIAſtica & Temporali.

Anno 1707, 8.
Alph. 2, pl. 3.

ETſi civilis atque eccleſiaſtica ſocietas, & ipſa ſtructura, & fine, & mediis maximopere differant, quia tamen utraque conjuncta eſt, & una ſine altera commode eſſe nequit, ſubinde circa utriusque limites, præſertim inter Romanæ eccleſiæ addictos, acriter diſputatum fuit, cujus rei exempla luculentiſſima vel in Gallia deprehendere licet, quæ pro Eccleſiæ Regumque ſuorum libertate contra Romanorum Pontificum auſus non ſemel decertavit ſtrenue: etſi magno ſe exponant periculo, qui in iſta deſcendunt certamina, ne aut Romani Pontificis, aut Galliæ Regis ſibi attrahant indignationem, prout uni plus, quam alteri placebat, tribuiſſe videbantur. Quamvis vero noſtra ætate Galliæ Regis Pontificisque Romani res fuerint conjunctiſſimæ, hoc illius cauſam contra Fœderatos pro viribus, quam diu licuit, tuente & promovente, neutiquam tamen id obtinere Pontifex Romanus potuit, quo minus ſuæ libertatis juriumque, quæ Rex ſibi vindicat, immemores Galliæ Antiſtites aliique viri docti illis, qui nullam occa-

ſionem Romanæ aulæ potentiam amplificandi prætermittunt, maſcule ſe opponerent. Cujus rei documentum luculentiſſimum tractatus hicce *de eccleſiaſtica & temporali poteſtate* præbet, cujus Autorem celeberrimum Virum, Ludovicum Eliam du Pin, referunt, cui hoc munus jura Regis defendendi datum fuerit, cum lis quædam inter Galliæ Epiſcopos & Nuntium Pontificis nuper orta esſet: eo quidem eventu, ut indignante licet Nuntio, adprobante Sorbona, connivente Rege, liber hicce in lucem emitteretur.

Fundamenti loco Autor ponit declarationem cleri Gallicani, in ſolemni ejus congregatione die 19 Martii 1682 editam. In qua cum quatuor propoſitionibus ſententiam ſuam de eccleſiaſtica poteſtate comprehenderint, ſingulas Autor uberius ſibi confirmandas ſumit, ſubjuncta ſubinde ad objectiones diſſentientium reſponſione. Prima propoſitio hæc erat: Beato Petro ejusque

Prop. I.

ſucceſſoribus, Chriſti vicariis, ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam poteſtatem. Hanc propoſitionem ut confirmet doctiſſimus Autor, primo probandum ſibi ſumit, poteſtatem Eccleſiæ eſſe mere ſpiritualem. Idque inde evincit, quod Chriſtus Servator, ut mediator & caput Eccleſiæ ſpectatus, quam diu inter mortales vixit, temporalem ſibi poteſtatem non vindicaverit. Talem itaque etiam Eccleſiæ eum non dediſſe, inde concludit. Temporali vero poteſtate quod uſus Chriſtus non ſit, & ipſius Servatoris comprobat teſtimonio, quo diſerte profitetur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, *Joh.* XVIII, 36, 37. Super quæ verba Chryſoſtomi quoque refert explicationem, eamque ſuo egregie inſervire ſcopo oſtendit. Nec verbis ſaltem hoc teſtatum eſſe Servatorem, docet, ſed ipſo quoque exemplo ſuo comprobaſſe. Subduxiſſe enim ſe eum non tantum hominum conſpectui, cum eſſent, qui eum Regem creare vellent, *Joh.* VI, 14; ſed judicium in temporalibus, etſi rogatum, ſuſcipere noluiſſe, *Luc.* XII, 11. Quæ hic a ſecus ſentientibus excipiantur, parum ad rem facere. Dicta ſcilicet eos afferre Scripturæ & Patrum, quibus probetur, Chriſtum eſſe orbis totius Regem, omniumque regnorum & bonorum temporalium dominum. Id enimvero neminem, niſi divinitatis Chriſti hoſtem, inficias ire, cum & qua Deus, & qua

& qu a homo, per unionis gratiam, Rex & dominus ſit totius orbis. At eam, quæ ipſi ut Deo competit, poteſtatem, eum neutiquam transmiſiſſe in Eccleſiam; ſed eam tantum, quam ut mediator & caput eccleſiæ habuerit, quæ mere ſit ſpiritualis. Alterum, quo ad theſin ſuam confirmandam utitur, argumentum hoc eſt, quod poteſtas, quam eccleſiæ Chriſtus Servator dederit, tantum circa res ſpirituales verſetur. Hoc ſatis intelligi ex poteſtate Apoſtolis conceſſa; quæ conſiſtat in poteſtate prædicandi evangelium, & baptizandi omnes gentes, *Matth.* XXVIII, 18, in facultate ligandi & ſolvendi peccata, *Matth.* XVI *&* XVIII, in facultate celebrandi euchariſtiam, item puniendi peccatores, & ea denique conſtituendi, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent. Ubi tamen quod ad pœnam attinet, hanc in eo ſaltem conſiſtere docet, ut impiis & impœnitentibus indicetur, eos indignos eſſe nomine Chriſtiano, nec bona ſpiritualia veris eccleſiæ membris competentia ſibi vindicare poſſe. Idque formula iſta: *pro ethnico & publicano aliquem habendum* indicari. Unde neutiquam ſequatur, Eccleſiæ competere poteſtatem pœnis civilibus homines afficiendi, aut temporalibus eos privandi bonis. Nec vero aliam tantum quam ſpiritualem eccleſiæ poteſtatem dediſſe Servatorem, ſed ipſum quoque pariter ac Apoſtolos diſerte docuiſſe, poteſtatem & jurisdictionem circa temporalia Eccleſiæ non competere. Atque hoc tertium eſt, quo Autor ad theſin ſuam comprobandam, utitur argumentum. Producit vero luculentiſſima Chriſti verba: *Scitis, eos, quos videmus imperare extraneis, in eos dominari, & eorum maximos quosque in eos maxime quoque poteſtatem obtinere: at in vobis non ſic fiet &c. Marc.* X, 42, *Luc.* XXII, 28. His Chriſti Servatoris verbis duo nos condoceri, Autor obſervat: primum, Apoſtolos eorumque ſucceſſores nec poteſtatem, nec jurisdictionem temporalem habere, tanquam Reges hujus ſeculi, multo minus in Reges hujus ſeculi: alterum, eam, qua gaudent, poteſtatem non eſſe poteſtatem dominationis & imperii, ſed poteſtatem lenitatis & charitatis, quæ interna reſpiciat, ſicut illa ad externa pertineat. Idem Petri quoque Apoſtoli confirmat teſtimonio 1 *Pet.* V, 2, quæ verba id luculenter etiam docere contendit, quid Servator ſibi voluerit ad Petrum dicens: *Paſce oves meas,* nihil ſcilicet

minus illis voluiſſe, quam ut poteſtatem imperandi Regibus, eosque cogendi, & ſi reluctarentur, bonis temporalibus eos privandi, Petro concederet. Hieronymum itaque non ſemel hocce Petri effato uti, ut evincat, nefas eſſe Epiſcopis dominationem quandam ſibi vindicare. Hiſce, quæ hactenus attulit, Scripturæ dictis Pontificum etiam, Epiſcoporum & Patrum effata addit, quibus teſtantur, non aliam quam in res ſpirituales Eccleſiæ competere poteſtatem, quemadmodum Regum poteſtas tantum ſit in temporalia, hasque ita comparatas eſſe poteſtates, ut neutra ab altera dependeat. Quibus eum in modum evictis, ulterius progreditur, Eccleſiamque poteſtatem habere cogendi membra ſua, aut temporalibus pœnis afficiendi, negat. Inauditum itaque in omni antiquitate eſſe aſſerit, ullam aliam contra quenquam pœnam Eccleſiam exercuiſſe, præterquam excommunicationis & ejectionis ex ordine eccleſiaſtico. Sique conſultum duceret, ut reluctantes in exilium mitterentur, aut bonis ſuis privarentur, imploraſſe eam ſemper auxilium magiſtratus civilis. Sed quod Eccleſiæ talis cogendi poteſtas non conveniat, inde rurſus probat, quod a Chriſto ejusmodi poteſtatem non acceperit: hanc demum quippe in immorigeros, in quibus corrigendis ſpes omnis evanuerat, decernente ſententiam, habendos eos ut publicanos & ethnicos. Quod pluribus etiam ejusdem commatis argumentis comprobat. Hinc vero &, quod ultimo loco adducit, intelligere licet, effectum excommunicationis & reliquarum cenſurarum eccleſiaſticarum non conſiſtere in privatione bonorum temporalium, ſed in privatione bonorum ſpiritualium. In quo comprobando aſſerto itidem prolixus eſt, non temere quidquam ex antiquitate eccleſiaſtica prætermittens, quod ad illam faciat cauſam. Ad principem vero, quam primo loco poſuit, propoſitionem ſtabiliendam hoc porro facit, ut demonſtret, poteſtatem regiam ſua natura independentem eſſe a ſpirituali. Hoc ut evincat, primo id probandum ſibi ſumit, poteſtatem regiam immediate a Deo eſſe conſtitutam, & ab omni alia poteſtate eſſe independentem. Quod cum ex ipſa notum ſit ratione, Scripturæ tamen etiam dictis luculenter comprobat, loca notiſſima quæ de magiſtratu civili agunt, *Rom.* XIII, 1, 1 *Pet.* II, 13, *Sap.* VI, 4 & ſeq. aliaque afferens, & canonum quoque, quos vocant

cant

cant, Apoſtolicorum, Juſtini Martyris, Irenæi, Theophili Antiocheni, Dionyſii Alexandrini, aliorumque Eccleſiæ Patrum auctoritate idem confirmans. Deinde & illud aſſerit, ſolum Deum Reges, ſi peccaverint, punire pœna temporali poſſe. Id autem verum, inquit, non eſſet, ſi Eccleſia Reges dignitate privare Regia poſſet, qua gravior Regibus pœna cogitari nequeat, qui vitam potius quam imperium dimittere parati ſint. Solum vero Deum Reges hac ratione punire poſſe, poſitum putat extra controverſiam, idque præſtantiſſimos etiam Eccleſiæ Patres, quorum teſtimonia adfert, verbis *Pſalmi* L: *Tibi ſoli peccavi*, comprobare. Nec hic ſubſiſtit Autor doctiſſimus. Ulterius contendit, nefas eſſe Chriſtianis Principibus poteſtate ſua abutentibus reſiſtere, aut capere in eos arma, patienti contra, quæ inique ab iis in nos ſtatuuntur, animo ferenda. Hoc Samuelem indicare, dum jus Regium exponit 1 *Reg.* VIII. Quo nomine licet modus agendi Regibus proprius indicetur, hoc ſenſu tamen & jus dici, quod quoad ſubditos effectum juris habeat, quod illis Regibus ita ſe gerentibus non liceat reſiſtere: adeoque & addere Samuelem, ſi incommoda oneraque regiæ poteſtatis ſenſerint, ad Deum eos ſe recepturos, cum illis ſcilicet licitum non ſit huic poteſtati ſe opponere. Hinc itaque Iſraelitas hujus rei certos Regibus ſuis etſi impiis ac idololatris nunquam obſequium detrectaſſe, & a rebellione maximopere abhorruiſſe. Idem Chriſtum Servatorem docuiſſe pronuntiando: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & Deo, quæ ſunt Dei, Matth.* XXII, 21. Quibus haud obſcure ſignificaverit verbis, obtemperandum eſſe Principibus, etſi mala quævis ab iis nobis ſint perpetienda. Conſentire Paulum, *Rom.* XIII: *Reddite omnibus debita, cui vectigal, vectigal*; *cui timorem, timorem*, &c. Et iterum: *itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Idem denique ex praxi veterum Chriſtianorum conſtare, qui licet Romanos Imperatores atrociſſimos religionis ſuæ inimicos experti ſint, nunquam tamen vim illis aut arma oppoſuerint. Jure itaque dicere Tertullianum *ad Scapulam: circa majeſtatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, vel Nigriniani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani.* Si quis excipiat, in Imperatores Principesque ethnicos Eccleſiam nullam habuiſſe poteſta-

tem, eo quod non eſſent baptizati, nec membra Eccleſiæ: ſecus autem comparatum eſſe cum illis, qui nomen profiteantur Chriſtianum: reſpondet, veteres Chriſtianos non ethnicis modo Imperatoribus, ſed & illis,qui a Chriſtiana religione defeciſſent, ut Juliano Apoſtatæ, aut qui hæreſi quadam infecti, ad vexandos orthodoxos animum inducebant ſuum, nunquam ullam vim oppoſuiſſe. Immo nec hoc ſibi fas eſſe agnoviſſe, quod Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, aliorumque teſtimoniis comprobat. Ultimo denique loco, ad independentiam Regiæ poteſtatis a poteſtate ſpirituali demonſtrandam, & hoc urget, quod omnes omnino cives, nemine excepto, ne quidem ſub ſpecie religionis in rebus civilibus & temporalibus obedire ſummis imperantibus debeant. Chriſtum ipſum Servatorem omnibus hic præiviſſe exemplum, ſolvendo pro ſe & diſcipulis ſuis tributum, *Matth.* XVII, idemque ut & nos faceremus, nos edocuiſſe, *Matth.* XXII, 2. Paulum diſerte id confirmare, docendo, omnes Chriſtianos ſubjectos eſſe poteſtati, ubi per *poteſtatem* neutiquam eccleſiaſtica, ſed civilis intelligenda ſit, cum de ea loquatur Paulus poteſtate, quæ portet gladium, quod de eccleſiaſtica dici nequeat. Idem etiam ex antiquitate eccleſiaſtica productis in medium conciliorum decretis, Pontificumque & Patrum teſtimoniis, confirmat. Ut reliqua quæ ad primam Cleri Gallicani propoſitionem, qua ſpiritualium, non autem civilium aut temporalium rerum poteſtatem Pontifici Romano conceſſam, aſſeritur, ulterius ſtabiliendam, Autor doctiſſimus in medium affert, in compendium mittamus: opinionem illorum qui contendunt exui dignitate ſua & imperio Reges a Pontificibus poſſe, novam adeoque falſam eſſe pronuntiat.

Artic. III.

Novam eſſe opinionem juxta Autorem cognoſcitur, cum nullum ejus in antiquitate deprehenditur veſtigium; immo principia illi contraria offenduntur: deinde, cum magni animorum extiterunt motus, cum iſta opinio primum in ſcenam prodiit: porro, cum primus auctor & inventor iſtius opinionis & tempus, quando enata eſt, demonſtrari poteſt: ulterius cum non recepta, ſed rejecta a magna Eccleſiæ parte & impugnata eſt opinio: & denique quando illi, qui opinionem iſtam defendunt, inter ſe non conveniunt, & principia ſua & ſyſtema ſubinde mutare coguntur,

ut

Digitized by Google

ut eam tueri queant. Hæc omnia in iſtam, quam impugnandam ſibi ſumſit, opinionem quadrare oſtendit, ſpeciatim originem ejus a Gregorio VII Romano Pontifice derivat. Pari quoque ratione opinionem iſtam & Eccleſiæ & Reipublicæ eſſe noxiam probat, Clerique Gallicani, ut & Facultatis Theologicæ Pariſienſis, de poteſtate Regis circa temporalia ſententiam ediſſerit: conſtitutiones porro Statuum Regni & decreta ſupremæ Curiæ Pariſienſis, ad Regum circa temporalia poteſtatem defendendam condita, adfert; non minus & veterum Galliæ Theologorum de eodem argumento ſententiam: tandemque & aliarum gentium de independentia Regum & Rerumpublicarum a poteſtate eccleſiaſtica, in temporalibus ſcita, ſubjungit. Artic. IV ad IX.

Non ſatis autem cauſæ ſuæ ſe conſuluiſſe Autor exiſtimat, niſi ad objectiones quoque ſecus ſentientium reſponderet. Non minori hoc facit induſtria, quam qua ſententiam, quam defendit, ſtabiliunt. Artic. I. Quæ ex Scriptura Sacra iſti afferunt, tam jejuna ſunt, tam violenter ad hoc, quod volunt, probandum contorta, ut ea vix digna recte Autor judicet, in quibus diſſolvendis multum collocet operæ. Hinc merito explodit lepidiſſima illa argumenta, quibus Bonifacius VIII Pontifex in decretali *unam ſanctam* cauſæ tam deſperatæ patrocinari aggreſſus eſt. Scilicet, unam tantum in terris eſſe poteſtatem, inde probare annititur, quia *Geneſ.* I, 1 extet *in principio*, non *in principiis*. Materialem pariter ac ſpiritualem gladium eccleſiæ competere, inde evincit, quod Chriſtus Apoſtolis dicentibus: *ecce! duo gladii!* reſponderit: *ſatis eſt.* Sed qui præ reliquis ex ſententiæ iſtius patronis ſapere videri volunt, miſſis iſtis ineptiis, ea Scripturæ oracula urgent, in quibus Petro poteſtas clavium cœli, ligandi & ſolvendi, paſcendique oves conceſſa dicitur, item ea, in quibus Chriſto Servatori poteſtas in omnes creaturas tribuitur. Ad quæ quid Autor reſpondeat, cum quilibet facile conjectura aſſequi queat, non eſt, ut illud repetamus. Nota porro ſunt exempla Veteris Teſtamenti, quibus Romani Pontificis circa temporalia poteſtatem probare nonnulli ſatagunt, ad quæ itidem Noſter reſpondet. Artic. II.

Cumprimis autem latiſſimus in antiquitates eccleſiaſticas, hiſtoriarumque monimenta ſe diffundendi illi aperitur campus, Artic. III.

cum

cum ad exempla Imperatorum Regumque Chriſtianorum, in quos poteſtatem temporalem exercuiſſe Romani Pontifices dicuntur, illi reſpondendum eſt. Hinc de excommunicatione Theodoſii Imperatoris, de Anaſtaſio, de privilegio S. Medardi Sueſſionenſis, & aliis, quæ Gregorio I Pontifici tribuuntur, de depoſitione Vambæ Hiſpaniæ Regis, de Sergio Papa & Juſtiniano II Imperatore, de Gregorio II & Leone Iſaurico, de fabulis, quæ de Rege Yvetotenſi & quodam Britanniæ Minoris Rege circumferuntur, de Childerico Franciæ Rege, quem a Zacharia Pontifice regia dignitate exutum ferunt, de translatione Imperii Occidentalis a Græcis ad Francos, de Ludovici Pii & Lotharii depoſitione, de inſtitutione VII Electorum Imperii Germanici, de Henrico IV, Ottone IV, Friderico II & Ludovico Bavaro, Imperatoribus Germanicis, quos Imperatoria dignitate privare Romani Præſules conati ſunt, prolixe & erudite

Art. IV. diſſeruit. Ea, quæ Romani quidem Pontifices contra Galliæ Reges quandoque tentarunt, ut & auctoritatem, quam in Angliæ Re-

Art. V ad IX. ges ſibi vindicarunt, ſeorſim expendit. Hinc ad canonem IV Concilii IV Lateranenſis, item ad canones Concilii Conſtantienſis, & denique ad auctoritates Theologorum & Canoniſtarum recentiorum reſpondet. Nec deſunt Autori, quæ ad decretum Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quod tempore Henrici III Regis factum dicitur, itemque ad orationem Perronii Cardinalis, ad cenſuram libri de *libertatibus eccleſiæ Gallicanæ*, & denique ad ea, quæ poſt Cleri Gallicani declarationem, A. 1682 factam, geſta ſunt, reponat. Quibus omnibus finem tandem imponit, ratiocinationes ſub examen revocando, quibus nonnulli utuntur ad probandum, indirectam quandam poteſtatem in temporalia Regum Romanis Pontificibus competere.

Prop. II. Altera Cleri Gallicani propoſitio confirmat decreta Concilii Conſtantienſis, quibus Romanum Pontificem Conciliis generalibus inferiorem eſſe, ſancitur. Eamque Cleri Gallicani ſententiam Autor porro confirmaturus, prius inde probat, Concilium Generale legitime convocatum ſupra Pontificem eſſe, quia Concilium ejusmodi repræſentet Eccleſiam univerſalem, quæ extra controverſiam ſit ſupra Pontificem. Ad Eccleſiam enim non ad Petrum aut Pontificem pertinere iſtas promiſſiones, quod falli & defice-

ficere nequeat; *Matth.* XVI *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram fundabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt contra eam.* Eccleſiæ, quam Apoſtoli repræſentaverint, non ſoli Petro claves, hoc eſt, omnem poteſtatem ſpiritualem dediſſe Chriſtum *Matth.* XVIII, 18; Eccleſiæ, non Petro, facultatem judicandi & excommunicandi conceſſam, *ib. verſ.* 17. Quæ cum ex Scriptura S. luculenter comprobaſſet Autor, per traditionem etiam confirmat. Idem porro evincit ex infallibilitate & univerſalitate Concilii generalis; ex modo, quo controverſiæ in ejusmodi Concilio deciduntur; ex perpetua Eccleſiæ praxi; ex modo, quo Romani Pontifices a tempore Apoſtolorum usque ad noſtram ætatem hac in re ſe geſſerint; ex gradibus jurisdictionis eccleſiaſticæ in veteri Eccleſia receptis, dum nunquam a Concilio generali ad Pontificem, bene autem a Pontifice ad Concilium generale provocatum ſit; ex ipſa Pontificum confeſſione, affirmantium ſe ad decreta Conciliorum generalia recipienda iisque obtemperandum eſſe obligatos, nec in ſua poſitum eſſe poteſtate, ea abrogare, aut pro lubitu mutare; ex Pontificum exemplis, qui a Conciliis judicati, damnati, Pontificiali dignitate privati ſint; ex eo, quod deciſiones Conciliorum generalium ab univerſa Eccleſia receptæ ſint, ubi ſimul illis, qui decreta Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis eludere conantur, occurrit; porro ex praxi Eccleſiæ provocandi a judicio Papæ ad judicium Concilii generalis; ex determinationibus & declarationibus variarum Academiarum & Facultatum Theologicarum: quibus denique teſtimonia maxime celebrium & præſtantium Theologorum & Canoniſtarum, item loca quædam iuris Canonici & hujus gloſſas; tandem & rationes varias ſubjicit, quibus oſtendit, conveniens quoque eſſe, ut major Concilii generalis quam Pontificis ſit auctoritas, & ut hic illius ſe decretis ſubmittat. Sed nec hic objectiones ſecus ſentientium prætermittit, quibus ſecundam hanc Cleri Gallicani propoſitionem impugnant, immo accurate ad ſingulas reſpondet. Et ſane, quæ ex dictis quibusdam Scripturæ, nihil minus quam quod volunt, probantibus, ex nomine Doctoris, Paſtoris, Epiſcopi, & Capitis eccleſiæ, petunt argumenta, ita comparata ſunt, ut ſua ſe futilitate ſtatim prodant. Quæ vero de provocationibus a judicio Conciliorum ad judicium Pontifi-

cum, de poteſtate, quam Papæ vindicant, convocandi & confirmandi Concilia,& iis præſidendi, & quæ reliqua ſunt ejusdem commatis, ab iis in medium afferuntur, accurate hic ſub examen vocantur ab Autore, & confutantur quam ſolidiſſime.

Prop. III. Priusquam ad tertiam Propoſitionem accedat, in anteceſſum monet, quæ pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ diſputantur, neutiquam unitati Eccleſiæ obſtare: qua occaſione ſimul, in quo vera Eccleſiæ unitas conſiſtat, ex Cypriano præcipue explicat. Duo autem tertia hæc Cleri Gallicani propoſitio complectitur capita. quorum alterum: poteſtatem Romani Pontificis non eſſe abſolutam nec illimitatam, ejusque exercitium per canones Conciliorum generalium circumſcribi; alterum: Eccleſiam Gallicanam ſemper canonum eccleſiaſticorum regula fuiſſe gubernatam, eamque ſemper illorum ſe maſcule oppoſuiſſe conatibus, qui aliam regiminis normam regulamve introducere in animum induxerint, & hanc præcipue eſſe Eccleſiæ Gallicanæ libertatem. Utrumque caput cum prolixius expoſuiſſet, & confirmaſſet Autor exemplis, jura & libertatem Eccleſiæ antiquæ univerſalis,quæ adeo & Eccleſiæ Gallicanæ competant, ulterius rem omnem corroborat. Primo itaque Epiſcopis omnibus ac ſingulis facultatem judicium ferendi in rebus ad fidem & doctrinam ſpectantibus competere aſſerit. Non ſolum ſane Petrum ad prædicandum Evangelium miſſum, miſſos etiam & reliquos Apoſtolos: *ſicut me miſit vivens Pater, & ego mitto vos.* Omnibus etiam Apoſtolis dictum eſſe: *euntes docete omnes gentes.* Nec Petrum in primitiva Eccleſia facultatem decidendi controverſias ſibi ſoli arrogaſſe: litem potius tum exortam omnium Apoſtolorum nomine deciſam: *viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Eodem modo poſt Apoſtolorum tempora ſe habuiſſe, eundo per hiſtoriæ eccleſiaſticæ uberrimos campos, luculenter oſtendit. Sic Gallicanam Eccleſiam poteſtatem de rebus fidei judicandi exercuiſſe, Euſebii inter alia teſtimonio comprobat,qui judicii,a Chriſtianis in Gallia contra Montanum ejusque ſectatores lati, meminit *Hiſt. Eccleſ. Lib. V cap. III.* Quod & multis aliis hiſtoriarum monimentis comprobat. Sic & in rebus ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus, judicandi poteſtatem eos habuiſſe, pari ratione evincit. Eodem pertinet, quod Epi-

ſcopi

Digitized by Google

ſcopi de Epiſcopis judicare potuerint, ipſi non aliter quam ſecundum canones Eccleſiaſticos judicari potuerint debuerintque. Limitatam præterea Pontificis poteſtatem & hoc indicat, quod Epiſcopi munus in alterius Epiſcopi Diœceſi ſubire nequeat, quod Eccleſiaſticorum itidem canonum auctoritate hiſtoriarumque monimentis fide dignis extra dubium ponit. Addit & hoc, decreta Pontificum vi omni obligandi deſtitui & effectu carere, niſi recepta & adprobata ſint ab Epiſcopis; cauſam etiam ejus, qui in judiciis perſonalibus ad Pontificem provocaverit, ad judicem loci, in quo crimen admiſſum, remitti, hoc ſaltem per Concilii Sardicenſis decretum Pontifici conceſſo, ut Legatum mittere poſſit, qui reliquis judicibus in loco delicti rem cognituris adjungatur: Pontificem denique privilegia & exemptiones, ſine conſenſu Epiſcoporum & Regis permiſſione, impertire non poſſe, & quæ reliqua ſunt ejusdem generis, quæ limitatam multis modis & circumſcriptam Romani Antiſtitis poteſtatem arguunt. De infallibilitate Romani Prop. IV.
Pontificis ultima agit cleri Gallicani Propoſitio, hanc ei diſerte denegans, dum *judicium ejus irreformabile eſſe*, negat, *niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*. Infallibilitatem itaque Pontificis in quæſtionibus fidei iiſdem fere argumentis impugnat Autor doctiſſimus, quibus eam noſtræ Eccleſiæ Doctores impugnare ſolent, qui adeo huncce ejus in re tanti momenti conſenſum grato accipient animo. Primum ex Scriptura Sacra deprompum eſt argumentum. Enimvero cum ipſum Petrum Apoſtolum ſubinde ceſpitaſſe, & neutiquam infallibilem fuiſſe conſtet, fruſtra ſucceſſores Petri aliquid ſibi aſſerere, recte contendit, quod ipſi Petro non fuit conceſſum. Alterum ex veteris Eccleſiæ diſciplina deſumptum eſt argumentum. Controverſias enim circa fidem exortas ab Epiſcopis in Synodis provincialibus ſæpius fuiſſe dijudicatas, nec conſultum Pontificem, immo Pontificum ſcita non ſine examine fuiſſe admiſſa: quæ ſecus fieri debuiſſent, ſi credidiſſent eo tempore, infallibilem eſſe Romanum Pontificem. Urget præterea exempla Pontificum, qui in ſuis decretis a veritatis deflexerunt tramite: item contradictiones, quæ in quibusdam Pontificum decretis inveniantur: immo confeſſiones ipſorum Pontificum, qui ſe minime infallibiles eſſe agnoverint: quibus denique Concilio

rum decreta, declarationes Facultatum & Academiarum ſuper hac quæſtione, & ſententias veterum & inſignium ex variis gentibus Theologorum addit, ſubjuncta ad objectiones ſecus ſentientium reſponſione ſolida & luculenta.

POEMA TOGRAI CUM VERSIONE LATINA Jacobi Golii hactenus inedita, quam ex MSto Goliano Præfatione & Notis auctam edidit MATTHIAS ANCHERSEN.

Trajecti ad Rhenum, apud Gulielmum Broedelet, 1707, 8. Conſtat 4 & $\frac{1}{2}$ plag.

CArmen hoc, quod ab Erpenio quondam, & deinde a Poco-ckio verſione Latina & vocalibus inſtructum & editum eſt, Cl. *Ancherſen*, nunc Philoſophiæ in Academia Hafnienſi Profeſſor, ſuffragio celeberrimi Relandi cum verſione *Golii*, in inſtructiſſima Relandi Bibliotheca aſſervata & hactenus inedita, denuo, ſed ſine vocalibus, in lucem emiſit, manium Golianorum reverentia adductus. Sed durum fatum, quod nobis haud tacendum, experta eſt hæc editio, quandoquidem exemplaria, quæ Cl. Editor omnia, exceptis tantum quinque aut ſex adhuc exſtantibus, navi Hafniam deſtinaverat, in mari periere. Auctorem carminis Tograi anno Hegiræ 513 a Sultan Mahmoud capite plexum, prolixius ex *Herbelotii* Bibliotheca p. 1027 col. 1; genus vero carminis Perſis Lamicum dicti, quia omnes verſus in Lam vel L exeunt, ex *Samuelis Clerici* Proſodia Arabica p. 62 deſcripſit & explicuit. In Notis obſervat Cl. Editor, Autorem minus recte *Abu-Iſmael* pronunciari, quia in quinque nominibus, quæ inter & أب numeratur, auctoritate Grammatici Arabis in Zjarumia ي nota chafdæ, i. e. Genitivi eſt, quod Erpenius quoque L. III p. m. 142 obſervavit. Quare in Hiſtoria Dynaſtarum a Pocockio edita ſuper textum *Abil-Pharaji* nomen legitur, quamvis in titulo, fortaſſe ex errore, *Abul Pharagius* appelletur. Vocem Togra, a qua Autor nomen accepit, formam characterum majuſculorum, teſte Herbelotio l. c. denotare, eamque in Tractatu pacis inter Turcicum Imperatorem & Henricum IV Regem Galliæ facto, Pariſiisque

ſiisque A. 1604 Turcice & Gallice impreſſo, nec non in Epiſtola Morad Chan, A. 1633 ad Præpotentes ordines Belgicos ſcripta, inque Bibliotheca MSStorum Relandiana ſervata, expreſſam & delineatam eſſe, Noſter indicavit. Deinde ad verſus XXI vocem الكحل a Golio *nigredo* verſam annotatur, quod ea proprie ſtibium ſignificet, quo Orientales mulieres oculos auguſtiores facere ſunt ſolitæ. Ex quo verba *Ezech.* XXIII, 40 כחלת עיניך commode cum LXX *καὶ ἐστιβίζου τοὺς ὀφθαλμούς σου*, & Kimchio vertimus: *Stibio ornaſti oculos tuos.* Magnos porro oculos ab Orientalibus pro pucherrimis eſſe habitos, vel ex eo cognoſcimus, quod Mohammed ſuis in Paradiſo العين *μεγαλοφθάλμους* promiſerit, & Homero Iliad. *α.* v. 551 Juno *βοῶπις bovis oculos habens* appelletur, quam vocem brevium Scholiorum Autor *ἐυόφθαλμος, καλὴ* interpretatur. Reliquæ notæ variantes plerumque lectiones, ex Erpenii & Pocockii exemplaribus collectas, & cum Goliano comparatas, exhibent non contemnendas, non omiſſis, quas ipſe Golius adſcripſerat, annotationibus. Sic ad verſ. XXV: *Sanabitur ſauciatus haſtis in tabernaculis ipſorum hauſtu vel uno e lacu vini & mellis*: Golius annotaverat, per lacum vini & mellis ſuaves amicæ voces intelligi, uti Cant. IV, 11 *Favum deſtillant labra tua, o ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Ceterum nulli dubitamus hanc editionem Philarabibus vel ideo fore gratam, quod præter variantes lectiones novam quoque Golii verſionem habeat.

D. JUSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI Theologia Moralis ſibi conſtans. Acceſſit Præfatio nova, cum Programmate D. Fechtii, Epiſtolis Puſendorffii, Seckendorffii & reliq.

Roſtochii & Lipſiæ, 1707, 8.

1 Alph. plag. 6.

THeologiæ Moralis ſpecimen, quod B. Autor anno 1690 in lucem emiſit, perplacuit Eruditis, & nos, cum in his Actis A. 1691 menſe Junio illud recenſeremus, optavimus, Virum ſolida eruditione & judicandi facultate inſtructum telam, quam exorſus

 erat,

erat, valde utilem pertexere. A nemine enim hanc doctrinam ſolid us explicari poſſe credebamus, quam a Schomero, quod ea inſtructus erat juris ſcientia, quæ ad ſtudium hoc rite tractandum, animumque ad ejusmodi meditationes præparandum requiritur. Hunc etiam in finem Autor noſter doctiſſimus Theologicis inſtitutionibus ſtudium Juris addiderat, tantamque illius cognitionem ſibi compararat, ut de difficillimis quæſtionibus cum ſummis JCtis graviter ſæpe ſerioque diſſeruerit & multiplicem juris uſum cum in Theologia, tum in foro Eccleſiaſtico, cui magna auctoritate præfuit, oſtenderet. His ſubſidiis inſtructus ſpecimen illud Theologiæ Moralis, quinque Diſputationes vel tot capita complexum, edidit, quo quaſi prodromo aliquo Eruditorum judicia voluit experiri, iisque miſit, quorum imprimis ſcire ſententiam deſiderabat. Inter quos præcipui fuere Duumviri illuſtres, Pufendorffius, Seckendorffiusque, quorum uterque reſcriptis ad Autorem literis, quæ huic editioni præmiſſæ ſunt, applaudit. Et quamvis in conſtituendo Juris Naturalis fundamento a Pufendorffio modeſte diſſentiret Schomerus, tantum tamen abfuit, ut illi Schomerianum ſpecimen diſpliceret, ut Autorem potius expreſſis verbis non tantum hortaretur, ut abſolveret opus, ad eum, quem deſignarat, modum, ſed Amico etiam in aurem quaſi dixiſſe feratur, ſe etſi publice hoc declarare commode non poſſet, convictum tamen eſſe in conſcientia, ſeque principia Schomeri tanquam firmiora & magis ſufficientia ſuis præferre. De continuatione operis B. Autor, quoad vixit, cogitavit, ſed præmatura abreptus morte non perfecit, opusculumque imperfectum reliquit. Quoniam tamen primus vera honeſtatis principia reduxit, modumque idoneum Theologiæ Moralis ſyſtema elaborandi aliis oſtendit, ſupprimi non debuit, cum præſertim Editio prior, venditis a typographo ſtudioſæ juventuti exemplaribus, ad Bibliopolas multorumque Eruditorum manus non pervenerit. In hac igitur editione, præter tres alias Diſputationes, ab ipſo Autore evulgatas, & conſcriptam novam nunc editam, acceſſit qualecunque operis Supplementum, ex Collegio ejus MSto deſumtum, nec non Præfatio nova, in qua hæc aliaque, quæ nos pro inſtituto noſtro breviter ſtrictimque recenſuimus, uberius exponuntur.

NICO-

NICOLAI BERNOULLI, BASILEENSIS, Phil. & Jur. Utr. D. Specimina Artis conjectandi, ad quæſtiones Juris applicatæ.

ARtem conjectandi ipſis Dn. Patrui p. m. verbis in Tractatu de Arte conjectandi (inedito quidem adhuc, ſed brevi, ut ſperamus, in lucem prodituro) Part. 4 c. 2 ita definire lubet, quod ſit *Ars metiendi, quam fieri poteſt exactiſſime, probabilitates rerum eo fine, ut in judiciis & actionibus noſtris ſemper eligere vel ſequi poſſimus id, quod melius, ſatius, tutius aut conſultius fuerit deprehenſum.* Fundamentum totius hujus artis, quo in metiendis probabilitatibus perpetuo niti debemus, in hac univerſali conſiſtit regula, quam demonſtrant *Hugenius* in eleganti Diatriba de ratiociniis in aleæ ludo, *Prop. 1, 2 & 3* & Patruus meus in Annotationibus ad easdem propoſitiones: *Multiplicetur id quod ſingulis caſibus evenit per numerum caſuum, quibus unumquodque evenire deprehenditur, ſummaque productorum dividatur per ſummam omnium caſuum, quotiens oſtendet, quid probabiliter eventurum ſit, ſive denotabit valorem exſpectationis, ſeu gradum probabilitatis quæſitæ.* Eam ad quæſtiones Juris applicaturi primum oſtendemus, quomodo per conjecturas determinetur, quot annos adhuc cujuslibet ætatis homo probabiliter ſit victurus. Refert Cl. Patruus p.m. in Diſſertatione de Converſione & Oppoſitione Enunciationum annexo 31 ex Ephemeridibus Erud. Gall. A. 1666, Num. 31, obſervatum fuiſſe ex collatione plurium Catalogorum demortuorum, quales Pariſiis & Londini menſtruatim vel hebdomatim diſtribui ſolent, quod ex centum infantibus, eodem tempore natis, elapſo ſexennio ſuperſtites remaneant 64 elapſis annis XVI 40, annis XXVI 25, annis XXXVI 16, annis XLVI 10, annis LVI 6, annis LXVI 3, annis LXXVI 1, annis LXXXVI 0. Quo poſito, ſi agatur de æſtimanda vita alicujus infantis recens nati, ita ratiocinandum erit: infans hic recens natus comprehenditur vel inter illos 36, qui intra primum ſexennium moriuntur, vel inter illos 24, qui moriuntur inter annum ſextum & decimum ſextum &c. Ergo 36 ſunt caſus, ut moriatur intra primum ſexennium, h. e. ut probabiliter adhuc vivat tres annos; 24 alii caſus, ut moriatur in-

tra

tra annum ſextum & decimum ſextum, h. e. ut probabiliter adhuc vivat 11 annos &c. Unde per regulam generalem traditam infantis noſtri exſpectatio valet $(36, 3 + 24, 11 + 15, 21 + 9, 31 + 6, 41 + 4, 51 + 3, 61 + 2, 71 + 1, 81) : 100 = 1822 : 100 = 18\frac{11}{50}$ ann. Pariter ejus, qui eſt annorum ſexaginta ſex, ætas probabiliter futura $(2, 5 + 1, 15) : 3 = 25 : 3 = 8\frac{1}{3}$ ann. Aliter & quidem brevius easdem ætates ordine retrogrado ſic invenimus: ille, qui 66 eſt annorum, duos habet caſus, ut moriatur intra 10 annos, & unum, ut perveniat ad annum 76. Ergo ejus exſpectatio valet $(2, 5 + 1, 15) : 3 = 25 : 3 = 8\frac{1}{3}$ ann. Similiter infantis recens nati exſpectatio eſt $(36, 3 + 64, 6 + 20\frac{2}{3}\frac{5}{2}) : 100 = 1822 : 100 = 18\frac{11}{50}$ ann. Eodem modo determinabitur vita ejus, qui eſt ætatis intermediæ inter annos 0. 6. 16. 26 &c. e gr. Si fuerit 20 annorum, exſpectatio ejus erit $(9, 3 + 9, 11 + 6, 21 + 4, 31 + 3, 41 + 2, 51 + 1, 61) : 34 = 662 : 34 = 19\frac{8}{17}$. Non autem unius tantum hominis ætas media hoc modo probabiliter determinari poteſt, ſed & duorum, trium, pluriumve h. e. ætas media diutiſſime viventis duorum, trium, quatuor &c. ejusdem aut diverſæ ætatis hominum. Sed antequam hanc ætatem ſupputare poſſimus, præmittenda eſt ſolutio ſequentis problematis. Data meta a annorum vitæ longiſſimæ, intra quam aliquot homines numero b ſingulis momentis æquali facilitate mori poſſunt, quæritur, ad quot annos longiſſime victurus probabiliter pertingere queat? R. ad $ba : (b + 1)$ annos, h. e. ſi ſint perſonæ 1, erit ætas quæſita $\frac{1}{2}a$; ſi 2, $\frac{2}{3}a$; ſi 3, $\frac{3}{4}a$; ſi 4, $\frac{4}{5}a$ &c. Nam ſi dividatur tempus a in innumeras partes æquales ſeu momenta m, quorum numerus ſit n infinitus, ita ut nm ſit $= a$, & moriatur diutiſſime vivens ultimo momento, morientur ceteri eodem momento vel aliquo præcedentium & quidem tot caſibus, quot nulliones, uniones, biniones, terniones &c. continentur in rebus n, prout ceteri illi ſunt vel 0, vel 1, vel 2, vel 3 &c. nempe vel 1, vel n, vel $(n, n + 1) : 2$, vel $(n, n + 1 . n + 2) : 2, 3$ &c. caſibus, unde productum ex numero caſuum in numerum momentorum, quæ exſpectat diutiſſime vivens, ſi mori ſupponatur ultimo momento, erit 1. nm, n. nm, $\frac{(n, n+1)}{2}$ nm, $\frac{(n, n+1, n+2)}{2, 3}$ nm &c. & ſumma omnium

pro-

productorum diviſa per ſummam omnium caſuum, i. e. totalis expectatio diutiſſime viventis, qui ſingulis momentis æque morti obnoxius ſupponitur, $\int nm : n$, $\int n.nm : \left(\frac{n, n+1}{2}\right)$, $\int \frac{n, n+1}{2} nm : \left(\frac{n, n+1, n+2}{2, 3}\right)$, $\int \frac{n, n+1, n+2}{2, 3} nm : \left(\frac{n, n+1, n+2, n+3}{2, 3, 4}\right)$ &c. ſeu quia $n = \infty$, $\int nm : n$, $\int nnm : \frac{1}{2}nn$, $\int \frac{1}{2} n^3 m : \frac{1}{6}n^3$, $\int \frac{1}{6} n^4 m : \frac{1}{24} n^4$ &c. h. e. $\frac{1}{2}nm$, $\frac{2}{3}nm$, $\frac{3}{4}nm$, $\frac{4}{5}nm$ &c. $=$ (quia $nm = a$) $\frac{1}{2}a$, $\frac{2}{3}a$, $\frac{3}{4}a$, $\frac{4}{5}a$ &c. Idem Geometrice quoque ſic inveniri poteſt, ſi conſtruatur curva talis naturæ, ut abſciſſis x exprimentibus tempus, intra quod dati homines moriuntur, applicatæ y repræſentent numeros caſuum, quibus dicto tempore mori poſſunt, denotabit diſtantia centri gravitatis hujus curvæ a vertice i. e. $\int xydx : \int ydx$ numerum annorum quæſitum. Eſt enim mutua convenientia inter valorem exſpectationis & centrum gravitatis. Hinc in noſtro caſu, ubi applicatæ ſemper deprehenduntur eſſe ut abſciſſarum poteſtates, quarum exponens unitate minor eſt numero perſonarum, erit (poſito $y = x^{b-1}$) $\int xydx : \int ydx$ h. e. ætas probabiliſſima diutiſſime viventis $= \int x^b dx : \int x^{b-1} dx = (1 : b+1)\, x^{b+1} : (1 : bx^b) = bx :, b+1$ ſeu (poſito $x = a$) $ba :, b+1$. Quod ſi jam ætatem probabilem duorum e. gr. recens natorum A & B ſupputare velimus, patet vel utrumque A & B moriturum eſſe intra primum ſexennium (quo caſu ætas media diutiſſime viventis per modo oſtenſa erit $\frac{2}{3}6$ h. e. 4 ann.) vel A moriturum inter annum 6 & 16 & B intra 6 annos, aut viciſſim B inter annum 6 & 16 & A intra annos 6 (quibus duobus caſibus ætas diutiſſime viventis eſt $6 + \frac{1}{2}10 = 11$ ann.) vel utrumque A & B moriturum intra ann. 6 & 16 (quo caſu ætas diutiſſime viventis eſt $6 + \frac{2}{3}10 = 12\frac{2}{3}$ ann.) vel A moriturum inter annum 16 & 26 & B intra annos 16, aut viciſſim B inter annos 16 & 26, & A intra annos 16 (quibus caſibus ætas diutiſſime viventis eſt $16 + \frac{1}{2}10 = 21$ ann.) vel utrumque moriturum inter annum 16 & 26 (quo caſu ætas diutiſſime viventis eſt $16 + \frac{2}{3}10 = 22\frac{2}{3}$ ann.) & ita porro. Sunt autem $36 \cdot 36$ caſus, ut uterque moriatur primo ſexennio, $36 \cdot 24$ caſus ut A moriatur inter ann. 6 & 16 & B intra an-

nos 6, totidemque ut B moriatur inter ann. 6 & 16, & A intra annos 6, 24 - 24 caſus ut uterque moriatur inter annum 6 & 16, (36. + 24) 15 = 60 - 15 caſus, ut A moriatur inter annum 16 & 26 & B intra 16 annos, totidemque ut B moriatur inter annum 16 & 26 & A intra 16 annos, 15 - 15 caſus ut uterque moriatur inter annum 16 & 26 &c. quare exſpectatio diutiſſime viventis erit = (36, 36) 4 + (2, 36 - 24) 11 + (24, 24.) $12\frac{2}{3}$ + (2, 60, 15) 21 + (15, 15) $22\frac{2}{3}$ + (2, 75, 9) 31 + (9, 9) $32\frac{2}{3}$ + (2, 84, 6) 41 + (6, 6) $42\frac{2}{3}$ + (2, 90, 4) 51 + (4, 4) $52\frac{2}{3}$ + (2, 94, 3) 61 + (3, 3) $62\frac{2}{3}$ + (2, 97, 2) 71 + (2, 2) $72\frac{2}{3}$ + (2, 99, 1) 81 + (1, 1) $82\frac{2}{3}$ diviſ. per 100. 100 = 278238 : 10000 = $27\frac{4119}{5000}$.

Si jam ex ſolo temporis lapſu judici abſentem pro mortuo declarare liceat, ſatis probabile eſſe exiſtimo, ut quis ſit mortuus, ſi duplo probabilius ſit eum eſſe mortuum quam vivum, tunc enim probabilitas ſemiſſem certitudinis notabiliter ſexta ſcilicet certitudinis parte excedit. Tunc autem illud duplo probabilius eſt, quando tot anni elapſi ſunt, ut ex pluribus ejusdem ætatis hominibus numerus eorum, qui intra hos annos deceſſerunt, duplo major ſit quam numerus eorum, qui adhuc ſuperſtites ſunt. Sic ad inveniendum quo tempore duplo probabilius ſit, ut infans e. gr. recens natus, ſit mortuus quam ut vivat, quæro, intra quot annos ex centum infantibus decedant 67, ita ut ſuperſtites remaneant tantum 33, & invenio annos $20\frac{2}{3}$. Ex centum enim infantibus intra 16 annos moriuntur 60 & ſequente decennio 15. Unde ad habendum tempus, intra quod moriuntur 67 per regulam trium ſic dico: Quindecim moriuntur intra 10 annos, ergo ſeptem moriuntur intra annos $4\frac{2}{3}$, qui additi ad 16 annos faciunt $20\frac{2}{3}$.

In emtione ſpei aut aleæ, ſpes etſi incerta ſit, nihilominus certo valore & pretio æſtimari poteſt per regulam ſuperius indicatam. E. gr. Si quis ab aliquo emat jus per annum exercendi piſcationem in flumine, valor ſpei determinabitur, ſi numerus piſcium ab aliquot retro annis in illo flumine captorum dividatur per numerum annorum, nam quotiens dabit numerum piſcium, qui probabiliter hoc anno capientur, adeoque juſtum pretium in hac emtione erit illud, quod alias pro tot piſcibus ſolvendum eſſet. Emtionis ſpei præcipua & hodie maxime uſitata ſpecies eſt *emtio annuorum redi-*

Digitized by Google

reditnum ad vitam, qua pro certo pretio ſtatim exoluto emuntur penſiones annuæ præſtandæ ad dies vitæ vel emtoris, vel venditoris, vel alicujus tertii. Verus atque genuinus reditus vitales æſtimandi modus hic eſt. Primo patet, quod, quia ſors ſeu pretium datum repeti nequit, penſiones annuæ excedere debeant uſuras ordinarias, quæ alias pro eadem ſorte ſolverentur, ſi cenſus eſſet redimibilis; ſecundo æquum eſt, ut id quod ſingulis annis ultra uſuram convenientem ſolvitur, ſorti imputetur, quo fit, ut ſors ſingulis annis imminuatur & tandem plane exhauriatur, ſed hoc, ut æqualis inter emtorem & venditorem intercedat conditio, neceſſario contingĕre debet poſt tot annos, quot ille, ad cujus vitam reditus conſtituitur, victurus præſumitur. Ad inveniendam igitur rationem inter pretium & annuas penſiones ponatur ſors ſeu pretium $= s$, penſio annua $= p$, numerus annorum, quos quilibet victurus præſumitur & quos ſupra invenire docuimus $= n$, ſitque ratio ſortis ad ſortem auctam uſura primi anni ut 1 ad m, ita ut ſors cum uſura primi anni ſit ſm. De hac ſi detrahatur p penſio primi anni, relinquitur $sm - p$ pro quantitate ſortis poſt primum annum. Hinc ad inveniendum, quænam ſit ſors poſt ſecundum annum, faciendum eſt ut 1 ad m ita $sm - p$ ad $smm - pm$ ſortem auctam uſura ſecundi anni: ex qua iterum detrahi debet penſio annua, ut habeatur $smm - pm - p$ pro quantitate ſortis, quæ eſt poſt annum ſecundum. Rurſus multiplicando per m & ſubtrahendo p habetur $sm^3 - pmm - pm - p$ pro ſorte poſt tertium annum. Similiter ſors poſt quartum annum erit $sm^4 - pm^3 - pmm - pm - p$, poſt quintum $sm^5 - pm^4 - pm^3 - pm^2 - pm - p$; poſt ultimum ſeu n annum $sm^n - pm^n - pm^{n-2} - pm^{n-3} \cdot - - - - p$, quæ quia debet eſſe $= 0$, erit $sm^n = p + pm + pm^2 + pm^3 - - + pm^{n-1} =$ (quia hæc ſeries eſt progreſſio Geometrica) $(pm^n - p) :, m - 1$. Unde dividendo utrinque per $m^n : (m - 1)$ proveniet $S(m - 1) = p - p : m^n$ & æquatione in analogiam verſa $p : s = m - 1 : (1 - 1 : m^n) =$ (ſubſtituto valore ipſius $m = 105 : 100$ & $m - 1 = 5.\ 100 = 1 : 20$, hodie enim regulariter permittuntur uſuræ duntaxat quincunces) $\frac{1}{20} : \frac{100}{105}^n = 1.\ 20 \left(1 - \frac{100}{105}^n\right)$: quod indicat penſionem annuam ad pretium debere eſſe in ratione

Digitized by Google

An.	Pret.	A.	Pret.	A.	Pret.	A.	Pret.	A.	Pret.
10	7.723	30	15.373	50	18.256	70	19.343	90	19.752
11	8.304	31	15.593	51	18.339	71	19.374	91	19.764
12	8.864	32	16.803	52	18.418	72	19.404	92	19.775
13	9.396	33	16 082	53	18.493	73	19.432	93	19.786
14	9.899	34	16.193	54	18.565	74	19 459	94	19.796
15	10.380	35	16.374	55	18.634	75	19.485	95	19.806
16	10.838	36	16.547	56	18.699	76	19.509	96	19.815
17	11.274	37	16.712	57	18.761	77	19.533	97	19.824
18	11.691	38	16.868	58	18.819	78	19.555	98	19.832
19	12.085	39	17.017	59	18.876	79	19.576	99	19.840
20	12.461	40	17.159	60	18.929	80	19.596	100	19.848

Hujus Tabellæ beneficio inveni, penſione annua exiſtente 1.000, reditus ad vitam ejus, qui eſt

annorum	0	6	16	26	36	46	56
reditus vitales	9.420	10.600	10.593	10.576	10.164	9.457	8.148

valere.

Etenim ex ſuperioribus liquet 15 eſſe e. gr. caſus, ut juvenis 16 annorum moriatur primo decennio, 9 ut ſecundo, 6 ut tertio, 4 ut quarto, 3 ut quinto, 2 ut ſexto, & 1 ut ſeptimo. Si moriturus eſſet primo decennio, pretium juſtum eſſet 4.558 (Sumitur enim medium Arithmeticum inter decem primos hujus Tabulæ numeros, h. e. inter ſingula pretia pro reditu unius, duorum, trium &c. 10 annorum, quia *per hypotheſin* juvenis noſter ſingulis decennii annis æque facile morti obnoxius eſt.) Si moriturus eſſet ſecundo decennio, pretium eſſet 10. 519, quod itidem eſt medium Arithmeticum inter Pretia pro reditu ad 11, 12, 13 - - - 20 annos. Similiter ſi moriturus eſſet tertio decennio, pretium eſſet 14.179; ſi quarto, 16.427; ſi quinto, 17.806; ſi ſexto 18.653 & denique ſi ſeptimo 19 - 173. Ergo per generalem noſtram regulam valor hujus reditus eſt $=$ (15, 4.558 + 9, 10.519 + 6, 14.179 + 4, 16.427 + 3, 17.806 + 2, 18.653 + 1, 19.173) : 40 $=$ (423.720) : 40 $=$ 10.593.

Eſt & alia ſpecies contractus vitalitii, quæ cum reditibus vitalibus magnam habet affinitatem, illa ſcilicet conventio, Italis

 ho-

hodienum uſitata, qua Pater cui recens nata eſt filia cum alio ita contrahit, ut ille pretio ſtatim accepto ejus quadruplum vel quintuplum (quod deinde filiæ in dotem cedit) reſtituat, ſi contigerit, filiam pervenire ad ætatem nubilem puta 16 annorum, totum autem retineat, ſi infra hanc ætatem moriatur. In hac igitur conventione quæritur, quantum debeat eſſe illud, quod dicto tempore reſtitui oportet. Nos illud ita determinamus. Ponamus pecuniam erogatam eſſe $= 1$, illamque poſt annum valere m, hinc illa poſt duos annos valebit m^2, poſt tres m^3, poſt ſedecim m^{16}. Itaque ſi filia certo ad 16 annos perventura eſſet, ipſi ſolvi deberet m^{16}. Sed quia contingere poteſt illam infra hanc ætatem mori, ideo æquum eſt plus reſtitui quam m^{16}, ut hæc incertitudo iterum cum alio lucro compenſetur. Vocemus igitur, quod reſtitui debet x, eruntque 40 caſus ad obtinendum x & 60 ad o. Sunt enim (ut apparet ex ſuperioribus) 40 caſus, ut quis perveniat ad annum decimum ſextum, & 60, ut moriatur intra 16 annos, proinde exſpectatio ejus, qui hoc modo contrahit, eſt $(40x + 60, 0):100 = \frac{2}{5}x$, & quia hæc exſpectatio tantundem valere debet ac illud quod valet pretium erogatum poſt 16 annos h. e. m^{16}, idcirco habebitur $\frac{2}{5}x = m^{16}$ & $x = \frac{5}{2}m^{16} =$ (poſito $m = 105:100$, quia uſuræ legitimæ ſunt quincunces) $\frac{5}{2}, 105^{16}:100$, quæ quantitas, per Logarithmos facile habetur, nam Logarithmus ipſius $105^{16}:100$ eſt ſedecuplus Logarithmi ipſius $105:100$. Multiplicato igitur Logarithmo hujus uumeri i. e. 0. 0211893 per 16, proveniet Logarithmus 0. 3390288, cujus numerus quam proxime eſt 2. 183, qui porro multiplicatus per $\frac{5}{2}$ dat 5. 457 pro eo, quod filiæ poſt 16 annos reſtitui debet & quod, ut apparet plus eſt quam quintuplum pecuniæ ab initio erogatæ.

In contractu aſſecurationis quomodo periculum æſtimari poſſit, ex ſequentis caſus reſolutione patebit. Inſtitutor nunciat mercatori tres naves A, B, C ſolviſſe e portu mercibus onuſtas & tertiam quidem C 100 ſarcinis, ex quibus tres ſignatæ N°. 1. N°. 2. N°. 3 pertineant ad mercatorem capiatq; ſarcina N°. 1 pro 1000, N°. 2 pro 2000, N°. 3 pro 2400 florenis merces. Aliquamdiu poſt nunciatur illi, unam illarum 3 navium naufragio periiſſe, nec niſi 20 ſarcinas fluctibus ereptas fuiſſe. Mercator timidus incertitudinis impatiens,

utrum

utrum jactura ſe quoque tetigerit, mavult quod ſibi ſupereſt ſpei alteri vendere, quam inter ſpem & metum diutius verſari. Quæritur, quanti ſit æſtimandum illud, quod jure & rationabiliter ſperare poſſit. R. 3960 florenis. Nam ſi navis illa, quæ naufragium paſſa eſſet, fuiſſet tertia C, quæ merces noſtri mercatoris vexit, exſpectare poſſet mercator, quia ex 100 Sarcinis duntaxat 20, i. e. quinta pars ſalvatæ ſunt, nonniſi quintam partem ſuarum mercium, id eſt, 1080. Quia autem infortunium, ſi ſolus navium numerus ſpectetur, ſingulis tribus A, B & C æque facile accidere poterit, ideo duo ſunt caſus, ut omnes merces ſalvatæ ſint, unus ut quinta tantum pars, adeoque exſpectatio mercatoris valet (2, 5400 + 1, 1080.) : 3 = 11880 : 3 = 3960.

Hinc etiam patet, quomodo determinari debeat quantitas uſurarum in fœnore nautico. Quanti enim æſtimari debet periculum, quod ſuſtinet creditor pecuniæ trajectitiæ, tanto uſuras ordinarias ſuperare debent uſuræ nauticæ. Sit ſors ſeu quantitas pecuniæ trajectitiæ = a, uſura menſtrua ordinaria = b, nautica = x, numerus menſium, quibus navis navigat = n, numerus caſuum, quibus navis ſalva in portum venit = p & numerus caſuum quibus contrarium accedit = q, ſive quod ex p + q navibus numerus earum, quæ ſalvantur, ſit = p & numerus earum, quæ pereunt, = q. Quia igitur p caſus ſunt, ut creditor accipiat totam ſortem a una cum uſuris nauticis, quæ ſingulis menſibus ſunt x adeoque n menſibus conficiunt nx, & q caſus ut nihil accipiat, ideo erit ejus exſpectatio = (p(a + nx) + q, 0) :, p + q = (pa + pnx) :, p + q. Hæc autem exſpectatio tantundem valere debet ac illud, quod accepturus fuiſſet creditor, ſi pecuniam ſuam ſub uſuris ordinariis credidiſſet, proinde habetur (pa + pnx) :, p + q = a + nb, conſequenter x = (qa + pnb + qnb) : pn. E. gr. ſit p : q = 9 : 1, a = 1200, b = 5, erit x = 1350 : 27 = 50.

Celebres admodum ſunt hodie ſponſiones *Genuenſes*, quæ publice inſtituuntur occaſione electionum ſingulis annis *Genuæ* factarum, ubi ex 100 Senatoribus ſorte eliguntur quinque, qui eo anno principalioribus funguntur muneribus. Solent igitur mercatores opulenti cum aliis concertationem inire hac lege, ut, quicunque

cunque certare voluerit, ſymbolum quantum velit exponat & quinque ex illis 100 nominet, & ſi poſtmodum ſors tulerit, ut unus ex nominatis electus fuerit, recepturus ſit certam pecuniæ ſummam, de quo conventum fuit; ſi duo, majorem &c. ſi nullus, ſoluti ſymboli jacturam faciat. Quæritur, quantum præmium cuique caſui debeat ſtatui, ut æqua ſorte contendatur? Sit ſymbolum = a, præmium ſtatuendum, ſi unus eligatur, = t, ſi duo = u, ſi tres = x, ſi quatuor = y, ſi quinque z. Ponatur numerus caſuum, quibus quinque eliguntur, = b, quibus quatuor = c, quibus tres = d, quibus duo = e, quibus unus = f, quibus nullus = g. Ergo b caſus ſunt, ut quis acquirat z, c caſus ut y, d caſus ut x, e caſus ut u, f caſus ut t & g caſus ut nihil: quare exſpectatio valebit (bz + cy + dx + eu + ft + go) : b + c + d + e + f + g, quæ æqualis eſſe debet ſymbolo a. Unde habetur æquatio bz + cy + dx + eu + ft = ba + ca + da + ea + fa + ga. Ergo cum problema ſit indeterminatum, poſſunt quidem quatuor ſumi ad libitum, verum quia naturæ rei conveniens eſt, ut præmia numeris caſuum reciproce proportionentur, h. e. qua ratione caſus ſunt pauciores, ea præmia exhibeantur lautiora, hinc loco z, y &c. ponamus unam tantum incognitam z, reliquis illi proportionatis exiſtentibus bz : c, bz : d, bz : e, bz : f. Unde æquatio foret talis 5bz = ba + ca + da + ea + fa + ga, ſeu z = (b + c + d + e + f + g) a : 5b = (ſi ponatur b + c + d + e + f + g = h) ah : 5b. Unde y = ha : 5c, x = ha : 5d, u = ha : 5e & t = ha : 5f. Si jam ſymbolum ſit unus aureus & pro litteris b, c, d &c. ſubſtituantur ipſarum valores, qui per notas combinationum regulas hi reperiuntur, nempe b = 1, c = 475, d = 44650, e = 1384150, f = 15917725, g = 579 40519, h = 75 287520, invenientur præmia z = 15057504 aur. y = 31700 $\frac{4}{475}$, x = 337 $\frac{5227}{22325}$, u = 10 $\frac{608002}{692075}$ & t = $\frac{15057504}{15917725}$ unius aurei. Liquet hinc, quantam fraudem committant mercatores Genuenſes, dum regulariter pro uno aureo nonniſi 10000 aureos promittunt, ſi quinque; 1500, ſi quatuor; 300, ſi tres; 10, ſi duo, & unum, ſi unus ex nominatis electus fuerit. Licet enim hoc poſtremo caſu ii, qui cum mercatoribus dicto modo concertant, aliquid lucri habeant, multum

to tamen majus eſt damnum, quod reliquis quatuor caſibus patiuntur: quod clarius patebit, ſi quæramus ipſorum exſpectationem. Eſt autem illa = (1, 10000 + 475, 1500 + 44650, 300 + 1384150, 10 + 15917725, 1 + 57940519, 0) : 75287520 = 43876725 : 75287520 = 2925115 : 5019168 unius aurei. Sed exſpectare deberent tantum, quantum depoſuerunt, h. e. unum aureum. Ergo mercatores Genuenſes ſingulos concertatores defraudant 2094053 : 5019168 partibus unius aurei.

Quodſi ad l. 3 ff. *ſi pars hered. petat.* quæratur, de gravida, quot probabiliter infantes ſit enixura, tenendum eſt, ubi inter 1000 e. gr gravidas una forte fuerit, quæ duos pariat, unam etiam ad minimum futuram, quæ abortum vel mortuum partum edit, ideoque ſi de gravida conjiciendum ſit, quot infantes illa ſit editura, habebimus unum caſum ut duo, 998 ut unus, & unum ut nullus naſcatur. Proinde exſpectatio erit (1, 2 + 998, 1 + 1, 0) : 1000 = 1000 : 1000 = 1.

Regulam denique tradimus ſupputandi, quanta ſit probabilitas, ut quis veritatem dicat, vel non dicat, ſequentem: Divide numerum vicium, quibus vere loqui deprehenſus fuerit, per ſummam illarum viciumque, quibus mentiri fuit obſervatus, & habebis gradum fidei: aut ſi nonnulli probatæ fidei homines ipſi teſtimonium præbeant veritatis, alii non minus probatæ fidei ipſum perfidiæ inſimulent, divide numerum illorum per ſummam amborum. Simili modo ſi quis ſit in ſuſpicione alicujus criminis & contra eum militent aliquot circumſtantiæ aut indicia, ex quibus tamen ſingulis probari nequit, crimen eſſe commiſſum, poterimus invenire, quanta ſit probabilitas, ut quis ſit nocens vel innocens. Nam ſi e. gr. in ſingulis circumſtantiis duplo probabilius ſit, ut quis ſit innocens, quam nocens, & primo nullum contra reum adeſſet indicium, innocentia ejus poneretur extra dubium, h. e. valeret 1. Si vero unum adſit indicium, innocentia minus valebit quam 1 & quidem (quia duo ſunt caſus ut crimen commiſſum non ſit, & unus ut ſit) (2, 1 + 1, 0) : 3 = $\frac{2}{3}$. Si jam accedat ſecundum indicium, erunt duo caſus ut hoc indicium ſit falſum, h. e. ut remaneat tantum unum indicium, quo caſu innocentia, ut modo invenimus, valet $\frac{2}{3}$, & unus caſus ut ſit verum, h. e. ut

crimen ſit commiſſum, adeoque innocentia valebit $(2, \frac{2}{3} + 1, 0) : 3 = \frac{4}{9}$. Sic ſi tria adeſſent indicia, innocentia valeret $(2, \frac{4}{9} + 1, 0) : 3 = 8 : 27$; ſi quatuor $(2, \frac{8}{27} + 1, 0) : 3 = 16 : 81$ & ita porro. Unde perſpicuum eſt, innocentiam continuo decreſcere in proportione Geometrica & ſemper æquari fractioni $\frac{2}{3}$ elevatæ ad eam poteſtatem, cujus index eſt æqualis numero indiciorum, adeo ut ſi 10 e. gr. contra aliquem eſſent indicia, ejus innocentia valeret $\frac{2}{3}, 10 = 1024 : 59049$, quæ tam exigua eſt, ut moraliter fere certum ſit, crimen eſſe commiſſum.

INGENUA IN CONTROVERSIAS EVANGElicorum, i.e. Lutheranorum ac Reformatorum, inter ſe Inquiſitio; Autore SAMUELE STRIMESIO, Doctore Theologo & Eccleſiaſte Primario in Univerſitate & Eccleſia Francofurtanis.

Francofurti ad Viadrum, impenſis Jer. Schrey & J. C. Hartmann, 1708 in 8.

Conſtat 3 Alph. 5 plag.

Autor ſumme Reverendus in præfatione Pacifico-Apologetica de illis conqueritur, qui unionem a nonnullis Theologis commendatam & tentatam acriter impugnant paciſque conſilia ſpernentes odia irreconciliabilia ſuorum animis ingenerare ſtudent. Ipſe pro virili inveterata quidem, ſed inania Proteſtantium odia abolere conatus eſt, dum A. 1687 thematibus *Conradi Bergii*, Anteceſſoris ſui, tractatulum de pace Eccleſiaſtica per modum præfationis præmiſit, juſſu ſuperiori mox in vernaculam tranſlatum & 1689 in Batavia recuſum; Criticæ ſuæ Concionatoriæ (de qua diximus in Actis A. 1700 p. 313) ſtricturas quaſdam ſuaſioneſque pacificas hinc inde inſeruit; epiſtolam Irenicam ad *Danielem Severinum Scultetum* Theologum Hamburgenſem, exaravit & anno 1703 duplex ſcriptum Irenicum edidit, quorum alterum conſenſum Lutheranorum & Reformatorum in fidei fundamento dogmatice exponit, alterum unionem per *Sendomirienſis* conſenſus exemplum paradigmatice commendat, accedente mox ſcripto tertio de natura ac indole unionis ineundæ. (vid. Act. A. 1705. p. 139)

Utut

Digitized by Google

Utut vero non diſſiteatur, uno plures Theologos Lutheranos pios ipſius labores non improbaſſe, nec tamen ſequiora quorundam judicia effugit. Et quanquam exemplo Salvatoris maledicentibus maledicere recuſet, modeſte tamen palmariis ipſorum objectionibus reſpondet. Objicitur ipſi, 1 quod conſenſum Reformatorum & Lutheranorum in Sacra Cœna falſo perhibeat: 2 quod *ἀνθρωποφαγίαν* & *αἱματοποσίαν* Lutheranis affingat: 3 quod *Nerone* crudelior ſit, dum *Sendomirienſem* Evangelicorum conſenſum in exemplum imitationis proponit. Aſſertum de conſenſu in Sacra Cœna nihil vitii habere reſpondet, cum non modo ex ſcriptis Theologorum Reformatorum tam veterum quam recentiorum, ſed & ex confeſſionibus, *Anglicana*, *Gallica*, *Marchica*, *Thorunenſi* conſtet, Reformatos ipſius corporis Chriſti, non nudæ virtutis & efficaciæ ejus, realem ac ſubſtantialem præſentiam, communicantium fidem antegreſſam, utut ſpiritualem & ſupernaturalem, non corporalem & dimenſionalem admittant, nec panem atque vinum pro ſignis nude ſignificantibus, ſed ſimul exhibentibus habeant. Hiſce autem minime obſtare, quod corpus Chriſti in cœlo ad dexteram Patris eſſe affirment, cum ſeſſio ad dexteram Patris præſentiam dimenſionalem & corporalem importet ſitque de corpore glorificato intelligenda, in Sacra Cœna vero corpus Chriſti crucifixum præſens exiſtat, ut ex prima ipſius inſtitutione apparet, in qua nondum erat glorificatum. Licet porro in diſſertatione de Sacra Cœna oſtenderit oralem & corporalem manducationem (quam vulgo Lutherani defendunt) a Chriſto inſtitui non potuiſſe, quoniam *ἀνθρωποφαγία* & *αἱματοποσία* Deo in ſacris abominabilis inde ſequitur, nequaquam tamen eandem Lutheranis a ſe tribui. Quis enim niſi male ſanus alteri errores affinget, quos ex ipſius hypotheſibus deducere valet? Errores manifeſti ex aliorum hypotheſibus eliciuntur, ut earundem falſitas in aprico ponatur: nequaquam pro opinionibus ab Antagoniſta admiſſis recte venditantur. Quod denique Synodum *Sendomirienſem* concernit, ſe tum, quando eam laudabat, ignoraſſe profitetur, quæ *Hartknochius* in Hiſtoria Eccleſiaſtica de viro quodam eidem parum prudenter & Chriſtiane contradicente & Lutheranorum pariter ac Reformatorum conſenſu

pœnas promeritas luente recenſet. Nec factum hoc accidentale laudibus Synodi quicquam putat derogare.

Opus ipſum in duas partes diſpeſcit, quarum altera diſſenſum Evangelicorum præterfundamentalem, altera conſenſum fundamentalem exponit. Prior annotationibus in *Friderici Spanhemii* Elenchum controverſiarum cum Lutheranis Anno 1694 Amſtelodami iterato editam & cum iſtis nunc recuſam abſolvitur. Unde facile judicabit, quænam a Noſtro proferantur, qui illum perſpectum habet. Præmiſſa ſcilicet Reformationis hiſtoria in compendio de Auguſtana Confeſſione multis agit & *Melanchthonianam* editionem vindicat, *Chytræo*, *Selneccero*, *Brentio*, Theologis *Altenburgenſibus*, *Gryphiswaldenſibus* & *Luthero* Tomo Germanico Jenenſi VII fol. 447 collat. cum fol. 448 b, ipſisque Statibus Imperii in conventibus *Wormatienſi*, *Ratisbonenſi*, *Francofurtenſi* & *Naumburgico* approbatam atque Confeſſioni invariatæ ſeu primæ, quæ *Carolo* V Imperatori exhibita, prorſus convenientem ipſorum Lutheranorum judicio. Inter ſocios ejus refert quoque Reformatos, Electores inprimis *Brandenburgicos*, cum ſuis Theologis, propterea quod ipſe *Johannes Sigismundus*, qui primus ex illis religionem Reformatam profitebatur, ejusque ſucceſſores etiam per ſtatuta Facultatis Theologicæ *Francofurtenſis* Theologos ſuos ſolenni juramento ad Auguſtanam Confeſſionem *Carolo* V A 1530 exhibitam & deinceps fuſius expoſitam, ceu ad præcipuum Regionum *Brandenburgicarum* librum ſymbolicum ſerio ſevereque obligaverunt: quo intellecto *Chriſtianus Walther*, nunc Theologiæ in Academia *Regiomontana* Profeſſor, anno 1703 impetrato Reſcripto Regio, quod una cum juramenti formula exhibetur, ſub Decanatu Autoris *Francofurti* in Doctorem Theologiæ promovit, Lutheranus ſub Reformato. Oſtendit tamen, quo ſenſu quidam præ reliquis Confeſſionis Auguſtanæ ſocii dici affectent. Explicat diſtinctionem doctrinarum Chriſtianarum in fundamentales & fundamentatas. Iſtæ ſenſu Scripturæ acceptæ cum ſint doctrinæ de Chriſto unico Salvatore Deo & homine 1 Cor. III, 11, ſenſu Theologico doctrinæ tam ad fidem Chriſtianam conſtituendam, quam ad ejus finem animarum ſalutem conſequendam neceſſariæ; Proteſtantes,

tes, quos in iis conſentire conſtat, fundamentaliter conſentire atque adeo omnem diſſenſum præterfundamentalem eſſe concludit, cujus ortum & progreſſum tradit. Molimina pro conſociatione Lutheranorum & Reformatorum tum ipſo Reformationis ſeculo in conventu *Marpurgenſi*, *Wittebergenſi*, *Francofurtenſi*, *Heidelbergenſi & Sendomirienſi*, tum ſuperiore in *Lipſiaco* & *Caſſellano* recenſet. Agit etiam de decreto ordinum Evangelicorum *Francofurtano* anni 1634 & de curis pacificis *Friderici Wilhelmi M.* Electoris *Brandenburgici*, nec non Potentiſſimi *Boruſſiæ* Regis, cujus ad Epiſcopum ſuum A. 1703 datum Reſcriptum exhibet. Inter obices conſociationis Eccleſiaſticæ refert diabolum hominumque pravitatem atque errores. Pravitati accenſet faſtum, nimiam in ſacris curioſitatem ex iſto ortam, rerumque carnalium & mundanarum cupiditatem. Ex hiſce fontibus tanquam rivulos derivat, quod 1 quivis error in hæreſin vertatur, 2 charitatis judicio locus nullus relinquatur, 3 ſuo quilibet ſenſu abundare velit, 4 adiaphoris Eccleſiaſticis pertinaciter inhæreatur. Conſociationis iſtius limites nonniſi ad doctrinas fundamentales materialiter extendit; formaliter vero, ſeu quatenus ipſum conſociationis actum deſignant, conſideratis duos gradus aſſignat, quorum alter ad tolerantiam duntaxat procedit, alter ad perfectam unionem exporrigitur. Hiſce abſolutis ipſum diſſenſum præterfundamentalem expoſiturus controverſias, quæ Evangelicis intercedant, in claſſes diſtinguit, & primos eorum Autores nominat, *Johannem Brentium* ſcilicet ubiquitatis corporis Chriſti, *Jacobum Andreæ* oralis corporis Chriſti manducationis, & *Ægidium Hunnium* prædeſtinationis ex prævisa fide, primos inter Proteſtantes aſſertores. Singulas illas controverſias ad ductum *Spanhemii* ſeorſim expendit, incipiens a cœna Domini, tanquam ſchiſmatis fonte. Stabilito ſenſu verborum inſtitutionis *hoc eſt corpus meum* improprio, quod diſparata de diſparatis proprie prædicari nequeant, nec ſignatum de ſigno etiam exhibitivo, ubi materialiter differunt, in conſubſtantiationem tam craſſiorem, quam ſubtiliorem, & transſubſtantiationem cum Hiſtorice, tum Theologice inquirit, atque ex Joh. VI & 1 Cor. X & XI omniumque Seculorum Hiſtoria Eccleſiaſtica veritatem ſententiæ Reformatæ de vera & realiſſima,

 ſed

ſed ſpirituali corporis Chriſti in ſacra cœna præſentia corroborare conatur. Quamobrem & manducationem nonniſi ſpiritualem concedit, oralem vero impugnat, & a natura corporis Chriſti manducandi, & a natura de jure manducantium, & denique a natura manducationis ipſius oralis deſumtis argumentis. Inde ulterius probat, indignos nullo modo corporis Chriſti participes fieri, quia ſumto pane in Judam intravit diabolus Joh. XIII, 37, nullam cum Chriſti corpore communionem habens 2 Cor. VI, & impii communionem cum diabolo habentes 1 Joh. I, 6, III, 6, 8, 9 omni communionis cum Chriſto poſſibilitate excluduntur 1 Corinth. X, 21, indigne denique manducantes ſibi judicium edunt & bibunt 1 Cor. XI, 29, 30, 31, caro autem Chriſti vivificat Joh. VI, 53, 54, 56 & ſanguis a peccato purgat 1 Joh. I, 7. Addit argumenta alia ex Patribus & rei manducandæ natura petita. De controverſiis ad articulos de providentia Dei, prædeſtinatione & annexis capitibus ſpectantibus dum diſſerit, oppido largitur, & olim, & hodienum quosdam Reformatos iſtiusmodi interdum expreſſionibus uti, ex quibus durior illa theſis per legitimam conſequentiam inferatur, quod Deus ſit autor peccati, non tamen ipſis hunc errorem imputandum eſſe: præſertim cum ipſi etiam Luthero ſimiles, immo duriores locutiones ſubinde exciderint. Juxta leges itaque charitatis judicans formulas ipſorum loquendi duriores emollit. Enimvero ne diutius his recenſendis immoremur, quam inſtituti noſtri fert ratio, miſſis iis, quæ de voluntate Dei univerſali homines ſalvandi, de decreto electionis ſecundum præſcientiam, de reprobationis decreto oppoſite ad nudam præſcientiam, de gratiæ convertentis operatione, de perſeverantia aut defectione vere fidelium, de communicatione idiomatum, de ubiquitate carnis Chriſti, de baptiſmo, de ritibus non plane adiaphoris, de exorciſmo baptiſmatis infantum, & de fractione panis in cœna disquiruntur, ad Partem ſecundam progredimur, cujus Autor tres conſtituit ſectiones, poſitivam, oppoſitivam & paræneticam. In poſitiva exponit, quinam jure *Evangelicorum* nomine veniant, illi ſcilicet qui Eccleſiæ vel Lutheranæ vel Reformatæ ſincere & citra hypocriſin addicti harumque Eccleſiarum confeſſionibus publica confeſſione adhærent, & inter

tole-

Digitized by Google

tolerantiam eorundem *Eccleſiaſticam* & *unionem* hoc diſcrimen aſſignat, quod iſta a tolerantia civili Paci religioſæ *Paſſavienſi* & Inſtrumento Pacis *Oſnabrugenſis* diſtinguenda in eo vertatur, ut utraque Eccleſia particularis alteram non minus ac ſemet unius Catholicæ, eandem qua ſubſtantiam veram fidem Chriſtianam citra omnem ejus vel alterationem vel augmentationem ſubſtantialem profitentis, Eccleſiæ partem genuinam agnoſcat; hæc vero præcipit, ut abolitis libris ſymbolicis propriis, poſt Sacram Scripturam Canonicam, in ſolis Symbolis Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicis & una præterea Evangelicis Lutheranis Reformatiſque communi Auguſtana Confeſſione invariata qua doctrinas acquieſcatur & in unam eandemque Eccleſiam, emendatis quoque ab omni ſuperſtitione ac neceſſitatis opinione utrinque ceremoniis, concedatur. Utriusque fundamentum conſenſum Evangelicorum in fundamentalibus fidei articulis omnibus agnoſcit: quem demonſtraturus monet, eorundem characterem eſſe neceſſitatem ad ſalutem vel per modum nudi præcepti, vel per modum medii, talem vero neceſſitatem, quæ a Deo ipſo in Scripturis S. ſive explicite ſive implicite enuncietur. Illum vero ad quatuor gradus reducit, quod nempe 1 utraque Eccleſia unum idemque omnium ad ſalutem neceſſariorum principium cognoſcendi adæquatum & unicum Scripturam ſacram admittat, 2 in elementis religionis Chriſtianæ conveniat, 3 in invariata Auguſtana Confeſſione, ejus etiam articulo decimo, & 4 in ipſa *Bergenſi* Concordiæ formula, qua tres potiſſimum controverſos de S. Cœna, Perſona Chriſti & Prædeſtinatione articulos, clariſſime conſpiret. Hæc omnia in peculiari opere, de quo in Actis A. 1705 diximus, jam pluribus expoſita, nunc denuo confirmantur & contra exceptiones Antagoniſtæ vindicantur. Sectio oppoſitiva in duos articulos abit, quorum prior *Nicolai Hunnii* διάσκεψιν Theologicam, in qua diſſenſum fidei fundamentalem inter Reformatos & Lutheranos evincere ſtudet, atque Viri ſumme Reverendi Dn. D. *Wernsdorffii* brevem conſiderationem in Autoris librum modo laudatum; poſterior vero *Johannis Hülſemanni* Calviniſmum irreconciliabilem & Venerandi Præſulis noſtri Dn. *Ittigii* Dedicationem Hiſtoriæ Synodorum Reformatarum Gallicarum præfixam examinat. In Sectio-

ctione denique parænetica Proteſtantes, quos in fundamento fidei conſentire demonſtravit & contra objectiones vindicavit, non modo ad tolerantiam mutuam, verum etiam ad unionem Eccleſiaſticam adhortatur. Utitur autem argumentis cauſæ huic intrinſecis, controverſiarum ſcilicet inter Proteſtantes reſiduarum paucitate & exilitate; reverentia Reformatorum erga clariora S. Scripturæ loca, quibus diſſenſus eorum a Lutheranis unice nitatur, alioquin citra omnem tergiverſationem in ipſorum caſtra tranſiturorum; imbecillitate (quæ videtur) diſſenſus Lutheranorum a Reformatis, nixi ſcilicet locorum quorundam Scripturæ S. novitia διερμηνεία, Librorum Symbolicorum, præſertim Formulæ Concordiæ *Bergenſis*, nimia veneratione, & conſequentiarum certi generis imputatione; fraterni amoris inter Chriſtianos fundamentaliter conſentientes præſtantia ac neceſſitate; ſchiſmatis ſumma turpitudine; indefeſſis Reformatorum precibus & ad pacem unionemque Eccleſiaſticam invitationibus & modo unionis perquam facile abſolvendæ. Monet autem ab unione Pontificios eſſe excludendos, quamdiu Concilii *Tridentini* anathemata adverſus Proteſtantes vibrant. Ad ipſam unionem non esſe graſſandum, nec per præmittendam univerſalem dogmatum controverſorum compoſitionem, nec per impetrandam prius univerſalem morum emendationem, nec per alterutrius partis ad alteram tranſitum, dum quæ ſub judice lis eſt decidatur: ſed in conſenſum diſſenſumque Proteſtantium ſecundum conſcientiam eſſe inquirendum; amori fraterno, obtenti conſenſus fundamentalis comiti indivulſo & diſſenſus reſidui recte componendi medio optimo, locum dandum; diſſenſum prærerfundamentalem vel actu componendum, vel ſaltem tolerandum; de ritibus Eccleſiaſticis regulas ex Noſtris a Magnifico *Rechenbergio* noſtro, ex Reformatis a *Spanhemio* traditas obſervandas, utque hæc omnia ex voto ſuccedant, Deum precibus indefeſſis implorandum & a ſummis Magiſtratibus Proteſtantium efflagitandum, ut ex Politicis pariter atque Theologis, tam piis & prudentibus, quam doctis & in Scriptura S. probe verſatis, conſilia cogant.

HISTO-

HISTORICAL COLLECTIONS OF THE Inhabitans of Great Britain, &c.

ſeu

COLLECTANEA HISTORICA DE HABItatoribus M. Britanniæ, eorumque origine, converſione & fatis aliis usque ad Normannorum victorias.

Londini, apud Jo. Wyat, 1706, 8.
Alph. 1 pl. 7.

CErtitudinem rerum geſtarum, veritatemque rerum memoratarum percontaturis vix felicius licet progredi, quam ſi illæ ab origine ſua prima repetantur, & ipſa evolvantur avtographa, ex quibus recentior ætas rerum geſtarum memoriam excerpſit & compilavit. Quam viam dum Autor Collectaneorum horum anonymus omni fide & integritate eſt ingreſſus: id a nobis initio ſignificandum eſſe duximus, quod ea maximam partem ex Julio Cæſare, Tacito, Beda, Uſſerio, Stillingfleeto & Lloydio ſint depromta, quorum teſtimonia vel propriis ipſorum verbis relata, vel certe bona fide in linguam Anglicanam translata ſingulis fere paginis leguntur. Ipſa autem habitatorum Magnæ Britanniæ primorum hiſtoria diſcurſu continuo ad Normannorum uſque expugnationem eſt pertexta, hac quidem rerum ſerie ſervata, ut capite I de *Britannis*, capite II de *Pictis*, capite III de *Romanis*, capite IV de *Scotis*, capite V de *Saxonibus*, capite VI de *Danis*, & capite VII de *Normannis* agatur.

Nobis jam pro inſtituti noſtri ratione ſufficiet obſervationes quasdam miſcellaneas, ut forte ſeſe legentibus nobis in his Collectaneis obtulerunt, indicaſſe. Nimirum dum originem Britannorum primam ſub initium capitis I Autor noſter eruit, Camdenum, ſcriptorem rerum Britannicarum vetuſtiſſimum Britanniæ habitatores primos a *Gomero*, filio Japheti natu majori, ejusque poſteris, qui mutato dein aliquantum nomine Cimbri dicti ſint, deducere obſervat. Et hanc Camdeni ſententiam tum ex eo ſtabilire contendit, quod poſteri Gomeri juſſi fuerint divinitus Gen. X, 5 inſulas

Digitized by Google

gentilium in terras ſuas, unusquisque juxta linguam & familiam ſuam dividere; tum etiam ex eo, quod mas Britannis priſcis *Kumero*, fœmina vero *Kumera* & lingua *Kumerares* dicta fuerint, a Gomeris vel Cimbris, qui ex Holſatia & Jutia ſedes illuc ſuas transtulerant. At quod nomen Britanniæ concernit, illud a vocibus Britannorum priſcis *Brith*, pictus, & *Tania*, regio derivat, quod Britanni primævi corpora ſua nuda colore cœruleo pingerent, & figuris variis diſtinguerent, ut Cæſar, Solinus, Plinius, aliique tradunt. Capite II Autor p. 14 ex Camdeno & Tacito oſtendit, quod Picti cum Britannis iidem antiquis temporibus populi fuerint, non legibus aut lingua, ſed ſedibus ſaltem diſtincti, quod Picti partem inſulæ hujus beatiſſimæ ſeptentrionalem habitarent. Primam autem nominis Pictorum, quod centum demum poſt Severi tempora annis in uſu eſſe cœpit, mentionem inveniri ait in Eumenii Panegyrico ad Conſtantium, qui iſtud inter Britannos & Pictos diſcrimen adnotaſſet, quod Britanni rudes magis moribus fuiſſent & velut barbari, Picti contra civiles magis, armisque potentes, & ex Germania oriundi. Quod autem Picti Caledoniam ſeu partem Britanniæ ſeptentrionalem habitaverint, illud p. 51 ex Uſſerio fuſius probatur. Capite III p. 55 & 56 narrationes fabuloſas de Romanorum a Trojanis, & Britannorum a Bruto deſcenſu explodit. Poſt Julii Cæſaris expeditiones in Britanniam binas ex ipſius commentariis de Bello Gallico enarrat; & paullo poſt Britanniæ ſtatum ſub Auguſti, Tiberii, Caligulæ, Claudii & Neronis imperio Romano delineat. Hoc facto, aliisque additis, p. 110 totus in eo eſt, ut Stillingfleeti ſententiam, ex Gilda hauſtam, confirmet, qua ipſum D. Paulum Apoſtolum prima Eccleſiæ apud Britannos Chriſtianæ fundamenta jeciſſe ille contendit. Primum enim extra controverſiam apud omnes ex Gal. II, 7 poſitum eſſe Autor monet, quod Petro Apoſtolo Evangelium circumciſionis in Oriente apud Judæos, at D. Paulo Evangelium præputii in Occidente fuerit demandatum. Jam vero Britannos ante fatalem cladem ſuam, a Suetonio Paulino acceptam, Evangelio Chriſti fuiſſe illuminatos. Secundo Theodoretum Scriptorem Eccleſiaſticum, tanta eruditione, quanto judicio pollentem, expreſſis verbis mentionem facere Tomo IV, Serm. 9 Britannorum inter gentes illas, quæ per

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolos ad Chriſtum fuerint converſæ. Et Tom. I in Pſal. 116 eundem Patrem addere, quod D. Paulus ſalutem intulerit inſulis in Oceano ſitis. Quem locum Euſebius ſatis illuſtret, quando Apoſtolos quosdam Oceanum trajeciſſe teſtetur ἐπὶ τὰς καλουμένας BPETTANIKAΣ νήσους. Tertio Hieronymum in Amoſi caput V teſtimonium perhibere, quod D. Paulus, poſt prædicationem Evangelii in Hiſpania, ab uno Oceano in alterum transfretaverit, Solis juſtitiæ motum & curſum imitaturus, de quo dictum eſt, quod ab una extremitate cœli ad alteram transcurrat; & quod ita ſolers quoque fuerit Paulus in prædicando evangelio ad extremitatem usque orbis habitabilis. Quod teſtimonium ſuum Hieronymus ipſe magis dilucidarit libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quo D. Paulum poſt cuſtodiam ſuam Evangelium annunciaſſe asſerat in partibus orbis occidentalibus. Sed per has partes inſulas ſpeciatim Britannicas ab Hieronymo ſubinnui, Clementis Romani autoritate in Epiſtola ad Corinthios evincere Noſter ſtudet. Quarto Paulum otii opportunitatisque ſatis habuiſſe ad Evangelium Britannis annunciandum, cum a primis vinculis ſuis Romæ anno quinto imperii Neronis liberatus, & ante annum imperii Neronis decimum quartum martyrium non paſſus fuerit. Creditu proin vix eſſe poſſibile, quod ſpatio illo interjecto annorum integrorum novem Paulus omne tempus in Hiſpania & Gallia conſumſerit; quin potius verosimile videri, quod excucurrerit ſimul vi Apoſtolatus ſui ad Britannos, ad quos eum non una cauſa pertrahebat. Nam ut taceamus magnum Romanorum ea tempeſtate cum Britannis commercium, quo non ſolum arma ſed litteras quoque & viros quoslibet bonos in Britanniam mittebant, quod quintum Autoris noſtri argumentum eſt, ſexto cumprimis urget, quod veroſimile ſibi admodum videatur, tum Pomponiam Græcinam A. Plautio, ſub Claudio in Britannia militanti, tum Claudiam Britannam Pudenti Romano nuptam D. Apoſtolum, ut ad Britannos iret, impuliſſe: cum is honorificam ſatis Pudentis & Claudiæ 2 Timoth. IV, 21 mentionem injiciat. Sed num his argumentis Stillingfleeti ſui ſententiam ſatis Autor corroboraverit, alii diſpiciant. P. 142. addit, quod Romani per 500 fere annos Britanniam tenue-

tenuerint, eamque præ allis gentibus habitabilem incolisque plenam reddiderint. Capite IV p. 144 autoritate Lloydii, Epiſcopi, docet, quod Scoti, Straboni alioquin etiam Scythæ dicti, prius Hiberniam habitaverint, quam in Britannia ſedes ſibi eligerent; & p. 160 domicilium Scotorum in Albania primum ex Uſſerio & Lloydio indicat. P. 171 converſionem Pictorum Auſtralium ex Uſſerio, & p. 128 Pictorum Borealium converſionem ex Beda refert. Capite V p. 186 nomen Saxonum, qui A. 449 juxta Bedam in Britanniam venere, a voce *Sachs*, ſicam ſeu gladium breviorem notante, cum Stillinfleeto derivat, hancque derivationem tum nomine Quiritum a quiris, haſta, & Scytharum a voce Saxonum priſca *ſchieten*, tum Rhythmo veteri apud Engelhuſium in Chronico firmat:

Quippe brevis gladius apud illos *Saxa* vocatur,
Unde ſibi nomen *Saxo* traxiſſe putatur.

Pag. 193 Provincias diſtinctas in tabula velut exhibet, quas Jutæ, Saxones & Angli in Britannia olim tenuerunt, & ſimul novam Stillingfleeti ſententiam excutit, ex Reinero Reineccio hauſtam, qua Saxones cis Albim olim habitaſſe, & ſedes ſuas ad Rheni usque terminos extendiſſe ille contendit. Paullo poſt vero hiſtoriam Regum Saxonum in Britannia ex Beda, Annalibus Saxonum, aliisque documentis enarrat. Tum ſe ad hiſtoriam rerum Eccleſiaſticarum ſub Saxonibus prolixa tractatione convertit, & inter cetera Auguſtini, miſſionarii & primi Cantuarienſium Archiepiſcopi, & Melliti atque Juſti, Epiſcoporum, res geſtas, Sigeberti item Regis Saxonici, per Finanum Epiſcopum, baptiſmum, nec non lites Britannorum acerrimas de Paſchate tempore Regis Oſwi memorat. Capite demum VI Danorum, & capite VII Normannorum res geſtas in Britannia tum qua ſtatum civilem, tum qua ſtatum eccleſiaſticum, ex Scriptoribus vetuſtiſſimis fideque digniſſimis enucleat.

ATENE ATTICA, &c.

i. e.

ATHENÆ ATTICÆ, DESCRIPTÆ A SUIS inde initiis ad deditionem usque Venetis factam A. 1687.

Opus

Opus quadripartitum, nummis, iconibus, delineationibusque æri inciſis diſtinctum; Autore FRANCISCO FANELLO, JCto & Advocato Veneto.

Venetiis, apud Antonium Bartolum, 1707, 4.
Alphab. 2 plag. $3\frac{1}{2}$ & Fig. æn. 16.

NOn luſurum ſe operam putavit Cl. Autor, ſi poſt *Caroli Sigonii, Ubbonis Emmii, Job. Meurſii* aliorumque doctiſſimorum hominum de veteri Athenarum ſtatu lucubrationes, ſuas etiam in publicum emitteret; mediam itidem celebratiſſimæ urbis ætatem, qualemque nunc peregrinantibus ſe ſiſtit, exponeret: ratus, id ſimul ex dignitate fore Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ, quæ poſt ducentos & viginti quatuor annos, quibus Ottomannorum tyrannidi patuerat miſera civitas, eandem virtute Ducis ſui incluti *Franciſci Moroſini* Libertati & Religioni reſtituit. Opus ipſum in p. 1.
quatuor Libros diſpeſcitur, quorum *primus* fata urbis ab initio inde, quod rejectis aliorum fabuloſis ſententiis ad *Cecropem* Ægyp- 3.
tium A.M. 2454 refert, usq; ad *Periclis* mortem perſequitur: *ſecundus* variam illius fortunam ad tempora usq; *Mithridatis*, Ponti Regis, exponit; a quibus *tertius* exordiens rem prioribus quadringen- 265.
tis quinquaginta paragraphis ad *Irenes* & *Nicephori* Imperium usque continuat. Sed illa quidem omnia, ex variis ſcriptoribus, etſi non claſſicis ſemper, petita, cum de ſuo, ſi ordinem excipias, vix quidquam Autorem deprehendamus contuliſſe, recenſione non indigent. Poſt *Nicephori* tempora ad decurſum usque Sec. XII parcam admodum rerum Athenienſium notitiam ad nos perveniſſe, *Fanellus* indicat, niſi quod poſt Cruciatas expeditiones a Principibus nonnullis & liberis Civitatibus in Occidente ſuaſu Præſulum Romanorum adverſus infideles inſtitutas, Athenas etiam illorum imperiis aliquandiu paruiſſe, hiſtoriæ illius ævi memorent. Primum illorum fuiſſe *Balduinum*, Flandriæ Comitem, 269.
circa A. 1204, & paucis annis interjectis *Venetos*, poſt hos *Cata-* 278, 286.
launos Duce ſuo *Roncerio*, qui Coloniam quoq; eo deduxerint, unde factum, ut Arragones deinde titulum & inſignia Athenienſium 288.
ſibimet vindicarint. Anno demum 1349 eveniſſe, ut Ladis-

laus

Digitized by Google

laus Hungariæ & Neapolis Rex, qui cum fœderatis, Pontifice Romano, Rege Galliarum, Rebuspublicis, Veneta, Genuenſi & Florentina bonam partem Græciæ ſubegerat, ob navatam in illa expeditione egregie operam, Nerio Acciajolo ex poſteris *Angeli* fratris *Juſtiniani* in Oriente Imp. & illa ætate militaribus artibus eximio, Ducatum Atticum (a Conſtantino M. hac nominis prærogativa inſignitum) beneficii loco in Cajetenſi civitate concederet.
p. 290 ſeq. Non ingratum erit, quædam ex Inveſtituræ literis, quas integras exhibet *Fanellus*, hic adſcribere: *Sane attendentes*, inquit Ladislaus, *conſtantis fidelitatis & grandium & utilium ſervitiorum Viri Magnifici Nerii de Acciajuolis Militis Conſiliarii, & fidelis noſtri dilecti; nec non ſumptus & labores varios, quos ſubiit in acquiſitione Ducatus Athenarum, illiusque revocatione de manibus nonnullorum Æmulorum noſtrorum, qui dictum Ducatum contra nos occupatum tenebant, eidem Nerio, ac ſuis heredibus in perpetuum Civitatem & Ducatum prædictum Athenarum cum Terris, Caſtris, Fortalitiis, Caſalibus, Villis, omnibus vaſallis, juribus & pertinentiis omnibus ad dictum Ducatum ſpectantibus, per patens privilegium noſtrum conceſſimus, ipſumque Nerium in Ducem Athenarum præfecimus per ſeriem dicti noſtri privilegii hæc & alia plenius continentis. Noviter autem conſiderantes, quod idem Nerius legitimus maſculis præſentialiter caret liberis, nec volentes, quod præmiſſa per nos ſibi facta conceſſio, ſicut plerumque ſolet accidere, ad perſonas extraneas derivetur, inducentibus præſertim nos ad id meritis conſtantis devotionis ac fidei tam dicti Nerii, quam Viri Magnifici Donati de Acciajuolis de Florentia militis prædicti Nerii fratris, noſtrique ſimiliter Conſiliarii & fidelis dilecti, ac gradibus utilibus, & fructuoſis ſervitiis, quæ fratres ipſi Clar. Mem. Domino Regi Carolo Tertio Reverendo Domino Genitori noſtro, dum viveret, & nobis etiam fideliter & utiliter præſtiterunt & hactenus quoque præſtare fructuoſe ac quotidie non deſiſtunt &c. concedimus, quod in caſu, quod Nerius idem abſque legitimis filiis maſculis ex ſuo corpore derelictis ab hac vita decederet, etiamſi legitimæ filiæ fœminæ ex eo ſupereſſent, præfatus Donatus frater ſuus, vel ipſius Donati filii legitimi maſculi ſexus, qui tunc ſuperſtites fuerint, ætatis & gradus inter eos prærogarogа-*

Digitized by Google

rogativa ſervata, ac majori natu minori Prælato ſuccedant, & ſuccedere debeant eidem Nerio in dictis Ducatu & Civitate Athenarum cum terris, caſtris, omnibus vaſallibus, juribus, pertinentiis de dicta noſtra ſcientia & cum conſenſu ac autoritate, quibus ſupra; noſtraque poteſtatis plenitudine aptos reddimus habiles & capaces, lege ſeu conſtitutione, conſuetudine, Capitulis & Reſcriptis quibuscunque contrariis nullatenus obſtituris. Filiæ vero prædictæ, ſi quæ tunc ex dicto Nerio ſupereſſent, vel in Capillo perſiſterint, quas ex nunc in caſu obitus dicti Nerii, ſine legitimis maſculis decedentis, ſi quidem dictus Donatus, vel ejus legitimi filii maſculi ſuperſtites fuerint, a compendio dictæ ſucceſſionis excludimus per dictum Donatum, vel præfatos ſuos filios de Paragio debeant maritari. Volumus autem & præſentibus declaramus, quod tempore obitus dicti Nerii ſine præfatis legitimis filiis maſculis, ſi quando beneplaciti Dei fuerit, decedentis, præfatus Donatus, vel ejus filius primogenitus, aut primogeniti filius, qui tunc ſuperſtes fuerit, venire ad noſtram Curiam teneatur, & debeat denuntiare in eadem Curia obitum dicti Nerii, Legiumque pro dictis Ducatu, Civitate, terris, caſtris & bonis præſtare in manibus noſtris homagium & fidelitatis debitæ juramentum, nec non relevium propter ea Curiæ noſtræ debitum eidem Curiæ ſolvere, & alia adimplere, ad quæ forſitan teneretur, & tunc ſibi conceſſione vel inveſtitura dictorum Ducatus, Civitatis, terrarum, caſtrorum & bonorum, aut aliter, prout expediens fuerit opportune noſtræ literæ cum clauſulis & declarationibus debitis concedantur. Nerio ſine prole extincto ſucceſſor ab Athenienſium populo datus *Antonius Nerius*, filius illius naturalis, quem deinceps quatuor ex eadem ſtirpe Acciajolorum exceperunt, quorum ultimo inſidiis *Mahumetis II* occiſo, p. 299.
Athenæ Turcici Imperii acceſſio factæ ſunt. Tametſi autem non multo poſt Venetorum auxilio a jugo hoc liberarentur, mox tamen eidem rurſus ſubjectæ in ea ſervitute permanſerunt, donec ſuperioris Seculi anno octogeſimo ſeptimo fortiſſima Venetorum manu in hanc, qua adhuc gaudent, libertatem denuo reſtituerentur. Liber *quartus* totus Topographicus eſt. Situ Athenarum ſollicite ſatis deſcripto, Autor ædificiorum publicorum privatorumque ruinas pervagatur, quidque ex illis Barbarorum temporisque

poriſque furor reliquerint nobis, ſtudioſe obſervat. Comparent hic armamentarium Lycurgi, templum Minervæ, Erechtei, alterum item Minervæ & Pandroſæ Nymphæ ſacrum, Theatrum Bacchi, Porticus Eumenis, Ædes Apollini & Pani dicata, Palatium Adriani, Templum Dianæ, Stadium, Cereris fanum, itemque Jovis Olympii. Commemoratur etiam Columna Adriani, in qua, velut in Albo, decreta, ordinationes & forma proceſſus circa materias tributorum, ex olei confectione quondam pendi ſolitorum, & commerciorum Athenienſium, Græce deſcripta leguntur. Inſcriptio legis illius publicæ his literis concepta eſt:

K. A. Θ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ

quas plerique interpretati ſunt, *Edictum legitimum Divi Hadriani.* Neque falſus eſt Clariſſimus Autor, qui ex tabula illa oppido multa ad œconomicam Romanorum prudentiam Athenis adhibitam, privilegia item Proconſulum autoritatemque Magiſtratuum ſpectantia, colligi poſſe exiſtimat.

SPECIMEN LECTIONUM ANTIQUARUM Francicarum ex Otfridi Monachi Wizamburgenſis libris Evangeliorum, atque aliis Eccleſiæ Chriſtianæ Germanicæ veteris monimentis antiquiſſimis, collectum, cum interpretatione Latina; cura & ſtudio DIETERICI van STADE, Conſiſtorii Regii, quod Stadæ eſt, per Ducatus Bremæ & Verdæ, Secretarii.

Stadæ, impenſis Henrici Brummeri, 1708, 4, Conſt. plag. 9.

QUid ex hoc libro ſibi polliceri Lector debeat, ipſa inſcriptio ſatis edocet; Specimen namque exhibere voluit Autor doctiſſimus linguæ veteris Theotiſcæ, in quam commentarium adornavit, ut varia eruditorum provocaret judicia, atque ita diſceret, quid ſibi in editione integri codicis Evangeliorum Otfridi potiſſimum agendum eſſet: hanc enim moliri ſe profitetur ex optimo codice manuſcripto auguſtiſſimæ Bibliothecæ Vindobonenſis, ſi modo doctorum favor annuat, & benigna ſanitatis aura adſpiret ſeni ætate pæne confecto & ſeptuaginta annis majori. In his

Digitized by Google

his autem, quæ hic exhibemus, antiquitatis Theotiſcæ fragmentis id præſtitit, ut textus quam maxime emendatus ad avthenticos libros exprimeretur, atque illi ſubjungeretur Latina Autoris interpretatio, non quidem ad Latinæ elegantiæ regulas compoſita, ſed ad verbum preſſius translata, ut proprietatem linguæ veteris Lector aſſequeretur. Qua in re Franciſci Junii conſilium eſt ſecutus, qui in præfatione ad Gloſſarium Gothicum veterem horrentis ſeculi verſionem recentibus, quamvis cultioribus, prætulit. Accentus in textu ſtudio omiſit, etſi jam ante Lambecius illud ægre tulerit & Flacio idem facienti in ſua editione Evangeliorum Otfridi exprobraverit in Commentariis de Bibl. Vindob. Cauſam pro ſe allegat doctiſſimus Stadius, quod res majoris ſit impendii, quam fructus, quem inde Lector capiat, qui commode accentibus carere poſſit, ſi modo ſit in hiſce literis exercitatus; & nec ipſum ſat felicem fuiſſe Lambecium monet in evolvendo genuino ſenſu in ſupplementis a ſe exhibitis & expoſitis, quamvis ante oculos accentus habuerit, quos ſæpius incongrue & minus recte adſcripſerit. Autoris vero inſtitutum hoc jam ante ſuo exemplo probarunt præter Flacium Junius, Loccenius, Caſtricomius, Schilterus & fere omnes, qui aliquid ex Otfridi Fragmentis ſuis operibus inſeruerunt, & tamen accentuum nullam habuerunt rationem. Et cum accentus tanti faciat Lambecius, id tamen non advertit, formam eorum non omnibus eandem eſſe, ſed ad tonum ſyllabarum vel acui vel circumflecti diverſis figuris additis. Quæ quidem quamvis ſine jactura poſſint negligi, Cl. Autor tamen in edendo toto Otfridiano corpore Evangeliorum apponere non repugnabit, ſi quis ſumtus in hanc rem facturus ſit; quo ſane initurum non levem apud Lectorem non adeo exercitatum gratiam credimus. Præterea a Lambecio & aliis in eo quoque abitum eſt, quod non eundem rhythmum ſed duos uni ſemper lineæ incluſerint, ut ita integrum tetraſtichum duabus lineis abſolvatur, quarum prior ab onomaſtica Ludovici Regis litera incipit, & poſterior eadem finitur, quod data opera feciſſe Poetam non eſt dubium, quoniam peculiare in eo poſuit artificium, quod negligi aut contemni ab editoribus non debuerit; ex quo elucet poeſeos ejus temporis ratio. Otfridianis laciniis alia tandem nonnulla antiquitatis Francicæ monimenta adjecta ſunt ab Autore,

eo animo, ut cum primis religionis Chriſtianæ fundamentis a Frehero, Boxhornio &aliis publicatis conferri poſſint, iisque jungi. Sunt vero, quæ in hiſce præmetiis, ut vocat, Lectoris judicio exponuntur: I *Otfridi præfatio ad Ludovicum Regem*, cujus partem Lambecius deſcripſit: II ejusdem *Otfridi dedicatio ad Salomonem Epiſcopum Conſtantienſem:* III *ejusdem præfatio libri tertii Evangeliorum*: IV *Symbolum Apoſtolicum ex codice MSto Bibliothecæ Vindobonenſis, continente paraphraſin Pſalmorum proſaicam, lingua antiqua Francica*, hactenus, quantum conſtat, ineditum: V *Oratio Dominica cum Otfridi, Wizamburgenſis Monachi, antiqua Theotiſca paraphraſi*, producta a Lambecio. VI *Abrenunciatio diabolo operumq; ejus, & brevis profeſſio fidei, veteri lingva Theotiſca, cum indiculo ſuperſtitionum & paganiarum, a quibus populum Epiſcoporum ſolicitudine revocandum ſynodus Liptinenſis ſtatuit, Parte I Can. 5, quo vix ullum antiquitatis Germanicæ monimentum vetuſtius extat, annos enim ſuperat DCCCCL, ut dicto concilio Liptinenſi anni DCCXLIII ſubjunguntur*; (indiculum quidem ſuperſtitionum omiſit Autor, cum feliciter illæ ignorentur, quamvis ad hiſtoricam ejus temporis morum inter novos Chriſtianos cognitionem faciant; eſt vero ipſa Renunciatio exſcripta ad exemplar Romæ editum a Luca Holſtenio:) VII *Verba inſtitutionis & promiſſionis baptiſmi ex Otfridi Evangel. L. V C. XVI*: VIII *Verba inſtitutionis Sacræ Cœnæ ex ejusdem Evangel. L. IV C. X:* IX *Formula ſacræ confeſſionis priſca, Germanica lingua, extans in pervetuſto codice MSto, qui a Pontifice Hadriano I Carolo M. ad petitionem ipſius dono miſſus eſt*, qua adeo confeſſione, mutatis mutandis, ipſum Carolum M. uſum eſſe minime dubitat Lambecius; huic in fine mutilæ Autor apponit clauſulam ex confeſſione veteri, quam Flacius ſuæ editioni Evangeliorum Otfridi præmiſit, & Goldaſtus Rerum Alem. L. II p. 135 inſeruit: X comparet *Exhortatio ad plebem Chriſtianam*, quam Hottingerus Hiſt. Eccleſ. N. T. inſeruit, & minimum ad ætatem Friderici II retulit, cui contradicit Autor noſter, qui eam ad ætatem Bonifacii, Germanorum Apoſtoli dicti, rejicit: XI *Pſalmus XLII ex Otfridi paraphraſi Pſalmorum Theotiſca proſaica in Bibliotheca Vindob. extante:* XII agmen antiquorum monimentorum claudunt

Rhy-

Digitized by Google

Rhythmi de nativitate Chriſti, quos Jo. Conr. Dietericus Antiquitat. Bibl. V. T. p. 21 producit ex Autoris inediti ludo ſcenico, ex bibliotheca Conr. Bachmanni poetæ, digni ipſi viſi, qui legantur, ex quibus patet veterum quosdam duxiſſe, Virgilium ſine Chriſto fuiſſe Chriſtianum & Ecloga quarta Chriſto genethliacum non ſolum poetice, ſed & prophetice ſcripſiſſe. Ex adnotationibus ad hæc monimenta antiquitatis Germanicæ linguæ nunc decerpere quædam inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut tutius de Autoris diligentia judicium ferre Lectori liceat. In præfatione ad Ludovicum Regem tetraſticho 30 occurrit vox *frono*, ad quam notat Stadius ſanitatem ſignificare & juſtitiam quæ Deo convenit placetque, unde *fron*, *fronisg* ſanctus: radix vocis eſt *fro* Dominus, unde & apud Ulphilam *frauja*, vel, ſecundum veram pronunciationem, *froja* dominari, & hinc derivatur etiam Germanicum *frau*, quatenus dominam notat, cum diverſæ ſit originis, quando uxoris notio eſt: *fronaltar*, altare Domini, & *fronleichnam*, corpus Domini, ab eadem quoque radice ſunt. Tetraſt. 38 eſt *Lokomo* per ſynaloephen pro *Lokoimo*, medere ipſi, a *Leik*, *lek* medicus, & *leikinon* mederi, cujus verbi occaſione adducit locum ex Otfrid. L. V c. XX §. 38: *Ir eigut oub thuruh Got. Siuchi in mir gilochot*, & ad verbum *eigut* obſervat in gratiam ejus, qui Grammaticam Francicam forte conſcripturus eſſet, quod præterita apud Francos non ſolum per verbum auxiliare *haben* habere formentur, ſed etiam per *eigan*, quod eandem vim habet. Quod quoniam non obſervaſſe doctiſſimum Hickeſium in Grammatica Franco Theotiſca Autor vidit, ab inſtituto ſuo non deſiſtit Iſagogen Grammaticam Franco-Theotiſcam Otfrido ſuo addere, ut ejus carmina eo rectius legi & intelligi queant, quod laudatiſſimum propoſitum ut propediem perficiat, optamus. In præfatione ad Salomonem Epiſcopum legitur: *Ni thaz mino dohti*, ubi *dohti* vertitur per idoneitatem, & derivatur a *dugan*, prodeſſe, utile eſſe. Et tetraſt. 8 *Iz datun gomaheiti*, i. e. hoc faciebat humanitas, origo vocis poſtremæ eſt *gomo* vel *gomman*, vir, homo. In Præfatione ad Librum III Evangeliorum tetraſt. 8 *Horngibruader heile*, *horngibruader* eſt leproſus, & vox compoſita ex *horond* cutis & *brut* diviſio. In ſymbolo Apoſtolico obſervat Autor ad

Digitized by Google

dere heiligen gimeinskame literam k, quæ poſtremæ voci hic inſerta, & alias abeſt, profectam eſſe a patrum ſanctimonia, ad vitandum ſcandulum, cum verbum *gemeinſamen*, ut ex Bibliis antiquiſſimis Germanicis typis exſcriptis patet, notet impuris libidinibus commiſceri & pollui, quem ſenſum evitare addita litera conati ſunt. In Oratione Dominica Otfridi occurrunt *Luzbzbila* vel *Luzbila*, quod parvum eſt, uti *michila* magnum: *huehe* ludibrium valet, vel illuſionem, unde forte öven adhuc uſitatum. In abrenunciatione Diaboli, quæ annos IↃcccc L ſuperat, exſtant *Vuoden end Saxnote* ubi *Vuoden* eſt Wodanus & Saxnote Saxonum Odinus, nota idola. In formula priſcæ Confeſſionis, *in huare* interpretatur Lambecius *in huren:* ſed obſervat Noſter, *huaron* olim non fuiſſe ſcortari ſimpliciter, ſed præcipue adulterium committere, unde etiam *in adulteriis* vertit. In eadem vox apparet *giloſeda* a *giloſan*, audire, & *loſan* quod Otfrido familiare eſt, & auſcultare ſignificat, & ab ea trahitur Germanorum *lauſchen.* Iterum in illa confeſſione: *gab noh flezzi noh betdi*, ubi *flezzi*, quod idem cum Tatiani interpretis *blezza*, i. e. quod nunc ajunt *ein ſtück tuchs leinen oder wöllen*, & radix vocis eſt Danicum *flecke*, findere, quod Suecis *flää*, deglubere, Islandis *flaka*, diſcindere. Inter Germanos etiam nunc *flöck* pannus & *ein flatſchen* uſitatæ voces. Plura ſunt, quæ merebantur adverti; ſed revocat nos brevitatis ſtudium, unde nihil ulterius addimus, quam ut doctiſſimo Autori quævis exoptemus ſubſidia, ut integrum Otfridi Evangeliorum codicem edat, cui in verſionis Latinæ locum adjungere conſtituit Gloſſarium Francicum, quod maximi uſus fore nulli dubitamus.

CHOREGRAPHIE, OU L' ART D'ECRIRE la Dance par caracteres, figures & ſignes demonſtratifs, &c.

hoc eſt:

CHOREGRAPHIA, SEU ARS SALTATIONES per characteres, figuras & ſigna demonſtrativa exprimendi

pri-


primendi, quorum ope omnis generis ſaltationes ſine Magiſtro ſibi quis familiares reddere valet; Autore Dn. FEUILLET.

Pariſiis, apud Autorem & Michaelem Brunet, 1701, fol. Conſtat plag. 14½.

QUanquam dudum lucem publicam adſpexerit opus ingenioſiſſimum, tanto majore tamen jure a nobis recenſeri meretur, quanto minus hactenus eruditis innotuerit, quorum attentionem quin mereatur dubitandum non eſt. Per characteres Autor exprimere docet, quicquid ad ſaltationis quodlibet genus adæquate concipiendum requiritur: id quod cum egregie præſtet, artem characteriſticam multum illuſtraſſe cenſendus. Eſt autem Ars characteriſtica Artis ratiocinandi pars minime infima, quæ notiones rerum, conſequenter res ipſas, de quibus nos ratiocinari contingit, per characteres commodos exprimere docet, hactenus quidem parum exculta, ſed digna quæ præ aliis eruditionis partibus excolatur. Profecto enim ubi Ars characteriſtica abſoluta fuerit, omnis veritatum inventio ſeu ex notionibus primis deductio in artificium characteres juxta certas leges tam ſignis quam notionibus ipſis conformes combinandi reſolvetur. Illa igitur hanc planam, facilem atque certam reddit & a prolixis ſæpiusque tantum non intolerabilibus intellectus meditationibus nos liberat. Enimvero artem aliquam per characteres explicaturus, primo omnium loco adæquatam objecti ſui notionem formet opus eſt: quod qua ratione præſtetur, ex iis colligere licebit, quæ de notionum differentiis in Actis A. 1684 p. 537 & 538 tradidit illuſtris *Leibnitius*. Hinc ſingulorum, quæ notionem ingrediuntur, eligendi ſunt characteres commodi. Cenſentur autem commodi, qui & memoriæ facile infiguntur, & ſcribendi difficultatem haud faceſſunt, & rerum, quas denotant, relationes ad alios eandem notionem ingredientes una exprimunt. Et, ſi quæ notiones ex aliis ſimplicioribus componuntur, ſigna etiam earundem ex ſignis ſimpliciorum componi debent. Has leges ſtrictiſſime obſervatas ab Autore animadvertimus. Artem enim ſaltandi adæquate concipiens ſingula ſollicite diſtinguit, quæ ſaltantibus obſervanda ſunt, & per ſigna commoda repræſentat. Theatrum e. gr. in quo ſaltatur, per parallelogrammum rectangulum

Digitized by Google

gulum (1) A B C D indicat, cum hæc ordinaria ipſius figura exiſtat. Et quoniam paginæ libri eandem figuram habent, latera ejus commode illius parallelogrammi termini finguntur, ut delineatione toties per librum repetenda opus non ſit. Jam cum ſaltantis facies nunc huic nunc alii Theatri lateri obvertatur; peculiaribus ſignis relationem ad Theatri ſignum involventibus faciei ad illud ſitum exprimit. Corpus ſcilicet per ſemicirculum, diametro utrinque producta ac lateri chartæ, latus Theatri, cui facies obverſa, repræſentanti, parallela, deſignat. (2) Similiter lineas diſtinguit, per quas ſaltator incedit. Sunt enim vel rectæ (3), vel diametrales (4), vel circulares (5), vel obliquæ (6). Circellus cum lineola talum, plantam & digitos pedis refert (7) & combinatio hujus characteris cum ſecundo pedum legitimas numero quinque collocationes prodit (8). Similia ſigna pro reliquis conſtituit, quæ ullo modo notionem ſaltationis ingrediuntur aut ad eam referuntur, ita ut ne minimum quidem omittatur. Theoriam ad praxin feliciſſime applicavit in tribus peculiaribus ſaltationum collectionibus, quæ partim A. 1700, partim 1704 in 4 æri inciſa prodierunt. Utut enim & titulus editionem Choregraphiæ ad annum 1701 referat, ex fine tamen libri apparet, quod jam A. 1700 lucem publicam adſpexerit.



ODES

ODES DE MR. DE LA MOTTE.

i. e.

ODÆ, CUM DISSERTATIONE DE POESI, ſpeciatim Lyrica, Autore DE LA MOTTE.

Pariſiis, apud Gregorium Du Puis, 1709, 12.

Alph. 1.

AUtor Cl. qui hodie in Lyrico carmine plurimum apud Gallos excellit, alteram nunc Odarum editionem (primam Amſtel. 1707 excuſam vidimus) duplo ferme auctiorem nobis dedit. Ut vero de ipſis Odis, quæ maximam partem moderni Galliarum Regis laudes amoresque Aulæ Gallicanæ continent, nihil dicamus, aliqua ſaltim nunc e præmiſſa Diſſertatione delibabimus. Aliam nimirum Autor a communi viam Poeſeos commendandæ ingreditur, quam ſolam putat mediam, & vituperatores ejus & laudatores ab illa deflexiſſe judicans, illos quidem, dum vitia, hos, dum virtutes per carmina excitatas arti huic tribuunt. Utrumque hoc a Poeta pendere exiſtimat: Poeſin rhythmi, fictionis & figurarum jucunditate abſolvi. Nec unquam Poetas vel Epicos, vel Tragicos, vel Comicos, alium quam placendi ſcopum per imitationem ſibi habuiſſe propoſitum, quicquid alii de diverſa diverſis modis inſtruendi intentione dicant. Imaginandi vim, quæ ut aliis alia placeret, fecerit, diverſas Poeſeos ſpecies produxiſſe, ut vitæ agreſtis jucunditatem Paſtoralia, & ſic porro. Hinc munito quaſi itinere ad Odas pergit, quarum quidem argumentum peculiare Deorum laudes eſſe vel Heroum negat, omnem materiam Odis aptam affirmans, exemploque demonſtrans Horatii. Nihil eas habere ſingulare niſi numerum certum adque rhythmum pro linguarum varietate varium. Hoc vero illis commune cum Epico carmine dicit, quod audacior eſſe poſſit Poeta, utpote loquens ipſe, cum, quando alios inducat, ex hominum conſuetudine ſit ſcribendum. Enthuſiaſmum, quem vocant, Poeticum in Odis uti per univerſam Poeſin regnare, cujus ſcilicet ope caleat imaginatrix Poetæ vis, qua tamen, cavendum ipſi, ne abripiatur, cum ebrietatem velut quandam inducat animo, plurimiſque immergat tenebris lectorem. Quod ſi illo recte utaris, jun-

ſublimes fieri odas, nec ſemper ſervari, qui Grammatico nexu jungatur, ordinem, licet res ipſæ cohæreant ſemper & ad argumentum ſuum ſe referant. Hinc neque opus eſſe, ut Odarum exordia ſint nimis ſimplicia, quod in Epico utpote juſto prolixiorique poemate requiratur. Sublimitatem vero, quam exemplis hucusque illuſtratam potius, quam juſta definitione expoſitam putat, abſolvi, ſi veritatem (ſive res ita facta ſit, ſive verum imiteris) & novitatem eleganter & breviter ita unias, ut animum noſtrum plane percellant. Per novitatem, quod forte quis ſcire deſideret, vel rem plane novam, vel novum dicendi deſcribendique modum intelligit. His quædam ſubjungit de Anacreonte, Pindaro & Horatio, quorum prior totus voluptati, alter totus virtuti deditus, uterque pro eo, in quod ferebatur, ſcribebat, Horatius autem utrumque cum arte, qua primus inter Romanos pollebat, conjungit. Denique de Ronſardo pauca & Malherba Gallis, de ſuis etiam Odis monet, in quibus cum & Anacreontem imitetur & Pindarum, Horatiumque traducat, id ſe indicat obſervaſſe, ut ſingulis ſtrophis ſuus abſolvatur ſenſus, quod ne Flaccum quidem feciſſe oſtendit. Illud hic non addere non poſſumus, ſi eam, quam Autor, Poeſeos rationem judices, multos jam evaneſcere, qui adhuc dum judicati ſunt, Poetarum defectus, nec taxandum amplius Homerum, quod parum virtutis plerique Heroes ipſius habeant, cum imitari ſolum, non ad decorum inſtituere voluerit.

EBERHARDI RUDOLPHI ROTHII, GYMNASII Ulm. Rect. Log. & Hiſtor. Prof. Publ. Hiſtoria Univerſalis Pragmatica, I Civilis, II Eccleſiaſtica, III Litteraria ab Orbe condito usq; ad annum præſentem MDCCVI.

Ulmæ, impenſis Georgii Vilhelmi Kühnii, 1706, 8.
Alph 2 plag. 19.

ELegantiſſimum hic Hiſtoriæ univerſalis Compendium exhibemus, ſumma diligentia erotematica quidem methodo conſcriptum. In eo illuſtriorum Imperiorum incrementa, & everſiones, Imperatorum res geſtæ, bella, eorumque cauſæ, (quare pragmaticam hiſtoriam vocat Autor) tum inventa, urbium origines, prodigia, oſtenta, Eccleſiæ Doctores, dogmata, ceremoniæ, hæreſes, concilia, perſecutiones, itemque Scholarum, artium, linguarum fata, viri pariter & fœminæ eruditæ, Bibliothecæ aliaque ſecundum ordinem Seculorum apte & concinne recenſentur.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. V.

ALBI TIBULLI, EQUITIS ROM. QUÆ extant, ad fidem veterum membranarum ſedulo caſtigata; accedunt Notæ cum variarum Lectionum libello, & terni Indices.

Amſtelædami, ex officina Wetſteniana, 1708, 4. Alph. 3.

TAndem exhibemus, quod dudum optavimus, Albii Tibulli quæ extant, ſolicita cura ſtudioque acri notis ubertimis atque accuratiſſimis Viri in his literis atque univerſa elegantiori literatura verſatiſſimi Jani Brouckhuſii, dum viveret, expolita. Cujus cum ſpem feciſſet in ſuis *Propertianis*, quæ his Actis A. 1702 p. 296 retulimus, Davidis Hoogſtratani, aliorumq; Virorum doctiſſimorum & Poeticæ facundiæ gloria florentiſſimorum, quotidianis hortatibus admonitus datam tandem fidem liberavit, ſuſceptumq; laborem feliciſſime perfecit. Nam cum nihil omitteret eorum, quæ ad ornandum Tibullum pertinerent, tres libros manu exaratos conſuluit, quos ipſe poſſidebat, nec non varias Lectiones e Codicibus Romanis a Juſto Lipſio collectas & manu Jani Douzæ patris ad marginem editionis Plantinianæ adſcriptas, tum principem editionem Venetiis procuratam A. 1475, & variantis ſcripturæ excerpta, præcipue ab Achille Statio & Jano Gebhardo prodita, binosq; Codices ultro a Joh. de Witt oblatos, Heinſiana item omnia, & Recognitiones Antonii Perreji, Colbertini Codicis variantes Lectiones, excerpta ab Antonio Cle-

Digitized by Google

mentio collecta ex editione, quæ Regii Lepidi prodiit A. 1481, itemque ex editione Brixienſi A. 1486. ad cujus oras docta manus diverſas lectiones e codice MS. excerptas adleverat, varias deniq; lectiones e codice Guilielmi Laudi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, deſcriptas, nec non variantes in Tibullo Lectiones e libris ſcriptis excerptas & Oxonio a Johanne Ulrico Meurero transmiſſas adhibuit. Præterea nihil omittit, quod ad illuſtrandum hunc Poetam pertineat. Quare operæ pretium fuerit nonnulla a Broukhuſio pulcre obſervata hoc loco decerpere. Ipſius nominis Albii & gentis Albiæ antiquitates p. 1 curioſe rimatur, & genuinum Autoris ſui prænomen *Aulum* fuiſſe, in libro autem illo unico, unde ceteri in Italia traduces prodierint, literam ſingularem A. quæ id notarit, aut vetuſtate exeſam, aut a librariis harum rerum incurioſis tanquam haut neceſſariam neglectam fuiſſe exiſtimat, aut literam A. prænomen Auli ſignantem ab inſequente comparis naturæ elemento abſorptam eſſe, vel potius in unum e duobus eodem errore, quo ex *A. Gellius Agellius*, e *T. Ampius Tampius*, e *S. Vettius Svettius* apud Ciceronem, e *Pennius P. Ennius* apud Feſtum, e *C. Ælius Cælius* apud Macrobium factus ſit, coaluiſſe divinando conjicit. Quæ porro de rebus, deque vita Poetæ noſtri, imprimis autem de anno, quo natus ſit, e Petro Crinito & Lilio Gyraldo perhibeantur, pleraque incerta vel aperte falſa eſſe monet, & ſaniora e Jani Douzæ diſſertatione, qua veram elegiæ Romanæ ætatem conſtabilivit, docet, & tum ipſo opere v. g. p. 335 n. 17 & p. 368 n. 121 iſta firmat, tum ipſam Douzæ diſſertationem ſub finem commentationum harum excudendam curavit. Vitam quoque Poetæ, quam e ſcriptis libris primus ſibi protuliſſe viſus, ſed falſo, fuerat Joſ. Scaliger, in quatuor MSS. ab ſe inventam & Scaligeriana hic illic accuratiorem p. 2 brevibus exhibet. At ipſum Autoris ſui contextum, quantum fieri humana opera poteſt, emendatiſſimum emaculatiſſimumque exhibet, conjecturis admodum parcis nec niſi certiſſimis & quæ ſe facile vel moroſiſſimis Timonibus probent, indulget. Sic p. 32 n. 3 *perfuſum* tempora Bacchum pro eo quod plerique libri *percuſſum* habent, ponit, & tum Codicum quorundam autoritate, tum rationibus roborat, p. 33 n. 6 pro

janua

Digitized by Google

janua *firma* reponit *fulta*, p. 355 n. 32, ubi judicio ductus pro majus decus ipſe *futurus* legit majus decus ipſe *futuris*, aliorumq; ineptias maſcule rejicit, p. 43 n. 44 unicum Codicem ſecutus, pro *fluminis* rapidi ſubſtituit *fulminis*, & contra omnes reliquos Codices probat. Certe quidem probationis ingenioſo ac ſolidiſſimo genere etiam adverſus aliorum Interpretum lectionem & interpretationem utitur, quod e ſexcentis vel ea, quæ p. 10 n. 18 de *Deo agricola* i. e. Vertumno contra Barthium & Pricæum, p. 16 n. 37 de *tecto ſtramineo* contra Nic. Heinſium dicuntur, Lectorem benevolum docebunt. Quod eo usque proprium ſibi ſervat elegantiſſimus Brouckhuſius, ut ſæpe occaſione lectionis Autoris ſui detectæ plurium Autorum aliorum corrupta loca, v. g. *Nemeſiani* p. 15 n. 61 in fine, *Pompeji Feſti* p. 361 n. 64 in fine, aliisque pluribus erudite reſtituat, reſtitutaque ſelectiſſimis obſervationibus phyſicis, politicis, antiquariis illuſtret, qualia ſunt, quæ p. 18 n. 42 *de ſomno e fluvii vel pluviæ cadentis ſtrepitu conciliando*, *de nocturnarum vigiliarum diſtributione* p. 19 n. 46 & p. 27 n. 77 de lectione *juncta præcordia* perhibentur. Adeo ſæpe Brouckhuſius in tenui grammaticoque negotio meditationes haud vulgaris ſapientiæ v. g. *de antiquorum frugalitate, moderatione ac fortitudine* p. 20. n. 47, *de deſcenſu telluris in aera* p. 354 n. 19, *aerisque a terris aſcenſu* p 354 n. 21, *de eo, quod ſapientiæ meditatio ſui ſtudioſis præſtet*, p. 31 n. 91 interponit, caſtiſſimæque Philoſophiæ ac vitæ duriſſimæ exempla v. g. *de vita ruſticæ innocentia* proponit, præcepta v. g. *de mentis in utraque fortuna æquabilitate* p. 31 n. 19 inculcat. In eo fere totus eſt, ut Autorem ſuum explicet, ejus Φράσιν ac ſtyli rationem declaret, & explicationem ſuam ex ipſius Autoris quamplurimis locis declaratam ac firmatam adverſus alios, v. g. p 19 n. 47, ſed ſingulari tamen modeſtia, raraque inter Criticos humanitate, quod patet e p. 370 n. 134, tueatur. Huc pertinet cumulatiſſima Φράσεως aliorum Autorum cum Tibulliana comparatio, cujus e frequentiſſimis exemplis guſtum ſis capias e nota 4 p. 4, ubi *lucentem agricolarum focum*, p. 10 n. 17, ubi *novum annum*, p. 11. n. 19, ubi *ſpiceam coronam*, p. 22 n. 55 & 57, ubi *vincula amantium* & *laudationes militum* deſcribit. Huc referenda inprimis illa loca, ubi vocum

Digitized by Google

ſignificationem Tibullianam e ſolertiſſima ſynonymorum Tibullianorum, Ovidianorum ac Propertianorum collatione declarat, ut vel ex inſpectione unicæ notæ 77 p. 27 luculenter patebit. His denique & illa accenſenda, in quibus ſignificationem dictionis vel phraſis alicujus ſingularem exponit. Ita enim, quid Tibullo ſit *deſcendere lecto*, p. 36 n. 19, quid *ſeculum*, quid *ætas*, p. 357 n. 50, quæ ſit emphaſis vocis *incultus*, p. 359 n. 59, quid *inceptus liquor*, p. 374 n. 155, *uterq; orbis*, p. 375 n. 176, quæ vocis *largita* paſſiva p. 369, 129 vocis *properare* activa ſit ſignificatio, plurimis & Tibulli & aliorum optimorum Autorum dictis docet. Quod quidem dum agit, aliorum frequenter Commentatorum errores notat, & *Scaligeri* primam Elegiam tempore poſtremam edicentis, & 6 verſus Elegiæ primæ inde a v. 67 hypothetice explicantis p. 25 n. 67, ſententiam. *Barthii* judicium aurium p. 14 n. 18, & lectionem p. 358 n. 57, alibiq; ſæpiſſime, *Caroli Sigonii* ignorantiam p. 37 n. 21, *Pontani* ſiniſtram liberalitatem p. 39 n. 24, *Douzæ* falſam alluſionem p. 42 n. 41, *Papinii* aliorumq; confuſionem Icarii & Icari p. 351 n. 10, infelicem interpretandi conatum *Achillis*, *Turnebi*, *Cilleni* p. 355 n. 30, *Alciati*, *Boccatii*, *Jul. Cæſaris Capuccii* aliorumq; circa formam Sirenibus adſignandam errores p. 361 n. 69, *Paſſeratii* judicium de Ulyſſis erroribus p. 364 n. 79, *Lambini* interpretationem p. 376 n. 176 & p. 380 n. 205, *Scaligeri*, *Dacerii* multorumque aliorum maledicentiam in Tibullum p. 377 n. 182, *Servii* propero pro neutro habentis, p. 381 col a, & *Varronis* campum a capiendo derivantis, p. 381 n. 207, opinionem ſub accuratam cenſuram vocat, atque ſingulari animi moderatione ita caſtigat, ut tamen alibi tum his ipſis tum aliis Eruditis laudem, quam meruere, plena manu tribuat, & ſana ac juſta de ipſis judicia interponat. Sic *Jovianum Pontanum* virum perfectiſſimum p. 4 n. 3, ac præclarum ſcriptorem p. 6 n. 5 circa finem, *Stephanum Vinandum Pighium* virum inter primos Belgarum eruditos p. 5 n. 5, *Catullum* delicatiſſimum Romanæ Veneris pullum p. 9 n. 17, *Grotium* ſummum Batavici nominis decus p. 18 n. 40, *Heinſium* feliciſſimum Poetarum Latinorum ſoſpitatorem p. 18 n. 42, *Franciſcum Marium Molſam* recentem Poetam nitidiſſimum p. 21 n. 47 in fine, *Joannem Livinejum* hominem non

jacente

jacente aure p. 21 n. 51, *Angelum Politianum* virum ſupra ſeculum ſuum eruditum p. 24 n. 57, *Wallium* Poetam omnium Jeſuitarum longe cultiſſimum p. 26 n. 74, *Jacobum Sannazarium* eximium & inter primos reponendum p. 26 n. 74, *Jo. Franc. Saracenum* elegantiſſimi inter Gallos & oris & ingenii Scriptorem, ejusque aureum de amore dialogum p. 29 n. 85, *Horatium* beatisſimum lyræ Latinæ moderatorem p. 29 n. 88, *Macrobium* Æſopicam corniculam ex aliorum pannis ſuos contexentem centones p. 33 n. 3, *Petrum Corn. Hoofd* virum, quo nil quicquam perfectius ex urbe Amſtelodamenſi unquam prodierit, p. 37 n. 20, *Jani Caſperii Gevartii* lectiones Papinianas opus elegantioris doctrinæ pleniſſimum p. 48 n. 47, illuſtriſſimum *Spanheimium* virum ſine exemplo eruditum, cujus nec virtutes nec ingeniũ capere poteſt iners hujus ſeculi livor, paſſim, & *Paſſeratium* amœni hominem & elegantis ingenii p. 358 n. 51 appellat, & cujuslibet merita ac vitia ingenuo candore prodit. Plurimas alias ſelectiſſimas obſervationes ad Grammaticam & antiquitatem Græcam ac Latinam pertinentes ſatura lance offerunt hi commentarii. Ad Grammaticam omnino referenda ea, quæ proprie a Tibullo dicta Brouckhuſius commemorat, quorumq; obſervatio indoli linguæ percipiendæ plurimum prodeſt: quare ex ingenti numero aliqua ſaltem hic excerpemus. Sic *paupertas* proprie fortunam mediocrem, cui nihil deeſt, p. 3 n. 3, *deſtituere* iſtorum actum, qui non exſolvunt promiſſa, atque etiam malo mactant, quos induxerunt, p. 6 col. a in fine, *fruges*, quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertitur, p. 6 n. 5, *floridum* quo ſenſu ad homines transferatur, cum *floreum*, quicquid e floribus fiat, ſignificet, p. 9 n. 16, *ponere* certam ac ſtabilem ſedem aſſignare p. 12 n. 21, *felix ager* copioſum, divitem, opulentum pauperique oppoſitum p. 12 n. 23, *detinere* longius ſolito tenere p. 17 n. 40, *cupidus* appetentem rei alienæ, non ut rem illam quoquo modo partam conſervet, ſed ut ſuis inde libidinibus morem gerat, perdat, profundat, p. 30 n. 90, *verberare* omnem impetum vehementem ad varias res allatum p. 34. n. 7, *perfundere* majus quid ac diffundere (infundere autem barbare dici) p. 32 n. 3, *præmia* idem quod præda in re bellica p. 39 n. 26, *graſſari* corpora ferro vulnerare p. 40

 n. 22,

Digitized by Google

n. 22, *elicere* magicæ arti proprium actum p. 41 n. 45, *ſtridere* ac *ſtridorem edere* ſagarum ac umbrarum vocem, proprio abominandæ artis ſenſu, *ſolvere* magicis artibus amore liberare p. 51 *devoti ac defixi* eos, quibus alieno ſcelere periiſſet maſcula virtus (quod Gallis dicitur *nouer l'eguillette*) p. 111 n. 5, *tradere* ſacrorum actum p. 206 n. 2, *dona ferre* ſacrificiorum oblationem p. 351 n. 8, *munera* ſolemni more ſacrificia, ibidem, *diverſi* in contrarias partes abeuntes p. 356 n. 45, *mos* naturam rei & affectionem p. 363 n. 73, *erumpere* elegantiſſimo caſtæ antiquitatis uſu active fontium ortum p. 365 n. 86, *ſtruere* actum ſacrum ſacrificiorum in ara diſponendorum p. 370 n. 134, *radere* aquarum ad ripas decurſum, uti & *ſtringere*, *mordere*, *lambere*, p. 372 n. 142, *ſeges* terram ſatam partus maturos ſuo tempore edentem p. 375 n. 172, *nitere* rem lautam aut excultas opes p. 378 n. 183, *ſubſiſtere* parem eſſe alicui rei ſuſtinendæ p. 379 n. 195, *pecus*, antiquis non ſolum armentum bucerum, ſed omne animal præter hominem, p. 382 n. 208, *texere* cum compoſitis contexere, detexere, intexere, pertexere, retexere, elegantiſſima tralatione Muſarum eruditos labores notare, (ut ſexcenta alia taceamus,) Brouckhuſio noſtro perhibentur, aliaque multa adjiciuntur, quæ ut fruſtra in Lexicis requiras, ita ad Latinæ linguæ genium atque Etymologiam Grammaticam declarandam ingens momentum habent. In orthographia etiam Latina quædam v. g. de ſcriptione *quoi* pro cui p. 204 n. 64, *Hiſtrus* pro *Iſtrus* p. 373 n. 146, (ubi Caſſiodori lib. de orthographia c. 9 obſervationem ſequendam ducit: I vel V ſequente S, poſt quam erit P vel T cum aſpiratione proferuntur, ut Hiſpania, Hiſpo, hiſpidus, hiſtoria, hiſtrio, hiſter &c.) & p. 360 n. 64, ubi pro ridicula quorundam ſcriptione vocis *Cimmeriῶν* in Tibullo Libr. IV carm. 1 v. 64, & *chalybῶν* apud Catullum carm. 63 v. 48 Cymmeriorum & chalybum reponit. In Proſodia literam *M* crebro *per ſe ante vocalem ſtare* neque abſorberi p. 103 n. 33 & 360 n. 64, *gerundia in O temere* a nonnullis *corrigi*, fruſtraque ad Naſonem provocari, p. 340 n. 3, verſuum autem Tibullianorum rationem ex ipſo Tibullo cenſendam ac metiendam, p. 31 n. 92 contra Gebhardum ſtatuit, atque idiotiſmos

quos-

quosdam ſui Poetæ v. g. quod particulam *que* cum verbis jungere amet p. 21 n. 51, alios alibi notat.

Ad antiquitates Græcas illuſtrandas illa faciunt, quod p. 43 n. 43 *chomgium miraculorum Theſſalorum*, quibus pleni veterum Scriptorum libri ſunt, ſingulari opera declarat; proverbium, cui *Antiphatæ* inhumani hominis feritas originem dedit, p. 359 n. 59 explicans Autorem ejus indicat; *Jovis currum* propter alas, quas ipſi Poetæ tribuunt, non propter quadrigas, quod volebat Paſſeratius, *levem* Tibullo Lib. IV carm. 1 v. 130 dici evincit; *Homerum Meletis amnis filium* antiquitati creditum, adducto in eam rem Amaſtrianorum numo, in cujus una facie Homerus diadematus ac bene barbatus, in altera fluvius Meles urnæ innixus cum lyra ſupra genu dextrum erecta, p. 380 n. 200 oſtendit; & in *Geographia Græca Pyli ac Ithaces* deſcriptionem p. 356 n. 48 contra Servii errorem munit, ac *Cimmeriorum* urbis *ſedem*, quam errabundus Ulyſſes attigit, & de qua tantæ inter Homeri Interpretes controverſiæ ſunt, clarius deſcribit. Quorſum & veterum Græcorum conſuetudinem *aliis, ſi quando ipſis male eſſent precati, ſatisfaciendi, qua illis præſentibus optabant in caput ſuum ut recideret, quicquid mali in ipſos dixiſſent:* ac hodie *Samparum Perſicorum ſeſe devovendi ritum*, quem p. 35 n. 12 commemorat, referre licebit.

In Latinis antiquitatibus declarandis longe etiam uberior eſt Brouckhuſius, e quibus, ne copia ipſa Lectorem obruat, paucula hæc notaſſe ſufficiet. *Bella* quidem *ab Auguſto Meſſala opera geſta* p. 367 n. 107, *Romanorum paupertatem* in ſacris etiam ſuis declaratam, deinceps vero, creſcentibus publice ac privatim divitiis, in immenſam luxuriam degenerantem, ita tamen ut in ſacris antiquæ frugalitatis memoria & veneratio remaneret, p. 15 n. 30, *morem Romanum de hoſtium exuviis oſtentandis*, ex ultima antiquitate deductum p. 21, n. 54, *caſtrenſium laudationum ſolemnia* p. 23 n. 57, *aciei bipartitæ agminisque quadrati rationem* p. 366 n. 103, *manium evocandorum*, contra quam apud Græcos fiebat, *ritus deteſtationem Romanorum* p. 44 n. 45, *Bacchi formam* & imaginem, inque ea depingenda pueriles artificum noſtrorum errores, p. 239 n. 35, *expiandi ritum* & purgamentorum

torum ad flumen deferendorum apud Græcos & Romanos conſuetudinem, *natamq; inde ſtultam apud Chriſtianos quoſdam opinionem*, qua calamitates imminentis anni averti ac derivari luſtratione fluviali ac deinceps omnia lætiora ſuccedere credebant, p. 391 n. 8, *auri uſum* in Romanorum ſacrificiis p. 353 n. 15, *anni aperiundi*, inito primum honore conſulari *ceremonias*, p. 368 n. 121 &c. &c. elegantiſſime deſcribit, & plurimos Antiquitatibus Romanis illuſtrandis maximopere idoneos Autores adducit. Rei etiam hiſtoriæque literariæ ornandæ haut paucas ubique obſervationes inſpergit, librorum editorum edendorumve memoriam injicit, & accurata de iis judicia interponit. Ita *Hieronymum Amaltheum* nitidiſſimum Poetam, & plus veræ gloriæ uno perpuſillo carminum libello, quam multis ac magnis multi anſerum nepotes, meritum dicit, & ob eam cauſam præclari hujus viri monimenta pauculis abhinc annis novo ab ſe cultu recentata p. 53 n. 63 commemorat, *T. Valgium Rufum*, tantum Poetam, ut de illo præclariſſime & magnificentiſſime Tibullus L. IV c. 1 v. 179 ſq. ſenſerit, multa ſcripſiſſe, quæ omnia interierint; illum autem cum *Valgio Saturnino Rufo* conſulari, id quod a multis magni nominis Scriptoribus factum ſit, non confundendum eſſe, p. 376 n. 180 monet. *Hoogſtratani* felici induſtriæ brevi nos *Fragmenta veterum Poetarum*, Jani Douzæ & aliorum Virorum doctorum egregiis obſervationibus examuſſim illuſtrata debituros, p. 381 n. 205 ſpondet. Occaſione diſtichi in Elegiam II. lib. I poſt verſum 24 intruſi, *Joannis Auriſpæ*, a quo illud intruſum dicitur, vitam & ſcripta, quorum alibi raro deſcriptionem invenias, recenſet, illumque maximis laudibus ab Antonio Panormita, in *Hermaphrodito, libello nunquam edito nec unquam edendo*, efferri, a *Franciſco Philelpho* autem, viro ſuæ ætatis doctiſſimo, vix pro ſemidocto homine haberi, aliquanto tamen mitius a *Lilio Gyraldo* tractari commemorat, & plura paſſim non ad Eruditorum modo hiſtoriam, ſed & quascunque artes & diſciplinas illuſtrandas pertinentia inſpergit, quorum vel cujuslibet pagellæ conſpectus ac perluſtratio luculenta exempla ſuppeditabit, quæ nec capere omnia hæc recenſio, nec prætermittere tamen penitus poteſt; quare hæc paucula ſufficiant.

Quo-

Quomodo ſcil. *Achillis umbram caſtis precibus & ſacrificiis ſine ſangvine elicuerit Apollonius*, docet *p*.46 n.45, qua doctiſſima nota univerſum illum *umbras eliciendi ritum* ex omnibus fere, qui ipſum attigerunt, Autoribus pulcherrime illuſtrat: inque aliis antecedentibus & conſequentibus totam omnino veterum doctrinam de magicis incantamentis declarat. Speciatim in magia omnique medicina *deſpuendi uſum* p. 50 n. 54 oſtendit. *Originem miraculorum Lapponicorum*, quæ tam ſitienter apud plebem imperitam audiuntur, inde *a fabuloſa Æoli* hiſtoria p.359 n.58 deducit. *Ligna aris impoſita ultro arſiſſe*, illudque prodigium Seleuco ſacrificanti Regnum portendiſſe, e Pauſania p.370 n.134 commemorat. *Præſagientis animi virtutem*, qua is quaſi vaticinio illum Meſſalæ triumphum auguratus ſit, quem ille quarto anno poſt de ſubactis Aquitanis egerit, *in Tibullo* p.370 n.137 laudat. *Perſarum Reges e ſolo amne Choaſpe omni tempore locoque bibiſſe* p.371 n.140 obſervat. *Sævum homines ægrotos ac ſenes comedendi Padæorum ritum* p.373 n. 144 ex Herodoto notat. *De equorum ſtudio ac diſciplina equeſtri* p.382 n.207, & denique *de Siamenſium Indorum Pythagorico de anima tranſitione philoſophandi more* p.381 n.207 erudite agit.

Quod ad *Librum quartum* Tibullianorum carminum attinet, complectitur is *Panegyricum ad Meſſalam*, & parvula quædam, ſed non inelegantia *Poematia*: qui totus liber utrum Autorem habeat Tibullum, ambigi poſſe arbitratur. Panegyricum quidem, quanquam ſit Latinus, tamen jejuna ſua macritudine immenſum quantum abhorrere ab illo cultu & nitore Albiano, cum Mureto aliisque Eruditis cenſet, Daceriique judicium, qui Tibulli inimitandam in Elegiis ſuavitatem quum admiretur, ſimul & ſummam in Epico carmine majeſtatem] Animadv. ad Horat. Lib. 1 Epiſt. IV laudet, merito requirit; ipſumque, quem ſuæ hujus ſententiæ fundum habere ſe dicat, Domitii Marſi mentem parum percepiſſe oſtendit, cum poſtremus ejus Epigrammatis verſiculus ad Virgilium, hautquaquam ad Tibullum referri debeat. Cum tamen in hoc carmine multa reſtituerit *Joſephus Scaliger*, quædam & aliorum hominum induſtria in melius mutarit, Brouckhuſius illorum veſtigia premens, id quod ſuarum eſt

 par-

partium, ſtrenue agit, & quanquam, quæ eſt Viri ſingularis modeſtia, nihil hic præclarum polliceri audeat, re tamen ipſa multas elegantiſſimas obſervationes exhibet. Quæ Panegyricum excipiunt exigua Poematia, ea non eſſe Tibulli, vel ipſam dictionem arguere; Autorem tamen Tibulli ſtudioſum fuiſſe, neque infeliciter ejus veſtigia preſſiſſe, fatetur. Arguta quidem illa & candida & venuſta atque etiam hic illic ipſis Tibullianis alacriora, multumque Naſoniani & genii & leporis habere agnoſcit, Sulpiciæque propterea illi, quæ ſub Domitiano floruit, Caleni uxori, quippe quæ Martiali, Sidonio Apollinari, ac Juvenalis Scholiaſta teſtibus amores ſcripſerit, tribuenda eſſe, cum imitationes minime occultæ ætatem Auguſtea inferiorem facile prodant, exiſtimat. Interim quæ & ad iſtorum illuſtrationem pertinent, ingenuo ſtudio manuque prorſus liberali adfert, nihilque omnino prætermittit, quod ad Autorem hunc ornandum expoliendumque requiri a quoquam poſſit. Huc enim cartæ mundiſſima puritas, ſplendidus typi nitor, & pulcherrima iconum ac numorum variorum elegantia ſuo referri merito debent. *Spei* quidem *publicæ ac ruſticæ* p. 5, *Numinum ruralium* p. 13, *Prætorii Ceſtiani denarii* p. 56, *Siſtri Ægyptiaci* p. 59, *Idææ currus* p. 91, *Fortunæ* p. 119, *Cereris ac Pacis* p. 205, *Bacchi* p 207, 239 & 340. *Somni* 226, *Satyri ac fiſtularum & tibiarum ejus* 256, *Copiæ* cum cornu ſuo p. 281. *Apollinis comati* p. 318, *denarii Petronii Turpiliani ac Sirenis* p 362, *Homeri* denique *imagines* nitidiſſimæ p. 380 exhibentur. Variarum lectionum libellus eo conſilio ad calcem notarum eſt adjectus, ne tanta variantis ſcripturæ farrago notis immiſta faſtidium delicatioribus hominibus adferret, & haberent tamen illi, qui in hoc Scriptore vel exponendo vel emendando operam porro aliquam ponere ingeniumque experiri ſuum vellent, neceſſariam ſupellectilem. His accedunt ob ſuam præſtantiam *Nicolai Heinſii Notæ* in Tibullum & quædam ex ejusdem Adverſariis. *Jani Douſæ* Nordovicis *Schediaſma ſuccidaneum* ad declarandam & contra communem Chronologorum errorem vindicandam Tibulli ætatem, qua is inter omnes Elegiarum Scriptores, ſi Gallum excipias, antiquiſſimus perhibetur, adjectum eſt. Triplici tandem

dem pulcherrimus hic labor *Indice* finitur, quorum primus omnes & ſingulas Tibulli voces, ſecundus Autores, qui in notis ad Tibullum laudantur, illuſtrantur, corriguntur, notantur, tertius denique res & verba, quæ in notis ad Tibullum explicantur, complectitur.

DELLA PERFETTA POESIA ITAliana, &c.

i. e.

POESIS ITALICA UNIVERSA EXPLICAta & demonſtrata una cum variis obſervationibus; Autore LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Ducis Mutinæ Bibliothecario.

Tomi duo.

Mutinæ, e typographia Bartholomæi Soliani, 1706, 4, ch. aug. Alph. 6.

DOctiſſimus Muratorius præmiſſa Poeſeos laude, de multitudine eorum, qui Poeſeos præcepta obtrudunt, & excellentium Poetarum defectu conqueritur, novumque arti accendi poſſe lumen aſſerit. Hinc originem poeſeos vulgaris Italicæ (rhythmicam appellant) indagaturus, eruditos, poſt mutatum jam tum Latinum in vulgare Italicum idioma, ad ſeculum tamen duodecimum uſque Latinos verſus compoſuiſſe, poſtea vero Poetas P. 8, 9.
Siculos, in gratiam ſexus ſequioris, Latini idiomatis ignari, carmina amatoria Italica compoſuiſſe, Petrarchæ imprimis teſtimonio probat. Quamvis itaque Siculis inventionis laudem non deneget, iis tamen mox ſeculo XIII reliquos Italos, qui elegantiori ſermone utebantur, palmam præripuiſſe docet. Adductis porro ſeculi XIV, XV & XVI Poetis vitia eorum notat, & imprimis in Marino ejusque æmulis argutiarum exceſſum, quo plerique Itali laborabant, reprehendit. Artem porro poeticam duplici modo conſiderat, partim in ſe & quatenus eſt ars, quæ delectat, partim 29.
quatenus Politicæ & Philoſophiæ Morali inſervit, eoque prodeſt. Sic enim poemate Heroico duces ad gloriam excitari, Tragoe-

Digitized by Google

p. 44. diis Principum ſuperbiam frænari, Comœdiis mores populi caſtigari exiſtimat, adeoq; Poetam, qui rerum naturam imitari, h. e. delectare non didicit, contra primum, & qui minus prodeſt, contra ſecundum finem peccare, optime judicat. Ut vero doceat, quid in poeſi placeat, quidve diſpliceat, boni & mali guſtus (*Guſto*) vocabulo utitur, bonumque in fœcundum & ſterilem diſtinguit. Fœcundum appellat eorum guſtum, qui non modo de aliorum poematibus recte judicant, ſed etiam ſecundum artis regulas ipſi verſus componunt. Sterili vero guſtu eos eſſe præditos dicit, qui tantum de aliorum carminibus cenſent, nulla ipſi pangunt. Utrum de bono guſtu præcepta tradi queant, multis hactenus dubium viſum eſt; Noſter vero rurſus inter guſtum ſenſitivum & intellectualem diſtinguit, & hunc quidem utique regulas admittere affirmat, illum negat. Atque intellectualis quidem, quem vocat, guſtus pariter ipſi duplex eſt, univerſalis alter, alter particularis. Univerſalis eſt, qui pariculares omnes complectitur; particularis vero, qui in ſingulis hominibus reperitur, quorum hic ex. gr. Homerum & Virgilium, ille Lucanum & Ovidium &c. laudat. Cum vero pauciſſimi guſtu illo univerſali ſint præditi, hinc diverſa ut plurimum de iisdem poematibus judicia oriri cenſet. Tranſit poſtea ad τὸ καλὸν ſeu pulchrum poeticum
75. (*Bello Poetico*) quod in novitate mirabili & delectabili conſiſtere exiſtimat, Ariſtotelem ſecutus, qui L. I cap. II Rhetor. καὶ τὸ μανθάνειν καὶ τὸ θαυμάζειν ἡδὺ appellat: quare Poetæ duo obſervanda cenſet, primum ut res novas, peregrinas & admirabiles inveniat; deinde ut res notas, quæ neque peregrinæ, neque admirabiles ſunt, veſtitu novo, mirabili & peregrino ita exornet, ut mens Lectoris voluptate quadam afficiatur. Hoc verſu
78. Maggii Dei immenſitatem deſcribentis illuſtrat:

Dell' ampio mondo in ogni parte e Dio
E ne ſon cinti, e pieni i noſtri cuori.

Quamvis enim homines Dei omnipræſentiam agnoſcant, non ſemper tamen advertunt, quod corda noſtra circumdet quaſi & impleat; ſed eum potius ſupremum cœlum inhabitare, ex eoque in terram proſpicere ſibi perſuadent. Idem pulchrum Sanctus Apoſtolus in Arati verſu τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν animadvertit, &

oration

orationi ad Areopagitas habitæ, teſte Luca, inſeruit. Ceterum cum non omnes eo ingenio inſtructi ſint, ut novas res queant invenire, iis in id nitendum dicit, ut antiquas novo & jucundo habitu indutas producant. Imprimis vero actiones, caſus, perſonas, omnesque alias res, in ἀκμῇ ſua Lectorum oculis repræſentatas, pulchras & delectabiles fieri judicat; ſive enim res rariſſimas, pulcherrimas, maximas, ſive deformiſſimas, viliſſimas, maxime ridiculas deſcribat Poeta, utroque modo placere. Cum vero in his veriſimilitudo potiſſimum reſpicienda ſit, Autor Cl. de vero poetico, ſeu veroſimili agit, præcipitque, ut Poeta res poſſibiles fingat, nec imperiti pictoris inſtar delphinum ſylvis appingat, fluctibus aprum. Addit tamen, licere etiam Poetæ, cum riſum excitare cupit, ea fingere, quæ vero ſunt diſſimilia. De pulchro artificiali (*Bello dell Artifizio*) quod ex rei expreſſione, ſive repræſentatione elucet, acturus, vivam metaphoram, ingenioſam allegoriam, gratam figuram, verborum ordinem, deſcriptionis evidentiam, & his ſimilia commendat. Sic ſententiam illam: *flumina in principio paucas aquas trahere, deinde vero augeri & tandem litus perrumpere*, ornatius pronuntiare velis, dixeris forte: *flumina initiis verecunda, progreſſu immodico, ac legum omnium experte procedere.* Hoc non ſolum Franciſcum de Lemene, Arioſtum, Homerum aliosque, ſed & ſacros ſcriptores, Moſen, Prophetas, Jobum, Davidem, Salomonem obſervaſſe, prolixe oſtendit, & imprimis potentiæ divinæ deſcriptionem, quæ Pſalmo CIII occurrit, admiratur: *qui reſpicit terram, & facit eam tremere;* nulla enim meliori imagine majeſtatem divinam exprimi putat, quam ſi dicamus, quod Deus ſolo aſpectu terram tremore concutiat. Duplex autem phantaſiæ in Poeta officium eſſe, Noſter docet, primum, ut argumentum, quod ſelegit, vividiſſimis coloribus depingat, eoque quæ vulgo in vita communi uſu veniunt, diligenter animadvertat; alterum, ut res veras verbis tropicis, imaginibus in ſenſu directo falſis, ſed vivis exprimat, ut, ſi dicendum ſit: *Heroem aliquem ſemper vincere*, dicas: *victoriam ſemper Herois veſtigia ſequi.* His fuſius diductis, progreditur ad furorem poeticum, quem non pro aliquo enthuſiaſmo, vel divina inſpiratione, quod cum veteribus Plato quondam voluit; ſed tantum

p. 93. 137. 189. 218.

pro ſingulari phantaſiæ agitatione, qua mens extraordinaria & mirabilia concipit, venditat. Etenim ſi phantaſiam conſideres, quatenus cum corpore commercium habet, deberi aliquid cibo & potui, imprimis vino, tum & febres alioſque morbos & imprimis melancholiam vim in eam exſerere; quoad autem cum anima conſpirat, dolore, amore, ira eandem quoque agitari, exiſtimat. Et quamvis vinum imprimis Poetis nonnulli commendent, quos inter Martialis:

Poſſum nil ego ſobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim poetæ;

alias tamen phantaſiam excitandi rationes Noſter adducit aptio-
p. 220. res, quales ſunt affectus, quos commotiones mentis vocant. Suadet itaque, ut vel res ſublimes, vel viliſſimas, vel ridiculas, vel terribiles &c. verbo illas omnes, quæ argumentum noſtrum ex-
230. primunt, phantaſiæ exacte proponamus, eamque commoveamus. Sic enim furorem poeticum arte acquiſiviſſe Virgilium, Horatium alioſque exiſtimat. Phantaſiam ſequitur intellectus, qui il-
232. lam regere, & vagantem reducere debet, ne, uti in melancholia, ebrietate, phrenitide fieri ſolet, turpiter excedat. Ceterum raptum poeticum nihil aliud eſſe cenſet, quam laudabilem phantaſiæ exceſſum, qualem in illo Horatii obſervat, nominis ſui æternitatem ſibi augurantis:

Non uſitata nec tenui ferar
Penna: biformis per liquidum æthera
Vates: neque in terris morabor
Longius, invidiaque major
Urbes relinquam &c.

In Libro ſecundo agit de his, quæ ad ingenium & judicium ſpectant. Hic ubi de metaphoris loquitur, Emanuelem Theſaurum adducit, qui prolixe hoc argumentum perſecutus ſit; advertit tamen, nequaquam probandas omnes ejus metaphoras, v. g. quod ſanguinis guttæ Chriſto in horto excuſſæ fuerint globi, imo mundi, ſub quorum onere divinus Atlas gemuerit, quod apes ſint alatæ Amazones, buccinæ volantes, viva ſagittarum pharetra, quod philomela ſit organum ſine tubis, &c. Docet præterea, quomodo imagines formandæ ſint, & reprehendit eos, qui ſimilia nimis

Digitized by Google

nimis extendunt, uti in illo Lemenii juventutem cum floribus comparantis: *Ite, volate* p. 366.

A quel labbro, à quel ſeno, Api ingegnoſe;
Per fabbricar dolcezze, ite, ſvenate
Di quel ſen, di quel labbro e Gigli, e Roſe.

De affectationis vitio ubi agit, cum Seneca declamatorem ridet, qui Alexandro tranſitum maris diſuaſurus, *frendit Oceanus*, ait, *quaſi indignetur, quod terras relinquas.* Diviſo deinde ingenio in muſicum, amatorium, & philoſophicum, media ſuggerit ingenium firmantia, conſulitque, ut cum autores, qui præcepta tradunt, Ariſtotelem, Ciceronem, Quintilianum, Dionyſium Halicarnaſſeum, 477. Longinum, Hermogenem, tum Poetas ipſos, quales ſunt Homerus, Pindarus, Sophocles, Euripides, Anacreon, Theocritus, Virgilius & reliqui, legamus. Porro de ſtyli oratorii & poetici diſcrimine acturus, hunc in maturum & floridum diſtinguit & utrumq; ſuos ſemper admiratores habuiſſe oſtendit. Qua occaſione de Andrea Navagero narrat, quod ſtylo Catulli illectus, in die natali ſuo, quem cum amicis celebrabat, omnes Martialis libros combusſerit, *ſe Muſis ſacrificium oblaturum* dicens. Ad vitia ſtyli refert omnia anxie conquiſita ornamenta, antitheta, metaphoras oppoſitas, æquivoca, paranomaſias, alluſiones & ſimilia; & reprehendit Theſaurum, qui antitheta a Perſio doctam figuram appellata fuisſe crediderit, cum potius Satyricus luſus illos riſerit, ubi ſcribit:

Fures, ait Pedio. Pedius quid? Crimina raſis 553.
Librat in Antithetis. Doctas poſuiſſe figuras
Laudatur. Bellum hoc, hoc bellum &c.

Deniq; ſub finem hujus libri optat, ut Poetæ excellentiores fontes 575. poematum ſuorum indicent, & quomodo in cogitationes illas, devenerint, & phantaſiam excitaverint. & qua via phantaſia & intellectus in tractatione argumenti inceſſerint, demonſtret.

In tertio Libro tum de contemtu & defectibus poeſeos, tum de ipſa lingua Italica diſſerit. Contemtus originem e cholerico vel melancholico temperamento, quæ etiam optimos Poetas nonnunquam ad pejora incitant, deducit. Unde Itali vulgo: *Un poeta irritato e una gran beſtia*, & Maggius alicubi in poemati- 13, 14. bus ſuis: *Par-*

Digitized by Google

Parmi, che udiſſi dire inſin da gli Avoli,
Che Nobili, Fantaſtici, e Poeti
Trattate colle bruſche ſon Diavoli.

Cui accedit, quod multi Poetæ res minus probandas laudent, &
p. 23. amoris deliria decantent, eoque Reipublicæ perniciem inferant.
Accuſat deinde Poetarum ignorantiam, partim eorum, qui averſis
Muſis nati, dotibusque ingenii & phantaſiæ minus inſtructi, ad car-
men accedunt, partim eorum, qui a natura quidem ſatis inſtructi
ſtudium omne negligunt, partim deniq; illorum, qui tempori in-
ſervientes e.g. dramata muſica, apud Italos hodie frequentisſima,
vel invita Minerva componere ſtudent. Qua occaſione notat,
quod circa finem ſeculi decimi ſexti dramata in theatris a Muſi-
33. cis decantari primum cœperint, primumque eorum autorem
nequaquam Octavium Rinuccinum, ut Bailletus Janum Ni-
cium Erythræum ſecutus tradit, ſed potius Horatium Vecchium,
Mutinenſem, fuiſſe, an. 1605 mortuum, ex ipſa inſcriptione ſepul-
chrali, quæ Mutinæ in monaſterio Carmelitarum exſtat, confir-
mat. Horum deinde dramatum (*Opera* vocant) defectus de-
tegens, muſicam, qua decantantur, taxat, quæ noſtris temporibus
effœminata, & impudicis modis fracta, auditoribus laſcivum
quid & molle inſpiret, multorum vitiorum incitamentum.
Nec ipſi placent Comici, qui hoc tantum agunt, ut riſum excitent,
malos vero mores & conſuetudines non tam corrigunt, quam
69. verbis & geſtibus ſpectatoribus inſinuant. Quo nomine Moleri-
um Reipublicæ & Eccleſiæ maxime noxium accuſat, e cujus ſchola
homines multis fraudibus, machinis, artibus, amorum imprimis,
inſtructi redeant, ſuamque ſententiam Bailleti teſtimonio com-
probat, qui in *Jud. Erud.* Tomo IV ejus imprimis Comœdiam *le
Tartuffe* omnium pernicioſiſſimam vocat. In Lyricis quoque
deſiderat, quod tantum luſus & amores ſibi tractandos
ſumant; Dei vero & virtutis amorem plane incultum negli-
96. gant. Ceterum ipſam Italicam linguam, cujus accurata peritia
Poetæ Italo maxime neceſſaria, in vulgarem & grammaticam, atq;
illam iterum, Dantis judicio, in tredecim diverſos loquendi modos
diſpeſcit. Grammaticam vero eam appellat, quæ vera & excel-
lentior ab optimis ſcriptoribus in diverſis Italiæ provinciis rece-

pta

Digitized by Google

pta eſt. Et quamvis Florentinis eam laudem non eripiat, quod præ reliquis vulgaribus, quam proxime ad veram illam accedant, p. 107.
eos tamen opus adhuc habere cenſet, ut, ſi puræ orationis laudem conſequi velint, ſubinde perpurgentur; Dictionarium vero ab Academicis (*della Crusca*) Florentinis collectum merito deprædicat. Ut deniq; Italicæ linguæ gravitatem contra obtrectatorem Gallum tueatur, diminutiva, quibus hæc lingua abundat, non in re ſeria verum joci cauſa adhiberi probat. Nec Gallicæ linguæ, eo quod naturalem in locandis vocabulis ordinem obſervat, palmam concedendam, ſed Italicam, vocum transpoſitione Græcam & Latinam imitantem, ad harum quoque laudem accedere contendit. Quarto demum Libro optimorum Poetarum Italorum, Petrarchæ, Dantis, Taſſi, Guarini, Marini, Bentivoglii, Teſti, tum Coppettæ, Paſtorini, Urſi, Conſtantii, Sacci, Bedorii, Nozzolini, Aquilæ, Manfredi, Vaccarii, Martelli, Gigli, Cini, ſelectiſſima quædam poemata Cl. Autor collegit, & quæ hic illic præcipue admiratione digna, additis notis accurate animadvertit, ut vel hoc ſolo nomine opus hoc Poeſeos ſtudioſis non poſſit non eſſe commendatiſſimum. Sic, ne hic quoque ſpecimen, quamvis exiguum, deſit, Noſter ob nativam pulcritudinem puritatemque car- 292.
minis & clauſulam, quæ ipſo ſono rem videtur repræſentare, commendat hos Franciſci de Lemene verſiculos:

Di ſe ſteſſa invaghita, e del ſuo bello
Si ſpecchiava la Roſa
In un limpido e rapido Ruſcello.
Quando d' ogni ſua foglia
Un Aura impetuoſa
La bella Roſa ſpoglia.
Caſcar nel Rio le foglie; il Rio fuggendo
Se le porta correndo:
E coſi la Beltà
Rapidiſſimamente, oh Dio, ſen va.

MONASTERII SANCTÆ MARIÆ ET Sanctorum Johannis & Pauli de Caſæmario brevis Hiſtoria, ſtudio & opera PHILIPPI RONDININI, Faventini, digeſta & illuſtrata.

Romæ, excudebat Franciſcus Gonzaga, 1707, 4.
Alph. 1 plag. 1 & Tab. æn. 4.

QUo ſe enixius commendet clariſſimus Rondininus Aulæ Romanæ, dirigit jam, poſt Pontificem Maximum cui primum, & Cardinalem Paulutium, cui ſecundum tractatum inſcripſerat, (de quibus v. Acta A. 1709 p 377 & Suppl. T. IV Sect. 3 p. 140) tertii ſui tractatus dedicationem ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Præſulem, Hannibalem Albanum, Clementis XI Fratris Filium virtutesque hujus Pontificis iterum extollit ea occaſione, qua A. 1690 tunc temporis Cardinalis Johannes Franciſcus Albanus ab Alexandro VIII monaſterii Caſæmarii Commendatarius ſuffectus fuit, cui cœnobio adhuc præeſt. Congeſſit Autor in ordinem hujus monaſterii hiſtoriam ex variis monimentis editis, imprimis autem præſidio ipſi fuerunt duo codices MSS. alter antiquis literis in membrana exaratus, in quo quam plurima Pontificum, Imperatorum, Regumque diplomata & privilegia, aliaque pro iſto monaſterio exſcripta ſunt inſtrumenta, alter complectitur Acta viſitationis Abbatiæ, quam jubente Johanne Franciſco Albano t. t. Cardinali, hodie Pontifice Max. habuit A. 1691 Johannes Chriſtophorus Batellus, Pontificii cubiculi a Secretis, domeſticus Bibliothecarius, & Latinis epiſtolis ſcribendis præfectus.

Ex capitibus XIII, quibus conſcripta eſt præſens hiſtoria, ut paucula ſeligamus, inſigne hoc & antiquiſſimum Caſæmarii cœnobium in agro Verulano a civitate tribus paſſuum millibus ſitum eſt, & Caſæmarii nomine dictum fertur, quia in loco extructum eſt, ubi olim Caji Marii Arpinatis Romani Conſulis domum in delitiis ſtetiſſe nonnulli prodiderunt. Quem locum tempore Gentiliſmi Marti ſacrum, ejusque ſimulacrum, & prænobili templo religioſum fuiſſe, apud autores, qui de hoc monaſterio ſcripſerunt, legere licet. Exordium monaſterii ad A. 1036 Noſter cum Baronio refert, & ſeculo circiter elapſo Eu-

genii

Digitized by Google

genii III Pontificis opera Ciſtercienſe inſtitutum arripuiſſe, regulamque S. Bernardi Abbatis amplexum fuiſſe, opinio eſt. Inter Abbates Caſæmarii ex Ughello & aliis ſcriptoribus deſumtos eminet p. 14 Alachrinus ab Honorio II in Teutoniam miſſus, qui S. Dominico Ordinis Prædicatorum fundatori ex intima familiaritate inter alia teſtatus ſcribitur, ſe nunquam a Deo in hac vita aliquid petiiſſe, quod non juxta votum conſecutus fuerit, ſed eidem ſimul prohibuiſſe, ne hoc ſecretum, quamdiu Alachrinus victurus ſit, revelet. Caput IV integrum de cœnobio S. Dominici Sorani Caſæmarii monaſterio adjuncto, ejusque eccleſia agit, in cujus cœnobii ſitu Marci Tullii Ciceronis domum olim fuiſſe exſtructam, Rondininus cum Clavello lib. 6 de veteri Arpino animadvertit. Caput VII exhibet elenchum eccleſiarum, quæ huic monaſterio ſubditæ ſunt, & quidem XV ex Batelli actis adducuntur, quæ licet deſtructæ ſint ac collapſæ, pleræque tamen earum a Commendatario poſſidentur, ſervatæ autem hodie ſuperſunt novem. Longe magis excellunt Cap. VIII bona & jura monaſterii, ita ut Commendatarius quotannis ultra 3500 aureos accipiat, nam poſt longam ſeriem domorum, prædiolorum, vinearum, olivetorum etiam in Diœceſi Agrigentina ad hocce monaſterium ſpectat dominium directum oppidi *Pritii*, quod 7000 incolis circiter habitatur, & ſatis pingui ac fertili territorio fruitur. Pag. 107 compertum ſe habere ait Rondininus, quod nemo hactenus exploraverit, nempe Nicolaum a Schomberg, Capuanum Archiepiſcopum, Theodorici Nobilis Miſnenſis filium, a Leone X Caſæmarii monaſterio Abbatem præfixum fuiſſe, cujus quidem nullam mentionem fecerit Eugenius Caracciolus in Neapoli ſacra. Refert de hoc Nicolao Schomberg, quod ab ineunte adoleſcentia Romam profectus A. 1490 Florentiæ in cœnobio S. Marci Prædicatorum ordini nomen dederit, literis autem optime eruditus priora ordinis munera obiverit, & in graviſſimis Romanæ eccleſiæ rebus cum laude adhibitus, deque illa admodum meritus a Leone X Pontifice Capuana infula decoratus fuerit: Deinde Clementi VII fidus comes & intimus Conſiliarius tum in proſperis tum in adverſis factus, ab illo ad Franciſcum I Galliæ Regem pro pace cum Carolo V Imper. ineunda Legatus conſtitu-

HISTOIRE DU CAS DE CONSCIENCE, &c.

i. e.

HISTORIA CASUS CONSCIENTIÆ, A XL Doctoribus Pariſ. ſoluti, Pontifice illam Deciſionem damnante.

Tomi II.

Nancii, apud Joſephum Nicolai, 1705, 12. ch. aug. Alph. 2 plag. 7.

NOn ſemel dictum nobis eſt de celebri Conſcientiæ caſu, quo Crypto-Janſeniani Galli, præſertim Pariſienſes, detecti creduntur; hujus Hiſtoriam pleniſſime nobis dedit Anonymus Autor, cujus librum nunc recenſemus. Ac in Præfatione quidem Tomi I rem illam velut ab ovo orditur, narrans inter alia, multos extitiſſe in Gallia, qui Formulam damnati Janſenii, a Pontificibus præſcriptam, non alio animo ſuſceperint ſuaque ſubſcriptione probaverint, quam ut ſuam erga Eccleſiæ Præſides reverentiam teſtarentur, Eccleſiam vero in quæſtionibus facti falli poſſe crederent, hosque velut medios inter hoſtes Janſenii ejusque defenſores A. Arnaldum aliosque fuiſſe. Tali animo fuiſſe hominem, de quo in dicto Caſu Conſcientiæ quæſitum fuerit, num ad Euchariſtiam admitti debeat? neque alio animo admiſſionem ejus ſuaſiſſe XL Doctores Pariſinos: horumque ſententiam Decreto Pontificis, A. 1694 promulgato, & Epiſcoporum Gallicorum ſancitis niti, juxta quæ nemini dogmata damnata improbanti, atque de cetero reverentiam Eccleſiæ exhibenti, Janſeniſmus imputari debeat.

Tomo I hujus libri ipſe Caſus Conſcientiæ ex gemina editione cum reſponſione XL Doctorum exſtat. Sequuntur ſchedæ, contra eundem, paulo poſt quam in publicum prodiit, editæ ab Anonymis, quales ſunt: *Attentatum contra Decretum Epiſcoporum Gall. Colloquium inter Doctorem Sorbonicum veteranum & novitium, Dialogus Sorboniſtæ & Ubiquiſtæ,* (quo nomine Pariſiis veniunt Doctores, nec ad Sorbonam, nec ad Navarram adſcripti,) *Colloquium Epiſcopi cum Natali Alexandro, Attenta-*

Digitized by Google

tum XL Doctorum. Hæc ſcripta excipit *Apologia XL Doctorum*, ipſaque ſucceſſuum hujus negotii Hiſtoria continuatur, ac cumprimis recantatio celeberrimi Nat. Alexandri recitatur, allatis etiam Viri literis, & deprecatione ad Pontificem ſcripta. Hinc narrat Autor, quo pacto maxima pars Doctorum palinodiam cecinerit, Dupinius vero, Petitpied & Gueſtonius duriter habiti & in exilium miſſi fuerint; affert Autor non ſolum horum Epiſtolas aliaque hujus momenti, verum & Pontificis Regisque Decreta contra Caſus Conſc. defenſores promulgata, una cum ſcripto, in quo Decreto Pontificis vitia contra jus divinum humanumque commiſſa imputantur. Adductæ ſunt Cenſuræ Cardinalis Noallii, Epiſcopi Aptenſis, Conſtantini, Claromontenſis, Pictavienſis, Archiepiſcopi Auſcitani, Epiſcopi Sarlatenſis & Venſienſis in Caſum Conſcientiæ vibratæ, cum reſponſionibus ad pleraſque, nec non judicium Facultatis Theol. Lovanienſis de hoc ipſo negotio.

Tomo II continentur ſcripta quædam pro Caſu Conſcientiæ vulgata, cumprimis prolixa Epiſtola Epiſcopi ad Epiſcopum. Sequuntur Cenſuræ Epiſcopi Camutenſis, Noviodunenſis, Cenomanenſis, Andegavenſis, Viennenſis, Maſſilienſis & Rupellenſis, Archiepiſcopi Arelatenſis & Mechlinienſis, nec non Epiſcopi Leodienſis atq; Facultatis Theologicæ Duacenſis contra Caſum Conſcientiæ, magnam partem cum notis contrariis: denique Archiepiſcopi Cameracenſis ſcripta quædam, in quibus conatur magno ſtudio evincere, quod damnatæ a Papa propoſitiones in Janſenii Auguſtino exſtent, & quod Pontificis deciſioni hujus controverſiæ ſine ulla exceptione fides divina debeatur.

Ut unum alterumque hujus operis ſpecimen habeatur, ſequentia enotare juvat. Autor Epiſtolæ Epiſcopi ad Epiſcopum comparat controverſiam de damnatis Origenis libris cũ Janſeniana, affirmatq; multis argumentis, licuiſſe ſemper in Eccleſia etiam contra Conciliorum & Epiſcoporũ condemnationes Origenem defendere, T. II. p. 204 ſeq. Ex veteri Eccleſiæ ſtylo oſtenditur, non leve diſcrimen fuiſſe inter cauſas ſpeciales, pure ſic dictas, & cauſas Conciliorum ſpeciales, p. 227. Exſtat inter alia T. II p. 332 ſeq. index librorum ab Archiepiſcopo Mechlinienſi recens damnatorum, inter quos ſunt,

ſunt, (ut Hiſtoriæ literariæ cauſa iſtud addamus) in cauſa Coddeana Petri Coddei Apologia Magna lingua Belgarum conſcripta, Jo. Palæoxiſti Apologia pro Clero Eccleſiæ Batavorum, in cauſa novæ Translationis Novi Teſtamenti, Capiſtrum ab Embricenſi Interprete Declamatori dono miſſum, Tonitru contra translationem iſtam murmurans repreſſum, in cauſa Janſeniana Apologia Epiſtolarum Provincialium Montaltii, Fides Theologorum Belgarum aſſerta contra M. Steyartum, Vincentii Palæophili Gratia triumphans de novis liberi arbitrii inflatoribus, Dilemmata Theologica Moliniſtis propoſita, Diſcordiæ Janſenianæ Enarrator, Via pacis, ſive ſtatus controverſiæ inter Theologos Lovanienſes, denique Tractatus Hiſtorico-Theologicus, quo examinatur, quid cenſendum ſit de indulgentia ab ipſo Chriſto S. Franciſco in Eccleſia vulgo de Portiuncula dicta, ut circumfertur, conceſſa, A. 1697 edita.

HISTOIRE DES DEMESLEZ &c.

i. e.

HISTORIA RERUM INTER GALLIÆ REgem Romanumque Pontificem in Corſorum militum cauſa actarum; Autore REGNERO *DESMARAIS.*

Anno 1707, in 4.

Alph. 2 plag. 11.

ARgumenta librorum edendorum non ſingula ſingulis temporibus apta, quorum varia conditione illa premuntur, hæc provehuntur ſummopere. Diverſi quid huic libro videtur accidiſſe, quem alieno tempore, quo Pontifex a Gallis non debebat offendi, prodiiſſe tamen in Gallia, quamvis loco haud indicato mireris. Neque vero poeniteat editum eſſe librum, qui juvet multum in re incerta, nec inter parum fidos ejusdem autores ſuſpendi fidem noſtram patiatur. Prolixe rem geſtam & cum omni ambitu exponit Mareſius, & cum negotiis ſe ipſum interfuiſſe ſingulaque manibus ſuis tractaſſe monimenta teſtetur, quid magis ad fidem hiſtoricam requiras? Exhibitis præſertim ſub libri calcem teſtimoniis authenticis longioribus, inſertis ipſi Tractatui brevioribus. Rem omnem,

omnem,ſicut geſta eſt,breviter ponemus ob oculos. Alexander VII Pontifex jam a Pacis Weſtphalicæ tempore, cui Innocentii X nomine interfuerat, male erga Gallos fuit affectus, quod odium augebatur, cum excludi eundem Galli ab electione in Pontificem cuperent. Mazarino tamen mortuo, Rex Galliæ conciliare ſibi Alexandrum capiens, Ducem Crequium legatum Romam deſtinabat. Qui cum accederet urbem, diceretur q; inſultandi potius cauſa venire, quam diſcordias componendi, neque adeo nimis eſſet acceptus, nihil non fiebat, quo mutua ſimultatum teſtimonia ederentur. Alimentum illæ non parvum ex intemperata Gallorum in ſecundis laſcivia capiebant, inſultantium ſcilicet militibus Pontificis quavis occaſione, ita ut Marius Chiſius, præfectus militaris rei, & Cardinalis Imperialis, præfectus Urbis, acceptas juberent tandem ulciſci injurias. Hinc factum, ut d. 20 Aug. A. 1662 Corſi irritati quosdam Gallos ad domum usque Legati perſequerentur, ejus familiam in ſe irruentem ſclopetorum ictibus propulſarent, ipſum Legatum per feneſtram peterent, uxorem curru domum redeuntem adorirentur, aditusque palatii Farneſiani omnes intercluderent. Legatus hoc poſtero ſtatim die Regi ſuo nuntiebat, nec a quoquam adduci poterat, ut per ſe rem tranſigi pateretur. Quin cum moras ex moris necterent Pontificii, & magis magisque infenſos ipſi ſe præberent, Roma penitus cum familia & Gallicarum partium Cardinalibus in Etruriæ fines concedebat. Cum ad Regem res perferretur, graviter ſic accepta injuria commovebatur, maxime cum compenſationem omnem Pontificii eluderent, qui & juſſerant facinus & impunitum volebant, dimiſſis illis, quorum inſignis præ aliis erat noxa. Nuntius itaque Pontificis aula primo, dein Regno quoque juſſus excedit, neque poſtea literas a Pontifice ullas Rex volebat accipere, omnia ſe Crequio commiſiſſe dicens. Hinc incipiebantur, rumpebantur, reſumebantur rurſus tractationes de conciliatione aliquoties cum abiiſſet etiam Crequius in patriam, neque tamen prius ſcindebantur moræ, quam, miſſis in ſpeciem belli a Rege Galliæ militibus, Piſæ convenirent de modo injuriam reſarciendi. Pollicebatur ſcilicet Pontifex, 1 ſe Cardinalem Chiſium Nuntii nomine miſſurum eſſe ad deprecandam apud Regem noxam, verbis de quibus inter Pontificis & Regis miniſtros convenerat; 2 Comaclenſis ca-

ſis caſtri loco, (quod reſtitui Mutinenſi Duci voluerat Rex) numerandam quidem certam pecuniæ ſummam, adeoque prætenſiones Pontificis & Ducis viciſſim abolendas. 3 Marium Chiſium ſcripto publice teſtaturum, ſibi cum commiſſo facinore nihil fuiſſe negotii, & exulaturum eundem tam diu Roma, donec a Rege veniam Cardinalis Chiſius impetraſſet. 4 Cardinalem Imperialem veniam Regis in Gallia coram petiturum. 5 Corſos ſe in perpetuum ſervitio Pontificis atque Eccleſiæ ineptos judicaturum, idque in loco facinoris commiſſi erecta Pyramide teſtaturum. 6 Crequium uxoremque ejus Romam redeuntes magnifice excipiendos. 7 Caſtrenſem ducatum & Roncilionis Comitatum Duci Parmenſi reſtituendum, numerata certa pecuniæ ſumma vel una vel pluribus vicibus, ita tamen ut octo annorum ſpatio ſors integra detur. Hoc tamen minime factum eſt, impedientibus Pontificiis A. 1667 & 1672, cum Dux Parmenſis aliquam pecuniæ conſtitutæ partem vellet numerare, ut adeo, quicquid etiam ille moverit, Petro tamen iſtæ regiones ſint vindicatæ. Pyramis in Corſorum infamiam erecta quidem ſub Alexandro III, ſed in Clementis IX gratiam Rege permittente rurſus diruta.

CHRISTIANI GRYPHII KURTZER ENTwurff der geiſt- und weltlichen Ritter-Orden.

h. e.

ORDINUM EQUESTRIUM TAM SACRORUM quam Secularium Compendiaria deſcriptio; Autore CHRISTIANO GRYPHIO.

Lipſiæ & Vratislaviæ, apud Chriſt. Bauchium, 1709, 8,
Conſtat 1 Alph. 8 plag.

CHriſtianus Gryphius, Rector olim, Profeſſor & Bibliothecarius Uratislavienſes Magdaleneus, νῦν ἐν ἁγίοις, quem Autorem præſens liber agnoſcit, illum jam anno ſeculi elapſi nonageſimo quarto, in gratiam Mæcenatis cujusdam Sileſii, compoſuit, & anno MDCXCVII Lipſiæ, ſine tamen nominis præfigendi mentione, prelo ſubjecit: quo facto in Tenzelii Col-

loquiis Menſtruis ſtatim recenſitus, & quid notari vel addi debeat, ſine ullo erga Autorem incognitum favore, candide monitum; a noſtris vero Collegis ejusdem recenſio neglecta fuit, ne crambem bis coctam Lectoribus curioſis apponeremus. Sicut autem in argumento præſertim hiſtorico poſteriores cogitationes ſemper meliores ſunt: ita beatus iſte Vir amicorum multorum monitis excitatus, novam ejus libri editionem moliri, & recentiorum Ordinum equeſtrium, quorum ſtatuta & regulas ex voluminibus publicæ luci nondum expoſitis neutiquam antea haurire vel addiſcere potuit, deſcriptiones per litteras undicunque nanciſci ſategit. Jamque in altera hac editione procuranda occupabatur, cum ecce d. 6 Martii anni MDCCVI inſperato apoplexiæ ictu e vivis diſceſſit, opusque adfectum Genero perficiendum reliquit, qui tamen ipſe brevi poſt ſocerum præmatura morte ad inferos ſecutus eſt. Unde ſpes omnis repetitæ impreſſionis decollaſſet, niſi Cl. Vir M. Chriſtianus Stieffius, ejusdem Gymnaſii Magdalenei Prorector, Gryphio, dum viveret, conjunctiſſimus, Præceptoris quondam ſui vices in ſe ſuccepiſſet. Certe huic variorum Ordinum, quos B. Gryphius in prima libri editione plane ſilentio præterierat, memorias non tantum ipſi contextui ſubinde inſertas debemus; ſed novam is inſuper Præfationem opuſculo præfixit, inque ea de Equitibus Hoſpitalariis S. Crucis cum rubea ſtella (quorum ſupremus Magiſter Pragæ, alter autem ab illo Vratislaviæ ad D. Matthiæ reſidet) de Equitibus Apocalypticis, de Ordine quodam Tabulæ Rotundæ apud Proceres Bituricenſes ſeculo XV florente, de Societatibus quibusdam ſtelliferis, de Ordine S. Marci Veneto, jure quaſi hæreditario in primogenitum familiæ Maurocenæ collato, de reſtitutis per Sereniſſimum Electorem Palatinum S. Huberti Equitibus, de Ordine Amoris Proximi ab Auguſtiſſima Eliſabetha Chriſtiana, Guelpherbytana Principe, brevi ante iter in Hiſpaniam deſtinatum confecto, aliisque Societatibus Equeſtribus non proletaria memoravit.

Libellus ipſe in duas ſectiones ſubdividitur, quarum prima *ſacros*, altera *ſeculares* Ordines continet. *Prior* paragraphis ſive ſegmentis XLVIII quinquaginta & quod excedit ſacrorum Equi-

Equitum genera deſcribit, ita quidem, ut & anni ac cauſæ hujus inſtitutionis oculis ſubjiciantur, & ſi quæ dubia movenda fuerint, ea ex probatiſſimis cujusque gentis ac ſeculi autoribus dilucidentur. *Altera* ſectio paragraphis LXXV ſeculares Ordines ita delineat, ut & Fœminarum ſocietates quædam equeſtres, & obvii inter barbaros Equites, & ridiculus aliquis podagrici Velleris Ordo, a Georgio Fleiſnero lepide excogitatus, compareat.

Ceterum opuſculum iſtud tum brevitate & concinna ſcriptionis methodo, tum obſervationibus ſelectiſſimis ſeſe commendat. Certe quæ de Equitibus Conſtantinianis, Melitenſibus, Templariis, Marianis, Remigianis, Calatranis, S. Jeſu Romanis, Angelicis Mantuanis inter *Sacros;* tum de ordine Tabulæ Rotundæ Anglicano, Enſis in Cypro Inſula, Cygni apud Clivenſes, Stultitiæ, ſeu Republica Babinenſi apud Polonos, Fraternitate S. Chriſtophori apud Carinthios, Spiritus S. apud Gallos, aliisque *ſecularibus* narrantur, haud ubivis obvia ſunt; ea vero, quæ de Ordine Equeſtri Immaculatæ virginis Mariæ apud Polonos, Calvariæ apud Principes Olsnenſes in Sileſia, Cervi Aurei apud Principes Ligio-Brigenſes in Sileſia, D. Andreæ apud Moſcos, Aquilæ Nigræ apud Boruſſos, Nobiliſſimæ Paſſionis apud Leucopetra - Querfurtanos, atque Aquilæ Candidæ apud Polonos proferuntur, fruſtra fortaſſe alibi quæſieris. Laudem quoque meretur illud doctiſſimi Autoris noſtri inſtitutum, quo ſingulis fere Ordinibus ſcriptores, ex quibus ſua hauſit, & cordata de illorum vel fide vel autoritate judicia inſeruit, atque adeo Lectorem harum rerum avidum ad fontes quaſi deduxit, quos evolvere, nec omnibus hujus argumenti compilatoribus ſtatim fidere tutiſſimum exiſtimavit. Quæ cum ita ſint, bene de re litteraria merebuntur hæredes Gryphiani, ſi alia Clariſſimi Polyhiſtoris Schediaſmata hiſtorica publico eruditi Orbis conſpectui non inviderint; & illis etiam, qui de uno vel altero equeſtri Ordine certiora noverint, ſuasque obſervationes vel additamenta ad Librarium dimittere voluerint, inſignes ab Editore, tertiam aliquando auctioremque editionem meditaturo, gratiæ habebuntur. Denique nuntiamus hac occaſione, Lipſiæ nunc ſub prelo eſſe Gryphii hujus Scriptores Hiſtoricos Seculi XVII, quos proxime in lucem prodituros ſperamus.

Digitized by Google

TRAITE DU SECRET DE LA CONFEſſion.

i. e.

TRACTATUS DE ARCANO CONFESſionis.

Pariſiis, apud Nicolaum Simart, 1708, 12.

Plag. 18.

DOctoris Sorbonici anonymi fœtus hic eſt, quem, ob corruptelas non exiguas, circa Exomologeſeos negotium ortas, neglectumque in Gallia paſſim Arcani exomologetici ſtudium, & quod nihil adeo de re iſta meditato ſcriptum ſit, ſe in lucem expoſuiſſe publicam ſcribit in Præfatione, monens nonnihil de Confeſſionis ſanctitate contra Proteſtantes, ut ait, deque veteris Eccleſiæ, cumprimis Leonis M. ſtudio ſancti circa Exomologeſin ſilentii. Quibus expoſitis, recitat Hiſtoriam Exomologetæ nuper a Monachis oppreſſi, qui fœminas, quotquot confeſſiones apud illum ediderant, ut de arcano ſollicitati in Confeſſione pudoris illum prope accuſarent, cum judicio Facultatis Theologicæ Pariſinæ, factum illud improbantis.

Poſtquam Autor Capitibus primis generatim de arcanis concreditis eorumque occultatione copioſe egiſſet, quarto Capite de Exomologeſi ſigillatim loquitur, ratus, eam ſine ſigillo, ſive Arcano Confeſſionis inutilem & caſſam futuram, monetque, in veteri Eccleſia, maxime Africana, diſciplinæ ſeverioris tenaciſſima, tantam hujus curam fuiſſe, ut nec crimina maxime enormia, non aliunde, quam ex confeſſione, nota punita fuerint. Hinc ipſum Arcanum confeſſionis, tanquam ſoli Deo per Miniſtrum concreditum, omnibus modis ſanctum eſſe monet, adeo ut nullum jus, nulla vis hominum ad illud revelandum adigere poſſit, ipſeque Miniſter Confeſſionem audiens data velut opera illud ignorare & ne ad ipſam quidem fraternam correptionem exercendam occaſionem inde petere debeat. Speciatim C. XIII, XIV, XV diſputat contra Ultramontanos, quos vocat, ſive Italos Theologos, qui ex Bulla Gregoriana denuntiationem criminum, quæ ex Confeſſione reſcivimus, poſcunt; ac primum conferre

Digitized by Google

conferre illorum argumenta cum contrariis videtur, conciliationem velut inſtituturus, paulo poſt vero, ubi emollitam eorum ſententiam examinaſſet, totus in adverſas partes tranſit, legem negantem de arcano Confeſſionis non detegendo affirmanti de denuntiando præferens. Inter alia p. 158 obſervat, Franciſcum Saleſium, inter ſanctos Romanenſes relatum, docuiſſe, quod confitens ſocium criminis Miniſtro Confeſſionis nominare non debeat, imo ne quidem alia ratione in notitiam aliorum perducere jure poſſit. Alio tamen modo tractandos putat facinoroſos in carcere detentos, quos Miniſter Confeſſionis ad crimina criminumque ſocios manifeſtandos in ipſa confeſſione impellere poſſit, Toleto conſentiente. Tum fœminarum maxime denuntiationes de ſollicitato a Miniſtro Confeſſionis pudore examinat, & omnem fere fidem illis detrahit. Optimam vero libri partem merito dixeris capita ultima, in quibus ſubtilioris prudentiæ conſilia & regulæ Miniſtro Confeſſionis ſuppeditantur, quibus imprimis erga fœminas uti debeat. Appoſuit Autor cenſuram ab Epiſcopo Atrebatenſi A. 1708 die 21 Januarii latam contra libellum de Arcano Confeſſionis, qua doctrina Diœceſeos Atrebatenſis contineri dicebatur, Arcano iſti valde adverſam, cujus errores p. 323 ſeq. recitantur.

JOHANNIS GODOFREDI GRUHLMANNI, Medicinæ Doctoris & Practici, Specimen Medicum de Novo contra Oculorum Caliginem Remedio, Herniaria ſcilicet ocularia.

Jenæ, ſumptibus Heinrici Chriſtophori Crœkeri, 1706, 4.
Plag. 3 cum figura ænea.

CUm Herniariam a nemine Autorum contra oculorum caliginem adhibitam, hanc vero medelam non rationibus tantum fundatam, ſed obſervationibus quoque comprobatam noverit Clariſſ. Gruhlmannus, eandem ſenibus æque ac juvenibus, viſionem lectione ſcriptorum ſubtiliore charactere impreſſorum diu noctuque debilitantibus, in hoc Specimine commendare ſuſtinuit. Quemadmodum autem oculorum caligo, illam viſus diminu-

minutionem, quæ citra manifeſtam oculorum alterationem accidit, denotans, ab influxu ſpirituum ad nervos opticos a materia viſcida obſtructos denegato ſæpe dependet; ita herniaria, quæ alias mucilaginoſæ in ventriculo & inteſtinis retentæ viſciditati, crudæque craſſitiei incidendæ admodum ab Autoribus commendari ſolet, egregiam præſtare operam, non ſolum auguratur Noſter, verum etiam ex adjectis obſervationibus propriam allegat experientiam. Hanc enim particulis terreis & acribus abundare, ſapor docet. Pulverem ſcilicet ejus pani butyro illito adſpergit, ac mane & veſperi propinat, vel extrahit ex ea cum ſpiritu vini per infuſionem & digeſtionem eſſentiam, ſingulis auroris in jusculo vel aqua ejusdem deſtillata exhibendam; quin imo pulverem ejus cum radice helenii, herba verberiæ, euphraſiæ, betonicæ, chelidonii majoris, majoranæ, rutæ, addito ſaccharo in formam trageæ non minori cum ſucceſſu redigit.

TABLEAU DE LA COUR DE ROME.

h. e.

CONSPECTUS AULÆ ROMANÆ, IN SEX Partes diviſus: Autore J. A. Domeſtico Innocentii XI. Pontific. Rom.

Hagæ Comitum, apud Carolum Delum, 1707, 12.

Conſtat 1 Alph.

ETſi conſpectus hic Aulæ Romanæ neutiquam primus exiſtat, Autor tamen doctiſſimus haud inutilem laborem poſuit, qui ſe conſignaſſe teſtatur ea, quæ alibi non facile ſunt obvia. Repræſentat vero Aulæ Papalis ortum ac præſentem ſtatum, detegit artes ac machinas ejusdem ſecretiſſimas, ut & media propoſitum conſequendi; oſtendit, qua ratione Epiſcopus Romanus tantam dignitatem majeſtatemque ſit conſecutus; faſtum quoque, pompam & magnificentiam Cleri Romani, divitiasque Status Eccleſiaſtici immenſas & modos easdem indies augendi exhibet; deſcribit vires, autoritatem, jura Pontificum eorumque fundamenta; docet, qualis ſit Romæ juſtitiæ adminiſtratio, qui numerus miniſtro-

ſtrorum, quæ ceremoniæ circa religionem & alia, quæ arcana Conclavis in qua novus Papa eligitur, qui ſtatus Sede Apoſtolica vacante, qui modus recipiendi Legatos Regios, mittendiq; Nuntios & Legatos ad Principes exteros, quæ dignitates, aliaque fere innumera ad Curiam Romanam pertinentia, ex quibus pauca quædam cum Lectore cupido communicabimus. Dum Autor de
vero Aulæ Romanæ charactere agit, omnes ibi dignitates & of- P. 9
ficia diſpenſari inter viros Papæ faventes obſervat, eundem ſibi conciliare amicos & clientes, inire fœdera & comparare opes, at-
que hinc Sixtum IV, Pont. Max. dixiſſe: *Quamdiu inſtructus eſſet* 18
manu atque calamo, nunquam ſibi defuturam pecuniam. Illum Cardinalem vocari *Papabilem*, qui eligi poteſt Papa; excludi autem illos ab hac ſorte, quibus eſt, ut Romæ loquuntur, *peccatum originale*, hoc eſt, qui nati ſunt ſubditi Regis alicujus aut Reip. cui cum aliis Statibus eſt contentio, vel qui ad Cardinalitiam dignita-
tem pervenere commendatione Regum Franciæ aut Hiſpaniæ ho- 42
rumque fautorum. Purpurati Patres, qui electioni novi Pontificis intereſſe cupiunt, hoc præſtare ſolent juramentum: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicaturus eſt, eligere, quem ſecundum*
Deum judico eligere debere; & quod idem in Acceſſu praſtabo. Papa 65.
electo, chorus Muſicus canit: *Ecce ſacerdos magnus &c.* Cardinale quodam interim populo electionem factam publice his verbis indicante: *Annuntio vobis gaudium magnum, habemus Papam, Eminentiſſimum Cardinalem N. N. qui ſibi nomen impoſuit N. N.* Pag. 83 ſeq. conſignavit Autor omnes Eccleſiæ Romanæ
Archiepiſcopos atq; Epiſcopos, & p. 108 ſq. annuos Papæ reditus, 142.
quos conficere ait 3901461 Joachimicos. Atque illud quidem vectigal, quod pro vino ſolvi conſuevit, *Vectigal Studiorum* vocari ait, quia inde collecta pecunia impenditur ad ſalaria Lectorum aliorumque Officialium in Collegio Sapientiæ, ampla Bibliotheca inſtructo. In Collegii iſtius introitu leguntur verba: *Omnibus Gentibus apertum*, & in Bibliothecæ foribus: *Patet omnibus.* Quot porro Roma gaudeat incolis; quotque Papa ſubditis, operoſe evincit Autor noſter p. 147 ſeq. & p. 151 ſeq.
adducit familias Romanas nobiliſſimas. Curſores Apoſtolicos, 168
ad Conſiſtorium ſecretum Cardinales invitantes, prolixa veſte violacea

Digitized by Google

olacea indutos, baculo argenteo conſpicuos, flexis genibus Cardinales ita compellare teſtatur: *Eminentiſſime Domine, craſtina die hora quindecima erit conſiſtorium ſecretum in Palatio*
p. 376. *Apoſtolico.* Sixtus V Pont. Rom. Tribunal Congregationis Sancti Officii vel Inquiſitionis tantis auxiſſe fertur Privilegiis atque divitiis, ut apud Romanos in proverbium illo tempore abierit: *Il ſommo Pontifice Sixto non la pardonnarebb' à Chriſto*, h. e. *Sixtus ſummus Pontifex ipſi Chriſto non parceret*, ſcil. *ſi minus eſſet Pontificius*. In Paparum inaugurationibus Cardinalis quidam accendit tribus diſtinctis vicibus faſciculum ſtupæ, exclamans:
318. mans: *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi.* Cardinalis Diaconus, pallium Pontificis Maximi humeris imponens, ita fatur: *Accipe Pallium, ſanctam plenitudinem Pontificalis Officii, ad honorem omnipotentis Dei & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ejus Matris, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ec-*
320. *cleſiæ.* Idem Cardinalis Papæ caput ornat tiara his verbis: *Accipe Tiaram, tribus coronis ornatam, & ſcias, te eſſe Patrem Principum & Regum, Rectorem Orbis, in terra Vicarium Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt bonor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.* Qua virtute polleat, ex Pontificiorum mente, ita dictus
354. *Agnus Dei*, innuunt verſiculi, tunc temporis compoſiti, cum Papa Urbanus V Imperatori Græco tres *Agnos Dei* mitteret, qui ita ſe habent:

„ Balzamum & Cera munda, cum Chriſmate in unda
„ Conficient Agnum, quod munus do tibi magnum,
„ Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
„ Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum,
„ Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit;
„ Prægnans ſervatur ſimul, & partu liberatur;
„ Dona parat dignis, virtutem deſtruit ignis;
„ Portatus munde de fluctibus eripit undæ,
„ Parſque minor tantum valet, integra quantum.

Plura ſuppetent evoluturis ipſum, quem recenſuimus, librum, qui quo in cenſu ponendus ſit, vel ex his facile intelligitur.

APICII

Digitized by Google

APICII COELII DE OPSONIIS ET CONDImentis, ſive Arte Coquinaria Libri decem; cum Annotationibus MARTINI LISTER, e Medicis domeſticis Sereniſſ. Reginæ ANNÆ, & Notis ſelectioribus integris, Hummelbergii, Barthii, Reineſii, A. van der Linden & aliorum, ut & variarum lectionum libello. Editio ſecunda, longe auctior atque emendatior.

Amſtelodami, apud Janſonio Waesbergios, 1709, 8, Alph. 1.

ANte quadriennium nitidam hujus libri editionem Londini evulgaverat Vir Cl. Martinus Liſterus; ſed, ut videtur, in ſolum Regiæ familiæ uſum CXX tantum ejus exempla ſunt impreſſa, quæ per pauciſſimorum manus diſtribui potuerunt. Ut igitur publico eruditorum deſiderio, quo optabant doctiſſimi Viri in deperditum pene opus annotationes, ſatis fieret, curavit Vir publici commodi ſtudioſiſſimus Theodorus Janſonius ab Almeloveen, & venia a Liſtero (cui etiam hanc ſuam novam editionem dedicavit) impetrata, revidi opus curavit, ita quidem, ut non omnino nullis ex ſuo penu depromtis acceſſionibus prodierit, ſed ornatum nonnullorum, quæ in Liſteri manus non inciderant, interpretationibus, & longe uberiore Indice inſtructum, & adjecto variarum lectionum libello, a Jo. Alb. Fabricio, quem digno elogio mactat, accepto, quem abſoluta ſua editione demum extare reſcivit. Ante vero has noviſſimas editiones prima vice typis excuſus eſt Apicius Venetiis apud Joannem de Cereto de Tridino 1504 in 4 (annum 1503 indicat celeberrimus Fabricius in Bibliotheca Latina.) Poſt hanc ex MSto codice in inſula Megalona prope Montem Peſſulanum invento & pene detrito, cum alio, ex quo Veneta editio exſcripta fuerat, æque corrupto, collato, ſecundum emiſit Albanus Torinus Baſil. 1541 in 4, de qua editione is profitetur in Dedicatione, quod pleraque menda ſua opera ſatis tumultuaria, nullo ſæpe ſuffragante exemplari, ſuſtulerit, adeo ut

Digitized by Google

citra offenſam ſineque tædio a ſtudioſis omnibus & legi & maxima ex parte intelligi poſſit. Propter eam vero in Critica temeritatem a Cl. Liſtero ſuo merito vapulat, qui majori laude dignum Gabr. Humelbergium cenſet, anno poſt 1542, 4 Tiguri cum plenioribus adnotationibus Apicium edentem, & Barthii notat præcipitantiam, qui in Adverſariis de Humelbergio ne quidem viſo male judicaverat, ut revocare ſententiam poſtea cogeretur. Et quia Humelbergii in criſi modeſtiam agnoſcit Liſterus, qui nihil in textum ipſum de ſuo intulerit, quod Torinus magno Autoris malo fecerat, hinc eum in ſua hac editione ſequitur, & Lugdunenſibus exprobrat, quod in agendo præcipites Torinum expreſſerint, cum tutius ſit corruptum legere ſcriptorem veterem quam a novo Critico temere immutatum. Quod vero adeo in univerſum vitioſi ſint Apicii libri, ex eo derivatur, quod argumentum ad culinam pertinens fautores non alios nactum ſit quam viliſſimæ ſortis mancipia, quæ in culinis habitant, quæ hæc arcana ſuæ artis ita conſervaſſe videntur, ut ſatis haberent, artis præcepta, neglecta dictionis & verborum puritate, tenere. Et cum præterea hi libri mediis fere Romani Imperii temporibus conſarcinati ſint, quibus jam iſta Latini ſermonis elegantia obtrita fuit, & dedecori ſibi eſſe putarent ſequioris ætatis Eruditi operam ſuam talibus gulæ incitamentis addicere, manum abſtinuerunt ab opere, usque dum tandem aliqui rectius judicare docti infamiam detergerent, atque oſtenderent, non poſtremum Medici officium eſſe, gulæ leges ſcribere, & ea ſuppeditare ad quotidianum victum, quæ deſtructum ventriculi robur reſtaurent, quæque ad appetitum ciendum ita faciant, ne labefactetur ciborum concoctio: quale quid præ ceteris in animo videatur habuiſſe Cœlius, in quo Autore multa occurrant, quæ leviter attinguntur, tanquam ſatis cognita in vulgus, a Romanis ſcriptoribus, Poetis præcipue, & illis quidem, qui Romanorum in victu intemperantiam reprehendendi materiam ſuſceperunt, eoque ab imperitis Artis Culinaræ ſæpius pervertuntur. Inquirit vero imprimis Cl. Liſterus, quis verus hujus opuſculi Autor ſit. Duos claros Apicios commemorant veteres, alterum ſub libera Republica, alterum ſub Tiberio florentem, cujus Plinius meminit; de tertio enim,

Digitized by Google

enim, de quo Athenæus, Autor hæſitat. Cum vero Plinius de Apicio ſuo affirmet, ad omnem luxum ingenio fuiſſe mirum, & pleraque fercula, quæ in opere hoc deſcribuntur, Apiciana ſint, conjectura eſt, hæc libro nomen feciſſe, ut diceretur Apicius ab argumento, quod contineret, proverbiali quaſi uſu, quo deliciarum magiſtri ita appellati ſunt. Huic ſuum nomen poſtea Cœlius compilator addidit, atque ita Cœlii Apicium dixit. Hunc autem Cœlium forte fuiſſe aliquem ex Africa libertum, fidem facit ſtylus & ſcribendi genus, ut cum pro garo liquamen uſurpat, quod a nullo Latinorum factum eſſe obſervatum fuit, ſiquidem & Cœlius Aurelianus Chron. II, 1 liquamen pro garo vulgo ſuo Africano dici, diſerte aſſerat. Ad ipſa condimenta Apicii quod attinet, corraſa ſunt, cum ex Latinis, tum & Græcis ſcriptoribus, potiſſimum Medicis: quod indicant Græca & Latina nomina. Medicos vero præcipue autores habere, ex eo partim colligitur, quod in plerisque ponderis & menſuræ exacta habeatur ratio, & illa propriis Medicorum deſcribantur nominibus, ut libræ, unciæ, drachmæ, ſcrupuli, ligulæ, pugni, ſextarii, & reliqua: partim ex eo cognoſcitur, quod plurima inuſitata ſed ſalubria occurrant condimenta, quæ ſanitati conducunt, & concoctionem adjuvant, quæque inter victum quotidianum adhiberi veteribus præſcripſerunt Medici. Quod vero aliqua ſint condimenta, a quibus plane abhorrere videntur noſtri, quæque adeo in veterum menſis quoque locum non invenerint, ſed a Cœlio vel quocunque alio conficta credantur, vix veroſimile videtur, quoniam de iis & Plinii & Dioſcoridis & plurium apud Athenæum extant teſtimonia, & ſi quæ ſunt, quæ reſpuant aliquæ gentes, aliis tamen forte in uſu ſunt. Sic enim illi in condiendis opſoniis multo majorem adhibuerunt diligentiam, quam ſimplicior ætas noſtra, quod in tanto luxu & ingluvie ſtomacho ſuccurrere novis condimentis opus haberent: poſtquam vero res Romanorum conciderunt, & imperium ad barbaras e Septentrione provocatas Gentes devolutum eſt, qui lacte, caſeo & ferina carne alerentur, hæc condimentorum faciendorum ars tuto ignorata eſt, cum propter parſimoniam in ſimplici victu & durum vitæ genus appetitum deſtructum & concoctionem depravatam reſtituere opus non eſſet.

Conſervantur interim merito hæc antiquitatis monimenta, quoniam Medicinæ non contemnenda pars ſunt, & ab ætate pretium habent. De notis ſuis quamvis id teſtetur Liſterus, ſe non agere velle criticum, quia libris omnibus manuſcriptis deſtitutus ſit; id tamen in opere ipſo deprehendet Lector, plurima obſcura & corrupta cum evolviſſe & reſtituiſſe, adeo felici conatu, ut ad intelligendum rectius & Autorem hunc, & multa aliorum veterum loca, non parum lucis adferat.

JOHANNIS PHILIPPI BURGGRAFII Doct. Med. Darmſtad. LIBITINA OVANS FATIS HYGIEÆ, ſeu de Medicæ Artis æque ac Medicorum fatis Diſſertatio Epiſtolica ad D. Frider. Hoffmannum P. P. Hallenſem.

Francofurti ad Mœnum, impenſis Joh. Dav. Zunneri, 1701, 8. Plag. 6.

QUanquam Medicina mundo ferme coæva priſcis temporibus rudis omnino eſſet, paucarumque herbarum experientia conſtaret, aſſidua tamen frugalitatis conſuetudine hominibus annorum numero egregie proficientibus, reliquarum artium more in progreſſu ſubtilitate crevit, majoraque incrementa cepit, cum varii undique morbi miſeros contererent; qua re contigit, ut de ſua ipſorum ſalute ſolliciti poſteri circa omnis generis ægritudinum medelam eſſent occupatiores. Horum vero qui caput altius extulerit, & huc uſque viva voce tanquam per manus a primævis Patribus origini propinquioribus traditam Medicinæ peritiam propriis inventis amplificaverit, Deus an homo? in ambiguo eſt; ſiquidem Prometheum fabulæ, Ægyptii ſuum cum Iſide Oroq; Ἄπιν aut Serapin, Græci Apollinem ejusq; filium Ἀσκλήπιον extollunt, Æſculapiiq; coætaneum Chironem Centaurum Theſſalum, filios Podalirium & Machaonem extitiſſe ferunt. Quoniam autem Medica horum ſolertia non æque internos profligare morbos, quam vulnera, externisq; cauſis oriundos morbos perſanare commoda erat, hæc vero ſuccincta

me-

Digitized by Google

medendi methodus caſibus atque affectibus ægrorum rarioribus parum ſufficiebat, cogente neceſſitate major experimentorum cumulus ſuccrevit. Nam quisque cuique per compita jacenti viisque publicis, quod noverat remedium aut ſibi olim aut aliis profuiſſe, ſine invidia indicavit; quibus accedebant remedia caſu inventa vel revelatione dæmoniaca per ſomnium demonſtrata; cuncta votivis tabulis in templis notata. Sicque a Podalirio atque Machaone computationem inſtituere ſi velimus, ſeptem ſecula, quibus nullos omnino, qui nobis ſaltem conſtent, eximios progreſſus Ars ſalutifera fecit, abierunt; donec magnus ille Hippocrates Cous felici ſatis ſidere natus fuerit, qui magno molimine fauſtoque ſucceſſu ad altius evexit Medicinam faſtigium. Is quando & ubi natus fuerit, quid glorioſe geſſerit, quid novi invenerit, in quo laudandus, in quo vituperandus ſit, qua morte & ubi diem obierit, prolixius hic recenſetur; quam methodum pariter in plerorumque, qui commemorantur, Medicorum vitæ curriculis pertexendis obſervavit Autor Clariſſimus. Emenſo ſeculi ferme poſt Hippocratem ſpatio inclareſcere cœpit Ariſtoteles Stagirita, quem inſecuti ſunt Theophraſtus Ereſius, Eraſiſtratus Chius atque Herophilus Chalcedonius. Antequam vero Medici poſt Chriſtum natum florentes commemorentur, ſectarum Empiricæ, Methodicæ & Dogmaticæ ortus & progreſſus delineatur, quarum Empiricam, priſcam ſcilicet, reliquis anteponit Noſter. Tum Medicorum poſt Chriſti nativitatem maxime famigeratorum vel nomina vel vitæ curricula juxta ſeculorum ſeriem traduntur; ita ut inter ſeculi XVII clariſſimos numerentur Helmontius, Williſius, Sylvius & Takenius. De noſtri ævi Medicis quid judicet Autor, ſequentia ipſius docent verba, quæ pag. 68 leguntur: *Hi fere Autores illi ſunt, quorum partim ingenio, partim vero arrogantia, ſi loqui ita decet, novum Medicinæ lumen, aut quandam quaſi, hoc noſtro maxime ſeculo, confuſionem acceſſiſſe autumant. Unum vel alterum experimentum ſufficit hodie, ut Monarchicam poteſtatem in Medicina, tot difficultatibus conſita, quis ambiat; ſi hujus certe phænomeni aut illius rei in naturæ aeque ac arte rationes cauſasve Chymiæ uſu paulo elegantius explicare poteris, tuo inſigni merito ad principatum medendi adſpi-*

mre valebis; ita noſtrorum hominum mores comparati ſunt, ut noviſſima quæque neſcio quam elegantiam præ ſe ferentia avidiſſime arripiant & amplexentur, ipſa novitate parum certa vulgi gratiam ſtudioſe captantes, cum quandoque omnia ipſorum roboris exigium obtineant. Denique Medicorum quorundam, qui ſuo tempore tanti morborum Hercules mirabili fato occubuere, eventus enarrantur.

DE IMPERIO SOLIS AC LUNÆ IN CORpora humana, & Morbis inde oriundis; Autore RICHARDO MEAD, Med. Doct. Societ. Reg. Soc. & in Noſocomio Divi Thomæ Lond. Medico.

Londini, impenſis Raphaelis Smith, 1704, 8.

Conſtat 15 plagulis dimidiatis.

DIfficillimam in præſenti tractatu quæſtionem, de quarundam ægritudinum circuitibus, explicare inſtituit Clariſſ. Mead, qui ſuo de Venenorum Natura in Actis noſtris A. 1704 Menſe Februario pag. 131 recenſito libro Orbi erudito jam dum ſe commendaverat. Scilicet in eo totus eſt, ut tribus in Capitibus oſtendat, Solis Lunæque curſum præter mutationes, quas anni tempora & tempeſtates hinc oriundæ inducunt, pro variis eorum ſtationibus varie corpora noſtra afficere; deinde inquirat, quinam morbi, quæve in morbis ſymptomata inde trahant originem, & quantum denique ad Medicinam recte faciendam conferant hujusmodi ratiocinia. Supponit igitur, aerem terram noſtram ambientem eſſe fluidum ſubtile, virtute elaſtica præditum, cujus inferiora a ſuperioribus premantur, vim vero cujuscunque partis undique in orbem æqualiter ſe diffundere, hincque fieri, ut ſi externa quælibet cauſa gravitatem hujus elementi in quovis loco minuat, ea ſimul efficiat, ut ruat confeſtim in eam ſedem ab omni parte circumfuſus æther, usque dum reſtituatur in toto ambiente æquilibrium. Hujusmodi quivis impetus ventum faciet. Perpetua autem eſt Autorum obſervatio, ſtatus cœli maxime ventoſos incidere in Æquinoctium ver-

vernum & autumnale. Notum quin etiam eſt, pacatum alioquin aerem ventorum vi plus minus agitari plerumque meridie & media nocte, hoc eſt, Sole ad Meridianum cœli faſtigium aut ſubter cœli ima & Meridiano contraria accedente. Idem pariter contingere, cum intumeſcit maxime maris æſtus, hoc eſt, Luna ſummum cœli verticem aut huic oppoſitum locum tenente; novam deniq; plenamq; Lunam tempeſtates cœli commutare coortis ventis. Inquirendum igitur erit, num ſuppetat univerſalis quædam cauſa, quæ preſſionem aeris enumeratis modo temporibus immutet, & ventos aliaque phænomena recurrere faciat. Ubi ex Newtonianis principiis ulterius ſupponit Clariſſ. Autor, a conjunctis aut ſeparatis Solis Lunæque viribus omnes æſtium varietates oriri, & quoniam memoratæ jam aeris mutationes iisdem eveniunt temporibus, quibus contingunt maris fluxus, atque aquæ Oceani non minus quam nos ambiens æther corpora ſunt fluida, iisdem motus legibus magna ex parte ſubjecta, utrorumque easdem eſſe cauſas judicat. Quemadmodum igitur intumeſcit mare, ſic bis ſemper vicenis quinisque horis attolli debet ad inſignem altitudinem nos ambiens aer ab attractione Lunæ ad Meridianum coeli faſtigium accedentis, ita ut pro ſphærali ſphæroidem figuram induat. Eadem pariter neceſſario ſequitur ætheris intumeſcentia, quoties Sol ad loci cujusvis Meridianum aut ſupra aut infra horizontem pervenit. Fit etiam hæc maxima, quando Luna nova vel plena eſt, a conjunctis nimirum utriusque aſtri viribus; minima vero, quando ea dimidia eſt, quatenus nempe in contrarias partes trahentibus eo tempore ſideribus ſola virium, quibus alterum alteri præpollet, differentia effectum parit; mediocris denique tempore, quod inter dimidios Lunæ orbes & novam plenamve Lunam medium eſt. Præter hæc altius ſolito ſe attollit aer circa duo Æquinoctia, quoniam cum Æquinoctialis linea illi globi terreſtris circulo adverſa reſpondet, diametrum habet maximam & utrumque ſidus, dum in illa verſatur, terræ eſt vicinius. Præterquam quod agitatio fluidi ſphæroidis in majori orbe ſe revolventis major ſit, & vis inſuper centrifuga a diuturno telluris motu orta effectum habeat eo loci longe maximum. Vires acquirent hæ cauſæ a nova ple-

Digitized by Google

plenave hiſce temporibus Luna ob dictam rationem; continget vero circa dimidios ſideris orbes his menſibus minima attractio, quoniam Luna tunc temporis ab Æquatore maxime declinat. Variæ denique Lunæ in perigæo & apogæo diſtantiæ efficiunt, ut hæ mutationes paulum antecedant Æquinoctium vernum, autumnale vero ſubſequantur. Omnia hiſce contraria eveniant, neceſſe eſt, cum in ſolſtilialibus circulis hærent duo ſidera. Denique in iisdem parallelis, ubi Lunæ declinatio eſt illum cœli polum verſus, qui altiſſimus inſurgit, validiſſima eſt attractio, cum illa ad ejus loci Meridianum verticem accedit, minima vero, ubi pervenit ad Meridianum loci oppoſiti. Quod ſecus contingit in parallelis his adverſis. Cauſa eſt in ſphæroide terræ ætherisq; figura. Porro autem ab aliis etiam fontibus trahunt originem venti, usque inter ſe adeo diverſis, ut incerta temporis locique ratione horum effecta ſubſequi neceſſe ſit. Quorum præcipui ſunt: 1 vapores elaſtici vi ignis ſubterranei e terræ viſceribus erumpentes & in æthere a quibuscunque cauſis denſati; 2 effluviorum e variis corporibus concurſus ejus naturæ, ut rarefactiones fermentationesque excitet; 3 Montes incendia evomentes & terræ motus, quæ aeris fluxus ad diſſitas usq; regiones propagant; 4 Cometarum aliorumq; ſiderum vires, quæ Solis Lunæque imperium varie turbant. Ut autem intelligatur, quibus de cauſis hi, qui intumeſcente maris æſtu nova plenaque Luna & tempore Æquinoctiali contingunt, ætheris motus corporis animalis fabricam immutent, tenendum eſt, animantia quo ſpiritum ſuo commodo & ſine labore ducant, aere indigere ad certum modum gravi, qua imminuta gravitate minor ſolito in thoracem haurietur ætheris portio, quæ cum minorum ſit virium ad ſanguinem ſubigendum, illiusque impetum promovendum, tardius conficiet circulum ſuum hic liquor: unde parcior erit fluidi nervei ſecretio: deinde virtute elaſtica præditus debet eſſe aer, dum enim hic in expiratione redditur, pellitur in extremos aſperæ arteriæ ramos, ubi conceſſa ob demptam incumbentem preſſionem, explicandi ſe libertate, illiduntur quaquaverſus particulæ elaſticæ, in veſicularum latera, & coarctatis hoc modo ſanguinis canaliculis, motui magis aptum reddunt vitale fluidum. Idcirco quæ hanc aeris faculta-

culta-

cultatem immutant, turbabunt ſimul compagis animalis motus memoratæ cauſæ. Poſtremo incluſam continent liquores omnes in corpore noſtro auram quandam elaſticam, quæ vinculis ſuis ſoluta vires ſuas exercet in omnes partes. Quorum impetum, dum in canalibus ſuis fluunt, reprimit ſuperficiem corporis ambiens aer. Imminuta igitur hujus preſſione facultatem habet ſe protinus expandendi internus æther, pro ratione dempti de externo elemento ponderis. Hinc fermenteſcentibus humoribus imitantur minimarum partium cohæſiones & nexus, & ultra modum tenſi rumpuntur ſubinde minutiſſimi canaliculi. His ſic expoſitis, diſpicit Clariſſimus Autor Cap. II, quas præcipue corporis noſtri actiones lædant periodicæ hæ liquorum in canalibus ſuis turgeſcentiæ: quam in rem epilepſiæ, vertigines, affectiones hyſtericæ, paralyſes, membrorum tremores, hæmorrhagiæ viriles, ſanguinis ſputa, fluores albi, gonorrhææ, renum dolores, aſthmata &c. periodica allegantur. Ad uſum denique, quem in medendo præbet hæc diſquiſitio, Cap. III tranſit; & is quidem non foret nullus, ſi ad prædictiones acceſſionum & eventuum in morbis ſolummodo ſpectaret; verum majus hinc emolumentum in cura eſt expectandum. Satis ſcilicet conſtare putat, morbos omnes, quorum circuitus Lunæ periodis reſpondent, eſſe a plenitudine oriundos. Cum enim actio Lunaris per ſolam vaſorum diſtenſionem effectum ſortiatur, liquet, illam plenitudinem tantum augere, quæ ſive moli fluidorum ſive eorundem turgeſcentiæ debeatur, idem valet. Ideoque in omni malo, per ſingulos menſes ſemel aut iterum recurrente, quod ab influxu Lunæ vires acquirit, uſui erit depletio, quæ ſi non medelam morbo, ſaltem levamen feret. Convenit autem circa hujus remedii uſum expendere, num in arteriis hæreat cauſa morbi, an vero vitio liquorum, qui e ſanguine derivantur, in partem quamvis corporis principem transferatur. In priori caſu plus miſſioni ſanguinis, in poſteriore plus medicamentis, quæ errores ejuſdem emendent, tribuendum erit. Ad hæc tempus maxime opportunum detractioni erit in pleriſque caſibus paulo ante acceſſionem mali, cum hoc modo non ſolum venienti morbo occurratur, ſed & turge-

Digitized by Google

ſcens materia facilius & copioſius e corpore erumpat. Eaque in curis allegatorum morborum ſpecialius demonſtrantur.

הלכות תלמוד תורה ותשובה רבי משה בן מימון

R. MOSIS MAIMONIDIS TRACTATUS duo: (1) de Doctrina legis, ſive Educatione puerorum, (2) de natura & ratione pœnitentiæ apud Hebræos. Latine reddidit, Notisque illuſtravit, ROBERTUS CLAVERING, A. M. Coll. Univ. Socius.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1705, 4.
Plag. 21.

EX multis variisque R. Moſis Maimonidis, quæ ſuperſunt, Operibus Robertus Clavering, A. M. & Coll. Univ. Socius, הלכות תלמוד תורה ותשובה ſive *Tractatus de Doctrina Legis*, ſeu *Educatione puerorum*, & de *Pœnitentia Hebræorum*, habito argumentorum delectu, ſibi interpretandos illuſtrandosque ſumſit, quorum neutrum ante a quoquam Latine redditum crediderat, quam perfecta jam interpretatione ſua poſteriorem cum ab Anonymo quodam, tum a Joanne Hilperto, Germano, quamvis infelici utrinque ſucceſſu, Latina civitate donatum eſſe comperiſſet. Huic autem ſuæ, quam cum textu Rabbinico in eadem ſemper pagina componit, interpretationi, Diſſertationem *de Maimonide ejusque Operibus* præmittit, atque in ea, cum de Maimonidis patria, anno, die, ac hora nativitatis, parentibus, præceptoribus, ingenio, ſtudiis, linguarum ac Medicinæ peritia, genere ſcribendi, moribus, honoribus, elogiis ac morte, tum de Operibus ejus, tam deperditis, quam ſuperſtitibus, docte & accurate exponit. In iis autem, quas utriusque Tractatus interpretationi ſubjungit, Animadverſionibus non ſolum interpretandi, quas paſſim habuit, rationes oſtendit & vindicat, ſed voces etiam explicatu difficiliores, quibus Maimonides uſus in his Tractatibus eſt, explanat, obſcuriores loquendi formulas, explicationibus aliunde depromtis, illuſtrat, argumentorumque, ſi qua futilia ſunt, levitatem demonſtrat. Ita ne quis interpretatio-

nem

Digitized by Google

nem vocum מררן & אשבורן Tractatu de Stud. Leg. C. III §.7 p.12 expreſſam ſugillaret, p. 126 contendit, מררן vocem recte *declivem* reddi, cum haud dubie a ירד oriatur; אשבורן autem *profundum*, eo quod in locis Talmudicis, quæ in Lexico Aruch citantur, *lavacrum & vas, ſive locum excavatum ad impuritatem abſtergendam* ſignificet, & in *Gemara Tractatu de Idololat.* fol. 72 perinde ut in *Gloſſa ad marginem* per מקום עמוק explicetur. Obſcuriuſculum Maimonidis Tract. de Stud. Leg. C. VII §.12 locum de iis, שנידוהו בחלום, qui excommunicantur in ſomno, p. 136 verbis Seldeni *de Synedr. p. 59* ita diſtincte explicat: Excommunicationis ſententiæ בחלום ſive per inſomnium locum habuit, quoties quis per inſomnium viderat, ſe ſententiæ ſive forenſi, ſive perſonæ alicujus ſingularis extra forum, excommunicari. Stramineum denique Maimonidis argumentum ex voce בניכם Deut. XI, 19 petitum, quo fœminas cap. 1 §. 1 *Tract. de Stud. Leg.* p. 1 ad diſcendam legem minime obligari contendit, p. 104 merito ex ea ratione explodit, quod בנים Hebræorum perinde ut Latinorum vox *Liberi*, & Græcorum *τέκνα*, utrumque ſexum indicet. Plura his, quæ recenſuimus, ſpeciminibus gemina paſſim attentior lectio ſubminiſtrat.

DISCOURS SUR LE GOUVERNEMENT.

i. e.

DISCURSUS DE REGIMINE; AUTORE ALGERNON SIDNEY, Roberti Comitis Leiceſtriæ filio, & Reipubl. Anglicanæ ad Regem Sueciæ CAROLUM GUSTAVUM Legato. Ex Anglico idiomate traduxit P. A. SAMSON.

Tomi III.

Hagæ Comitum, apud Ludovicum & Henricum van Dole, 1702, 8.

Conſtat Alph. 2½.

INter naturalis libertatis vindices ſtatusque Monarchici oſores nemo eſt forte præter Sidnejum, qui vel factis Reges acrius impugnaverit, vel ſcripto majori cum doctrina & prudentia libertatem defenderit. Adeo enim Cromwellio per omnia favebat, ut rerum facie mutata, excedendum ipſi eſſet patria; quo in otio cum librum Roberti Filmeri nactus eſſet, quem inſcripſit *Patriarcha*, ejus refutandi occaſionem ſumſit, edito hoc de Regimine libro, quem in Gallicum ſermonem eleganter traduxit Samſonius, paucisque nonnullis notulis illuſtravit. Quoniam vero dudum hic liber in omnium manibus verſatur, nobis hoc loco præfationem Interpretis attingere ſatis erit. Inter alia relatum ſe accepiſſe dicit de Sidnejo, quod Hafniæ albo ab Academia pro more oblato nomen ſuum inſcripſerit, præmiſſa ſententia Poetæ:

- - Manus hæc inimica Tyrannis
Enſe petit placida cum libertate quietem.

Certe quanto odio habuerit regiminis Monarchici formam, ex Epiſtola intelligitur, ad amicos, a quibus, ut in Angliam impetrata a Carolo II venia rediret, fuerat invitatus, quam Gallice translatam præfationi huic Samſonius inſeruit. Hic miſerum Angliæ ſtatum imprimis deplorat, quæ pulſa libertate ſervitutem & flagitia reduxerit, tum negat, ſe, libertatis quippe amantem, Principis libidini inſervire poſſe, neque adeo ſperare meliorem ſortem, quam Vanius, Lambertus & Haſleringius, cum quibus Angliæ commoda ſtrenue promoverit, fuerint experti, quorum ſanguinem ut repetat ultor enſis, ſerio precatur. Unde dulce ſibi eſſe in libertate exilium fatetur; ne tamen æque ſe Reges ac Tyrannos odiſſe, quisquam putet, ita demum concludit, ut, ſi ſubditorum commoda Rex procuret, neminem ſe ipſo magis ei fidum, ſin minus, neminem infenſiorem futurum, adfirmet.

EXCERPTA EX LITTERIS VIRI ILLUSTRIS G. G. L. A. 1706 ad O. M. datis.

E*Xcerptis his, hactenus, neſcimus quo fato, a Nobis prætermiſſis, locum hic concedi, Antiquitatum harum amantibus haud ingratum futurum exiſtimamus.*

Inſi-

Digitized by Google

Inſigne Cl. Hickeſii opus de Linguis Veteribus Septentrionalibus avide expecto. Interim hujus ſtudii mihi æſtimati voluptate captus, paucula annoto ad operis recenſionem in his Actis nupero Martio (A. 1706) datam.

Hanſeaticos non a mari, aut flumine, ſed ab Hanſa, id eſt, fœdere nomen habere, hujus noſtræ Germaniæ antiquitatum periti dubitare vix poſſunt: antiqua enim monimenta nil aliud quam *Hanſam* Teutonicam loquuntur; inde poſteriores quidam Hanſeaticos fecere, tanquam an-ſee, ad mare, quod maritimis maxime commerciis valerent. Vocabulum corruptum, ignorantiaque vetuſtatis admiſſum, uſu convaluit, ut alia multa inepta; eo fere modo, quo & Galli ex *Hariban* (vocatione ad exercitum, *clameur de Haro*) arriereban fecere, vocem ipſis non amplius intellectam, Har, Here in aliam hodie notam transformantes.

Evangelia Gothica a Franciſco Junio edita ſunt ex Codice, qui fuit Monaſterii Werdinenſis in Weſtphalia, fundati a Ludgero, etiam Helmſtadienſis noſtri Autore. Is codex nunc in Suecia non minus ſancte cuſtoditur, quam Florentiæ Pandectarum volumen. Autorem eſſe Ulfilam, quem veteres memorant, etſi pro certo dici non poſſit, non ex eo tamen refellitur, quod Autor Teutonicus homo eſſe videatur; quid aliud enim Gothi quam pars Theotiſcorum ſeu Germanorum? cum a Tacito Suevi in ultimum Septentrionem, & Germani veteres Paulo Diacono Longobardo usque ad Tanaim porrigantur. Certe Saxones, Franci, Alemanni, Gothi, aliique veteribus memorati hujus generis populi, eundem linguæ Teutonicæ fundum coluere; ut hodie Ruſſi, Poloni, Bohemi, Winidi, Slavicæ linguæ eſſe dicuntur. Et licet adeo ſæpe populi differant dialecto, ut alter alterum loquentem non intelligat, ſcriptis tamen conſignata meditanti conſenſus apparet; quem ſi non admitteremus inter eos, qui colloqui nequeant, nec Friſii & Tirolenſes ſimul Germani eſſe poſſent, nec Germanus foret Otfridus, quem nemo hodie intelligeret loquentem. Verſio autem Gothica Græcis fontibus non Latinæ vulgatæ reſpondet, multaque in ea ſapiunt Germanos Græcis vicinos, quales erant Baſtarnæ & Gothi.

Digitized by Google

Ut Gothicorum Evangeliorum literæ ex Græcis, ita Saxonum & Francorum ex Latinis ſunt magis efformatæ; idemque de Septentrionalium Runis dicendum eſt, a quo Cl. Autor non videtur abhorrere.

Cum literarum ſecreta apud Germanos Tacitus viris pariter ac fœminis ignorata dixit, omnino eum de uſu ſcribendi, non de literis amatoriis ſecretis acceperim: nam & traditione carminum, non ſcriptura, antiquitatis memoriam conſervatam notat. Ceterum hæc de uſu communi accipio: nam fuiſſe aliquos inter Principes & Bardos, qui rudimenta aliqua ſcribendi haberent, facile conceſſerim, quæ ſe paulatim dilatarunt. Sic Wodanum vel Odinum (ſeptentrionalium Mercurium) Runas vel attuliſſe vel in formam certam redegiſſe credibile eſt, cujus ætatem non melius colligas, quam ex Genealogia vetuſta Hengiſti & Horſæ Saxonum Principum ab eo deſcendentium. Paulatim ergo Latinas literarum notas Germanos didiciſſe, & ſuæ tandem linguæ applicuiſſe, cum Autore fatendum eſt. Certe Lex Salica (non ut a Lindebrogio, ſed ut prius ab Heroldo edita eſt) multa continet ſermonis Francorum antiqui, ſub Merovingiis Regibus ſcripto conſignata. Imo ipſa Lex Salica a primis Autoribus patrio ſermone in literas redacta eſt, idque antequam Franci trans Rhenum ſedes figerent, quod mihi contra mirabiles boni Godefridi Wendelini imaginationes multis argumentis compertum. Literas autem Latinas, aut ex Latinis corruptas adhibuiſſe, perinde ac Saxones in Anglia, dubitandum non puto. Trithemius non pauca ex ingenio finxit: itaque ejus Alphabetis fidi non poteſt, non magis quam Hunibaldo, aliis ignoto, ante ipſum.

Alodium maluerim quaſi ahn-leod, quod non eſt leodium ſive obnoxium: *leodes* enim ſunt obnoxii, & paſſim *a* (id eſt ahn ſeu ohn) veteribus Germanis privativum eſt ut Græcis. Hoc malim quam eſſe all-lood, a *lood* proventu annuo apud Scandianos, quaſi totum poſſeſſori proventum ferens. Cum potius leodes a lood, cenſu, proventu dici potuerint, quem dominis debebant: quod poſtremum tamen non definio. *Vaſſi* Guaſſi, Gueſin, Geſatæ, Vaſalli, Geſellen, ſunt comites, famuli, addicti: hoc etiam malim, quam Vaſſum eſſe a neſcio quo Gothico *Fads*, procurator, cui reſpondeat Orcadum Præfectus *Faut*

vel

Digitized by Google

vel *Faad.* Si Cl. Autori ſuccurriſſet Teutonicum Vogt, Voit, Faut (jam olim ex Advocato Latinorum corruptum) facile agnoviſſet, etiam hinc *Fad* & *Faut* ad Septentrionales, ut multa alia, veniſſe. Qui vero Germanum *Geſell*, cum *Gueſin*, (unde hodieque *Geſind*) ut Vaſallum cum Vaſſo comparabit, is pro Vaſallo explicando *Fadſcalcum* non advocabit.

Hæc in argumentis non nullius momenti, ſed ubi tanquam in re conjecturali libera ſunt judicia, annotare volui, non reprehendendi eximii Autoris cauſa, quem colo, ſed potius excitandi, ut hæc magis magisque illuſtrare velit. Perſpecta enim mihi eſt ex priori opere inſigni ejus doctrina & diligentia: latentque in his disquiſitionibus, quæ gentium, rerum, rituum, jurium origines valde illuſtrent. Itaque optandum eſt, Theſaurum ex Theſauro, Junianum ex Oxonienſi, aliquando in lucem proferri, omnemque Europam (ne de ſola Septentrionali dicam) Angliæ hoc quoque beneficium debere.

GRAND DICTIONNAIRE FRANCOIS & Latin, &c. i. e.

MAGNUM DICTIONARIUM LATINO-GALlicum ad pleniorem planioremque ſcriptorum Latinorum intelligentiam in uſum Sereniſſ. Delphini collectum a PETRO DANETO, Abbate.

Pariſiis, apud Viduam Simonis Bernardi, 1707, 4.
Alph. 7 plag. 10.

PRima hujus operis delineatio jam pluribus abhinc annis lucem aſpexit, cum nimirum a Clariſſimo Autore Dictionarium, quod ſtudiis Sereniſſimi Delphini, quæ moderabatur, inſervire poſſet, tum temporis publicaretur. Cum igitur hoc magno cum applauſu exciperetur, ita ut primam editionem mox altera ſubſequeretur, ex eo tempore tum varia ſtudia & aſſidua lectio Autorum Latinorum, tum conſilia Virorum eruditorum effecere, ut hoc Dictionarium ad eum nitorem, quo nunc gaudet, perduceret. Scopus vero Autoris eo potiſſimum tendit, ut Scriptores Latini a Gallis feliciter tractari & intelligi queant, & ut hunc finem eo felicius conſequeretur, non tantum veteres ſcriptores Latinos diligenter evolvit, verum etiam alios Lexicographos tum veteres

tum

Digitized by Google

tum recentiores in ſubſidium adhibuit. Ut autem curioſitati Lectorum ſatisfaceret, catalogum texuit veterum ſcriptorum, qui Dictionaria linguæ Latinæ ediderunt, id quod in Præfatione prioris editionis vel propterea facere omiſerat, quod doctiſſimus Huetius ſpem feciſſet, ſe peculiarem Diſſertationem de hoc argumento conſcripturum. Cum vero negotia magis ardua hoc utiliſſimum Huetii inſtitutum ſufflaminaverint, Noſter hic poſt Terentium Varronem, quem antiquiſſimum eſſe dicit eorum, qui Dictionaria linguæ Latinæ conſcripſerint, multos alios recenſet, qui in eodem ſtudiorum genere operam poſuerunt. Quamvis vero iſta Dictionaria in lingua Latina addiſcenda nobis inſervire poſſint, parum tamen conferre ea ad vocabula Latina in linguam Gallicam vertenda, Noſter non diffitetur; hoc enim aliorum fuiſſe inſtitutum, inter quos inprimis laudat Gaudinum in Dictionario Latino, Gallico & Græco, quamvis hoc quoque negari nequeat, non ſolum multa vocabula & diverſas phraſeologias ibidem deſiderari, verum etiam Gallicam verſionem nec ſatis accuratam nec puram eſſe, id quod in homine ex Provincia oriundo minus mirari debeamus. Alius præterea Dictionarii Latini & Gallici, nomine Tachardi editi, Autor mentionem facit, ſed dolet, hoc opus tantum quoad tres primas Alphabeti literas a Tachardo elaboratum eſſe, cum reliqua ab aliis hominibus ignotis profecta fuerint. In primis autem Roberti Stephani Dictionarium ſe conſuluiſſe Autor ait, & ex eo hauſiſſe, quicquid ad intelligendos Autores Latinos neceſſarium eſſe judicaverit; paſſim etiam notas utiles & curioſas verbis Latinis ſe ſubjunxiſſe, ac inprimis puritati linguæ Gallicæ operam dediſſe, id ſedulo agentem, ut vocabula Gallica ſignificationem verborum & phraſium Latinarum accurate referrent. In gratiam vero tyronum ac peregrinorum Autor genus cujusque vocabuli Gallici una cum terminatione maſculina & fœminina Participiorum & Adjectivorum Latinorum adjecit, quin etiam notas & breves explicationes terminorum technicorum ſubinde inſperſit, comparationem quoque Geographiæ veteris cum moderna ſæpe inſtituens. Denique rationem ubique reddit locutionum figuratarum & metaphoricarum tum in lingua Latina tum Gallica, ut adeo nihil ad commendationem operis hujus ſuperſit, quod calculis eruditiſſimorum Virorum jam pridem fuit probatum.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. VI.

HISTOIRE GENEALOGIQUE DE LA Maiſon de Gondi.

i. e.

HISTORIA GENEALOGICA FAMILIÆ DE Gondi; Autore Dn. DE CORBINELLI, *Nobili Florentino.*

Tomi II.


Pariſiis, apud Joh. Bapt. Coignard, 1705, in 4 maj. Alph. 15 plag. 9 fig. æn. 75.

FLorentina eſt familia, ſi ſpectes originem, quam ſplendido hoc opere deſcripſit Corbinellius, in Galliam dein ex parte translata, & Ducum *Radeſiarum* (Raiz) titulo denique nota. Cl. Autor e *Philipporum* gente, paris cum Republica Florentina antiquitatis, eam deducit. Attamen breviter tantum hæc indicat, verum Hiſtoriæ ſuæ initium ab eo faciens tempore, quo primum *Gondiorum* nomen cœpit uſurpari. Equidem jam *Gondum* (qui A. 1248 fuit Senator Florentinus) Autor cognomine hoc inſignit, *Gondo de Gondi* vocans eum, attamen ſi antiqua de ipſo monimenta inſpicias, nuſquam invenies hoc illi tributum, quin potius vel *Gondus* ſolum, vel adjecto patris nomine *Gondus Ricoveri* vocatur, eratque nepos *Fortii* (*Forté*) proavum habens *Orlandum Bellicozzum*, abavum *Bellicozzum*, contracte *Cozzum*, qui, ut autores teſtari dicuntur, a *Phi-* T. I. p. 14.

 lippis

p. 4. *lippis* deſcendit, inter quos *Bracius* quidam a Carolo M. A.
15. 805 eques factus affirmatur. Poſt Gondum hunc ab anno, quod conſtat, 1275 Gondiorum paternum nomen hæreditarium factum eſt, a poſteris ejus dein ſemper uſurpatum. Ipſique Gondii, non ſolum cum libera eſſet Reſpublica, rerum ſummæ adminiſtrandæ conſtanter ſunt admoti, ſed &, poſtquam ad Mediceos venit omnis poteſtas, dignitates Florentiæ
T. I toto. tenuerunt præcipuas. Probatum id dedit Noſter tum vitas ſingulorum delineando, tum articulos vitarum ipſos ex actis Florentinorum publicis, privatisque familiæ documentis confirmando. Quæ teſtimonia ſimul cuncta Tomo I ſub finem adjecit, allegata ſuis locis in margine, quomodo nuper a Balu-
M.Maj.1710. zio in Arverniæ Hiſtoria factum eſſe vidimus. Univerſum opus in IV Libros abit, quorum tres priorem Tomum abſolvunt, pro diverſis familiarum in iſta gente capitibus diviſi. Quartus Liber ſecundum conficit Tomum, eos ex Gondiis complexus, qui in Gallia fortunæ ſtabilimentum fecerunt, ad Radeſiarum
T. II p. 1. Ducatum provecti. *Antonius* ſcilicet II, *Gondio* patre, matre *Corbinellia* ortus, cum jam ante Lugdunum commigraſſet, tandem *Catharina Medicea* ad maritum intercedente, *Henrici* II
p. 25 & 49. Galliæ Regis aulæ magiſter factus eſt, mortuus A. 1574. Filius ejus *Albertus*, & nepos *Philippus Emanuel* cum, fide ſua Galliæ Regibus probata, ſummis aucti eſſent honoribus, abnepos denique *Petrus* ſine maſculis deceſſit hæredibus, duas relinquens filias, quarum altera monialem induit, altera, cui opus inſcriptum, *Paula Franciſca Margaretha*, *Franciſco Emanueli Crequio Digvierio Duci* nupſit, & adhuc, quod ſciamus, marito pariter ac filio unico, quem ex illo ſuſceperat, orba manet ſuperſtes.
25. Ceterum *Albertus*, quem paulo ante nominavimus, primus familiæ ſuæ Radeſienſis Ducatus dignitatem A. 1581 (male eſt in impreſſis p. 29, 1584) intulit. Baronatus alias Radeſiæ ſolum fuerant, & in Alberti hujus poteſtatem matrimonii jure, cum ultimi
29. Baronis filia Claudia Catharina initi, venerant; Henricus autem III ad compenſanda, quæ ab Alberto acceperat, officia Ducatum ex Baronatu faciebat. Referuntur præter hos ab autore plurimi Eccleſiaſticis dignitatibus inter Gondios in Gallia illuſtres,

Petrus



Digitized by Google

Digitized by Google

Petrus Cardinalis, & Pariſienſis Epiſcopus A. 1568, Antonii, cujus per Galliam poſteritas floruit, filius, *Henricus* Radeſienſis Cardinalis, Epiſcopus pariter Pariſinus A. 1598, *Johannes Franciſcus*, primus Pariſiis Archiepiſcopus, A. 1622, *Johannes Franciſcus Paulus*, Pariſinus itidem Archiepiſcopus A. 1654, & Radeſienſis Cardinalis, in carcerem a Rege conjectus, unde tamen cum amicorum auxilio ſe proripuiſſet, Hiſpaniam primo, dein Romam petiit, ea denique conditione cum Rege conciliatus, ut abdicato Archiepiſcopatu, S. Dionyſii Abbas fieret, quæ prolixe admodum narrantur ab Autore. Nunc in Italia ſolum floret adhuc iſta familia, & ſunt inſignes maxime, ſuperſtites adhuc, quantum ſcimus, *Carolus Antonius*, Abbatis ornatus honore, Magno Duci Hetruriæ a publici ſtatus ſecretis (Secretaire d' Eſtat) & *Ferdinandus Alexander*, frater, Senator Florentinus, filii Johannis Baptiſtæ novem a Gondo generationibus diſtantis. Gondiorum inſignia duæ clavæ ſunt nigri coloris in aureo ſcuto decuſſatim poſitæ. Alia paulo ornatiora Radeſiæ Ducum inſignia a Spenero deſcripta exhibentur Herald. Parte Spec. L. II C. 33, ubi ſuſtineri ea refert per ferorum hominum par, quod nullibi apud Noſtrum invenias. A Noſtro etiam petat, ſi quis exactiorem Genealogiæ notitiam deſideret, copioſis ab Autore tabulis illuſtratæ. Reperies ibi, quamplurimis nominibus aſteriſcum eſſe appoſitum, quo ſigno indicantur illi, quorum poſteritas peculiari Tabula deſignatur. Satis hæc eſſe poterant de hiſce voluminibus dicta, cum ſit ea Genealogicorum librorum ratio, ut ſi brevitatem in rerum ſumma recenſenda velis excedere, finem dicendorum non invenias, & integer tibi deſcribendus ſit Commentarius. Referemus tamen huc præterea quædam, quæ curioſe dicta, nec ſcitu videantur indigna, per opus univerſum hinc inde diſperſa.

p. 61. 112. 137. 163.

TAB. III. Fig. 1.

Præmittit Autor univerſæ tractationi Diſſertationem de regiminis Florentini antiquo & hodierno ſtatu, qua omnes ejus mutationes, quas plurimas habuit, recenſet. Illa imprimis notatu digna, qua, quo tempore in partes Gibellinorum & Guelphorum univerſa pene traheretur Italia, ſic ut civiles in urbibus diſcordiæ ſubinde orirentur, Florentini triginta ſex ſuo- T. I.

Digitized by Google

rum civium A. 1250, dimidia numeri parte Gibellinis, dimidia Guelphis, adminiſtrationem Reip. commiſerunt, præpoſitis hiſce duobus fratribus cum prætoria poteſtate (Baillifs) quorum alter hos ſequebatur, alter illos. Hodie quidem ſub præſidio Magni Ducis ab 48 Senatoribus urbs regitur, quibus locumtenens Ducis, trimeſtri ſemper ſpatio magiſtratu abiens, præeſt. Quoniam Guelphorum modo & Gibellinorum facta eſt mentio, non poſſumus non turrium quoque meminiſſe, quas nobiliſſimi Florentinorum tanquam propugnacula poſſidebant, quarum imagines poſt p. 48 repræſentantur. Gibel-
TAB. III Fig. 2. linorum quidem (a qua parte ſteterunt Gondii, donec Guelphis ſuperantibus exulare aliquandiu coacti, hac rediere conditione, ut horum amplecterentur ſectam) & Guelphorum turres ſolis differebant pinnis, illorum ſcilicet erant quadratæ, (v. Fig. 2)
Fig. 3. horum in faſtigio ad trianguli formam inciſæ, ut eſt in Figura 3 Tum turres haſce nobilitatis præcipue ſignum fuiſſe monet Autor, & Sec. XIV nomina propria gentis, addito cognomine, ſigillorum inſcripta margini. Ex Gondiorum & Salviatorum conjun-
73. ctione, per matrimonium A. 1455 facta, plurimos Europæ Chriſtianæ (i. e. Romano-Catholicæ) Principes hodie viventes originem trahere dicit, & addita Tabula deducit. Carolus quidam Gon-
81 ſqq. dius quamplurimum ad Mediceæ familiæ regimen ſtabiliendum
260. contuliſſe narratur. Tanta & conſervandis familiarum monimentis Florentiæ cura adhiberi dicitur, ut lex etiam ſit, quæ vetet, quo minus inſignia poſſeſſorum domibus inciſa tollantur a ſucceſſoribus.

Tomo II, præter Gondianam, quamplurimæ gentes aliæ
T. II. illuſtrantur, v. g. Caſtellorenaltorum (Chateaurenault) p. 13, Crequiorum p. 43, Petrævivæ, p. 3 &c. Inſignis Alberti Gon-
30. dii narratur magnanimitas, qui ob nobilem ab Henrico III virga pauliſper cæſum aulam reliquit, donec nobili Rex ſe excuſaſſet. Philippus Emanuel Gondius cum navarchus Regis
51. atque centurio diu fuiſſet, mittens has dignitates, ſacerdos factus eſt, cui muneri per 35 annos præfuit. Petrus Cardinalis
80. Gondius fœderis, quod a Guiſiis A. 1576 ſanciebatur (la Ligue) arti-

Digitized by Google

articulis ſubſcribere recuſavit conſtantiſſime. Exemplum ſtupendæ plane memoriæ Margaretha quædam ex Gondiis præbet, quæ uno eodemque tempore tribus Secretariis ſcribenda dictitare, ipſa plane aliud ſcribere, & colloqui quoque poſſet cum illis, qui ad eam inviſebant. p. 110. Claudia Catharina Claremontia, Alberti Radeſienſis uxor, ita Latine fuit docta, ut Polonicis legatis coram Henrico III & Carolo IX & reſponderet, & interpretem legatorum ageret. 215. Præter hæc, quæ paſſim deſcripſimus, & longiora ſunt Epiſodia; ſic ceremonias Baptiſmi Ludovici XIII p. 89, Funebres Petri & Henrici de Gondi Ep. Par. p. 93 & 129, Ludovicæ Reginæ p. 113, electionem Epiſcopi p. 63, ſacellum Gondiorum Pariſinum p. 345, Genealogias familiarum, ex quibus Gondii Radeſiarum Duces uxores duxerant, a p. 204 ad 344 T. II deſcribit, quemadmodum & Tomo I ædificia Gondiorum Florentina paſſim exhibet. Ad finem totius Operis addidit probationem ſolennem nobilitatis Gondiorum, Florentia ad Galliæ Regem, qui id petierat, miſſam, a p. 406 ad 528, & alia, quæ huc pertinebant, monimenta; cunctaque elegantiſſimis iconibus & figuris diſtinguit.

CAROLI DAUBUZ, PRESBYTERI ET A. M. pro teſtimonio Flavii Joſephi de JEſu Chriſto, Libri duo; cum Præfatione JOANNIS ERNESTI GRABE.

Londini, impenſis R. Sare, 1706, 8.

Plag. 16.

GRaviſſimas præ aliis ſe habere cauſas viſus eſt Vir doctiſſimus, Carolus Daubuz, cur teſtimonii Flaviani defenſionem in ſe ſuſciperet, eo quod olim partes accuſatorum ſecutus, iniquiſſime de eo ſenſerit. Dignum profecto eſt iſtud teſtimonium, quod ab iniquis quorundam cavillationibus vindicetur: quod tam felici etiam ſucceſſu, niſi nos omnia fallunt, Autor doctiſſimus præſtitit, ut, quidquid movere dubium, aut offundere caliginem poterat, diſſipaſſe prorſus jure cenſeatur. Et primo quidem ipſum Joſephi teſtimonium Græce, cum omnibus variis lectionibus, atque priſcis verſionibus Hieronymi, Ambroſii, quem ſub Hegeſippi nomine latitare putat, Caſſio-

dori, Ruffini, cum paraphraſi Sozomeni, ejusque verſione per Epiphanium Scholaſticum, & excerpto Michaelis Glycæ atque elogio Abrahami Whelaci atque Iſaaci Voſſii exhibet. Tractatio ipſa duabus abſolvitur partibus: quarum prior hiſtoriam teſtimonii hujus, variamque ejus fortunam tradit; ita quidem ut ſimul, quæ hic ejus γνησιότητι obſtare videbantur, diligenter & accurate refellat; poſterior autem, argumento ex ſtilo Joſephi petito, ejus γνησιότητα fuſe & luculenter comprobat. Hoc enim præcipue ſibi agendum duxit, eo quod, qui ſecus ſentiunt, itidem ex ſtili diverſitate ſuam ſententiam comprobari poſſe, præ ſe ferant, cum tamen generali hoc aſſerto contenti, comparationem hujus teſtimonii cum reliquis Joſephi ſcriptis, qua ſingulas voces loquendique formulas, nunquam inſtituerint.

Primus, qui hoc teſtimonium citavit, Euſebius Pamphili fuit, Cæſarienſis, qui non ſemel ejus mentionem injicit. Unde dubium non eſt, quin in iis, quibus uſus eſt, codicibus, eo tempore extiterit. Parum vero proficiunt, qui hic excipiunt, Euſebium minus fidelem eſſe in citandis teſtimoniis, parumque cautum in iis exhibendis: aut qui omnino contendunt, ab ipſo Euſebio hocce teſtimonium Joſephi libris per imposturam inſertum eſſe. Reſpondet namque Autor noſter, injuriam maximam inferre Patribus, & non, ut par eſt, de iis ſentire, qui cœleſtem veritatem figmentis eos adjuvare voluiſſe exiſtimant. Et licet multa primis iſtis ſeculis conficta ſint Evangelia, Actus Apoſtolici, Apocalypſes, & ſimilia, Patrum tamen quenquam aut Epiſcoporum in veteri eccleſia, ejusmodi quid feciſſe, probatum eſſe a nemine. In quibusdam equidem locis, quos ex Joſepho citet Euſebius, hunc illius neutiquam capere mentem, inde tamen non ſequi, data opera eum Joſepho quidquam affinxiſſe, quod in illo non legerit. Ipſum vero Euſebium hanc periocham in ſcripta Joſephi intruſiſſe, perperam prorſus aſſeri, cum id ne minima quidem probatum ſit, aut probari queat, ratione. Poſt Euſebium Hieronymus, Ruffinus Aquilejenſis presbyter, Ambroſius ſub Hegeſippi nomine latitans, Iſidorus Peluſiota, Hermias Sozomenus, M. Aur. Caſſiodorus,

dorus, aliique ſequioris ævi ex Græcis ſcriptores, hocce citarunt teſtimonium: de quibus omnibus ita diſſerit Noſter, ut quantum momentum hæ citationes ad cauſam præſentem afferant, oſtendat, & ſi quæ occurrant dubia, ea ſolerter diluat. Ex Latinis ævi ſequioris ſcriptoribus his adjunxit Freculphum Lexovienſem Epiſcopum, Joannem Saresberienſem, aliosque, qui itidem huius mentionem injecerunt teſtimonii. Intemeratam hinc teſtimonii hujus fidem & auctoritatem manſiſſe concludit, donec Hubertus Giſanius, Jureconſultus, & ex noſtræ Eccleſiæ Theologis Lucas Oſiander eam in dubium vocaverint. Hos enim primos fuiſſe, qui id fecerint, quantum ſibi compertum ſit, exiſtimat: quos tamen majori audacia ſecuti ſint alii, qui non obiter, ut illi, ſed data opera, & integris libris hujus teſtimonii impugnare auctoritatem aggreſſi ſunt. Fuiſſe nihilo ſecius obſervat, qui ultimis etiam hiſce ſeculis hoc Joſephi teſtimonium vel approbaverint, vel omnino defenderint, & ejus in ſe ſuſceperint patrocinium. Ad priorem claſſem Joannem Picum Mirandulanum Comitem, Petrum Galatinum, Centuriatores Magdeburgenſes, Sebaſtianum Münſterum, aliosque magno numero refert: ſpeciatim & Iſaacum Caſaubonum, cui multum hic tribuendum putat, cum hanc occaſionem reprehendendi Baronium prætermiſſurus non fuiſſet, ſi hocce teſtimonium minus crediſiſſet eſſe genuinum. Cumque viri in Judæorum ſcriptis verſati plerumque admodum, judice Autore noſtro, proni ſint ad Judæorum placita arripienda, fuiſſe tamen & inter eos, oſtendit, qui hocce teſtimonium Flavianum pro genuino haberent, ut Guilielmus Schickardus, Theodorus Hackſpanius, aliique. Addit hiſce, quos in prima claſſe collocavit, adhuc Georgium Calixtum, Conradum Hornejum, Jo. Conradum Dannhauerum, & alios magno numero. Alteram claſſem illorum conſtituit, qui hoc teſtimonium non adprobarunt modo, ſed defenderunt etiam, partim obiter, partim data opera, juſtisque libellis. Inter illos ponit Sebaſtianum Lepuſculum, quo indice etiam ſe didiciſſe profitetur, γνησιότητα huius teſtimonii primum ab Huberto Giſanio fuiſſe ſollicitatam, cuius quippe ſententiam evertere annititur Lepu-

Lepuſculus, in epiſtola ad M. Severinum Erzbergium ſcripta, quæ inter Epiſtolas philologicas Goldaſti num. LXI habetur. Lepuſculo porro jungit Bellarminum, Aubertum Miræum, Michaelem Waltherum & Joannem Mullerum, Theologum Hamburgenſem. Inter eos, qui juſtis tractatibus hoc egerunt, primo loco laudat, quorum philologicas Epiſtolas congeſſit Chriſtophorus Arnoldus, ediditque Noribergæ anno 1661, cum reſponſionibus adverſariorum, Chriſtophorum ſcilicet Adamum Rupertum, Thomam Reineſium, Jo. Chriſtophorum Wagenſeilium, ex amici tamen ſententia diſputantem, & Thomam Bangium. Deinde ſequuntur illi, qui Davidi Blondello & Tanaquillo Fabro, qui præ reliquis ad teſtimonii huius fidem labefactandam omnes ingenii contulerunt vires, ſe oppoſuerunt, quod primo fecit Guilielmus Spencerus, quem Henricus Valeſius & Franciſcus Regius, Jureconſultus Andegavenſis, ſecuti ſunt. Hiſce Sutlandum Anglum & Jo. Andream Boſium noſtrum addit, ſed dubitanter, & velut ex aliorum relatione loquens: *fertur etiam*, inquit, *id feciſſe Sutlandus, Anglus, & Boſius Germanus, cum de edendis Joſephi operibus meditaretur.* Vellemus, ut doctiſſimo Viro innotuiſſet pererudita Jo. Andreæ Boſii *in periocham Flavii Joſephi de Jeſu Chriſto Exercitatio hiſtorico-critica*, in Academia Jenenſi anno MDCLXXIII habita; & non tantum certiora hac de re prodere potuiſſet, ſed in ea forte haud vulgaria, & inſtituto ſuo inſervientia, deprehendiſſet. Tanaquillo tamen Fabro ſpeciatim hæc Boſii diſputatio oppoſita non eſt: eo etiam præcipue comparata, ut codices MSctos & editiones, in quibus hæc periocha extat, percenſeat, ſcriptoresque veteres, apud quos teſtimonii huius mentio injicitur, enarret. In eadem etiam Academia Jenenſi, quod prætermittere non poſſumus, Vir illuſtris multisque nominibus de re Medica ac literaria meritiſſimus, Georgius Wolfgangus Wedelius, Exercitationem de hocce Joſephi loco edidit, quæ *Decade II Centuriæ ſecundæ Exercitationum Medico-Philologicarum* extat, in qua breviter quidem, ſed nervoſe hoc argumentum complexus eſt; quam reliquis pro hoc teſtimonio ſcriptis additurus haud dubio fuiſſet Autor clariſſimus,

mus, ſi illi innotuiſſet. Iis vero, qui contra Fabrum diſputarunt, Fridericum Spanhemium adhuc, Natalem Alexandrum, Iſaacum Voſſium, Petrum Danielem Huetium, aliosque adjungit. Ultimo loco de illis verba facit, qui media velut via incedunt, & Joſephum quidem hoc de Chriſto teſtimonium ſcripſiſſe volunt, ſed eſſe tamen quædam, quæ nunc in hoc leguntur, interpolata. Hiſce Richardum Montacutium, Joannem Henricum Bœclerum, Joannem Hiſpanicum, aliosque annumerat: & ita tandem ad eos progreditur, quibus teſtimonii hujus fides ſuſpecta aut nulla viſa fuit, quos in tria iterum genera diſtribuit. Primum eorum eſt, qui ſilentio ipſo hoc teſtimonium damnaſſe feruntur, alterum Judæorum eſt, quorum valde intereſt, ne teſtimonium hocce ut verum admittatur; tertium denique genus eorum eſt inter Chriſtianos, qui primo quidem palam & aperte de teſtimonio hocce dubitare, poſtea vero ſcriptis etiam illud impugnare auſi ſunt. De primo genere dum agit, ampliſſima de Juſtino Martyre, Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, cumprimis autem de Photio, quorum ſilentium teſtimonio huic opponitur, diſſerendi ſe illi offert occaſio; ubi &, an ſilentio iſti autores hoc teſtimonium prætermiſerint? & ſi prætermiſerint, an inde ſuſpectum reddi queat? diſquirit. Ad Judæos quod attinet, Menaſſen Ben Iſrael adducit, profitentem, hocce teſtimonium apocryphum eſſe, & ita omnes ſentire Judæos. Varia tamen hac occaſione notatu digna Autor doctiſſimus obſervat, & inter alia, Baronium autorem eſſe, in pervetuſto Judæorum codice Hiſtoriæ Flavianæ, e Græco in Hebraicum ſermonem translatæ, abraſam eſſe periocham quandam, quam ipſe hoc eſſe de Chriſto teſtimonium ſuſpicetur, quo etiam factum ſit, ut in editione Munſteriana hiulca ſit oratio. Hinc Tanaquillum Fabrum colligere, ei, qui hanc periocham abraſerit, fraudem ſuboluiſſe. At ex Wagenſeilio oſtendit Noſter, in periocha illa, in quibusdam codicibus eraſa, non eſſe ſermonem de Chriſto, ſed de Tiberio Cæſare, atque Pilato, qui ſtatuas in urbem Hieroſolymam noctu inducere conatus eſt, quibus plebs Judæorum valde fuit commota. Quæ verba cum ſint in Tiberium duriora, ne ho-

diernos Imperatores offenderent, partim ex ineditis codicibus ſublata eſſe, partim etiam in editis quibusdam omiſſa a Judæis Germanis. Ad tertium denique genus adverſariorum dum accedit, primo iterum Huberti Giſanii, & Lucæ Oſiandri mentionem injicit, & huius hac de re verba affert. Hos ſecutos eſſe ait, Jacobum Salianum, Alphonſum Salmeronem, Auguſtinum Maſcardum, Capellum utrumque Jacobum & Ludovicum, porro Danielem Heinſium, Marcum Zuerium Boxhornium, Claudium Salmaſium, Jo. Fridericum Gronovium aliosque. At hoſce teſtimonio Flaviano parum nocuiſſe putat: acriori autem ſtudio hanc controverſiam in Germania excitaſſe Sebaldum Snellium & Chriſtophorum Arnoldum. Et illum quidem duo præcipue objicere, primo connexionis defectum, deinde Photii ſilentium. Hunc vero, quaſi ſibi diffiſum, opem amicorum imploraſſe, eorumque ſollicitatis ſententiis in cauſæ ſubſidium advocaſſe, præſertim D. Blondelli & Tanaquilli Fabri, qui, dum ceteri in Germania litem inter ſe agitaverint, in Gallia judicio conſtituto, teſtimonium prorſus damnare & rejicere conati ſint. Rationibus hinc atque argumentis, quibus Blondellus pariter ac Tanaquillus Faber teſtimonium hoc impugnarunt, in compendio relatis, de aliis quibusdam, qui idem inſtitutum ſecuti ſunt, verba facit.

Expoſita hunc in modum varia teſtimonii Flaviani fortuna, de uſu porro eius atque auctoritate diſſerit Autor doctiſſimus. Qui enim hocce teſtimonium in dubium vocant, aut non genuinum eſſe contendunt, ne religioni Chriſtianæ hac ratione detrimenti quid afferre videantur, uſum ejus ac neceſſitatem valde elevare ſolent. Non multum hoc teſtimonio religionem Chriſtianam poſſe promoveri, dictitant. Judæos enim huic teſtimonio non habere fidem, nec Joſephum arbitrum capere: quæ dubia ſunt vel falſa, rei Chriſtianæ obeſſe potius, quam prodeſſe, cum ad religionis veritatem comprobandam, quaſi vera ſint, proferantur: nihil eſſe commune luci cum tenebris, Chriſto cum malo dæmone, veritatem religionis Chriſtianæ cum fraudibus meticuloſæ pietatis conjungi non debere; vetuiſſe Paulum Apoſtolum, ne ſpiritus impoſtor quidquam, licet verum

verum, de ſe prædicaret, & quæ alia ſunt ejuſdem generis. Ad hæc vero omnia ſolide & erudite reſpondet Noſter: quæ ut repetamus neceſſe non eſt, cum quilibet fere, cujusmodi ea ſint, quæ his reponat, conjectura aſſequi valeat. Ad tertiam proinde Libri primi partem accedimus, in qua de conſilio Flavii Joſephi in teſtimonio hoc conſcribendo accurate agit. Recte ſane hic obſervat, falli magnopere, qui de Joſepho ex indole hodiernorum Judæorum pronuntient. Quod ut oſtendat, priſcorum Judæorum conditionem ſententiamque de Chriſto Servatore noſtro exponit, ut hinc liquido cognoſcatur, qualis fuerit Joſephus, tum ſuperſtite Republica, tum etiam ea ſubverſa. Sed addit quoque, ne quidquam eorum, quæ ad ſuum inſtitutum faciunt, prætermiſiſſe videatur, quales fuerint illi, ad quos Flavius ſcripſit, tum & illi, quorum hortatu & auctoritate archæologiam edidit. Hæc enim omnia ad veritatem Flaviani teſtimonii comprobandam mirifice conſpirare, oſtendit. Quod ad veterum Judæorum conditionem attinet, non unum illorum fuiſſe genus docet: fuiſſe autem ſpeciatim nonnullos, eosque haud infimi ordinis, qui licet bona fide Moſaicam religionem admitterent & amplecterentur, de novis tamen, quæ exorirentur forte, ſectis, ſpeciatim Chriſtiana, ita ſentirent, ex ſucceſſu eas æſtimandas eſſe, ut conſilium Dei hac ratione intelligeretur. Eos non auſos eſſe Chriſtianos damnare, licet, ut Moſaicis ritibus nuntium mitterent, a ſe impetrare non poſſent. In horum numero Nicodemum ponit, & Gamalielem, & hunc ipſum Joſephum; qui cum Gamalielem impenſe laudaverit, ab ejus ſententia atque vitæ inſtituto non fuiſſe alienum, admodum ſit probabile. Quam ſententiam ut eo magis confirmet, vitam Joſephi in compendio exhibet. Quod ſi porro conſiderentur illi, ad quos Joſephus ſcripſit, primo inter illos occurrit Domitianus Imperator: quem licet vulgo ut infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem depingunt, recte tamen eum excuſari, & ab hoc crimine ex parte abſolvi a clariſſimo viro Henrico Dodwello; ad minimum eo tempore, cum Joſephus jam archæologiam ſuam abſolviſſet, Domitianum adeo adverſus Chriſtianos nondum accenſum fuiſſe; ut vana ſit il-

Digitized by Google

lorum perſuaſio, Joſephum ex metu, ne Domitianum offenderet, de Chriſtianis bene loqui auſurum non fuiſſe. Addit porro Noſter, Joſephum revera nihil aliud, ſi præcipua teſtimonii hujus capita ſpectes, dixiſſe, quam quod ceteri quoque Judæi olim & nunc quoque palam confiteantur, quemadmodum & nihil aliud dixerit, quam quod ex gentilibus Græci de aliis non minus fidem omnem ſuperantibus eo tempore credebant: unde ſi horum pariter ac Judæorum rationem habuerit Joſephus, nihil tamen in hoc teſtimonio ſuo eum aſſeruiſſe, quod non aſſerere potuerit. Cum etiam non deſint, qui autument, Joſephum adulandi cauſa, quæ de Chriſto prædixerint vates, Veſpaſiano in libris de Bello Judaico tribuiſſe, de hocce teſtimonio idem potius dici poſſe, quod ſtudio illis placendi, qui gratia Cæſaris florebant & Chriſtianis ſimul bene cupiebant, veritati, licet ceteroquin genti ſuæ adverſæ, litaverit. Conſtat enim, Epaphrodito autore & impulſore Flavium ad gentis ſuæ hiſtoriam literis tradendam edendamque animum appuliſſe. De hoc itaque Epaphrodito pluribus Autor diſſerit, eumque eundem eſſe, cujus aliquoties in Epiſtolis ſuis meminit Paulus Apoſtolus, probare annititur. Quod ſi vel maxime aliquis pertinaciter neget, Epaphroditum illum Joſephi fuiſſe Chriſtianum, Chriſtianam tamen eo tempore fuiſſe Flaviam Domitillam, Chriſtianum T. Flavium Clementem conſulem, quorum ut captaret gratiam, talia de Chriſto prodere potuiſſet Joſephus. Ex conſilio itaque tandem Joſephi & hiſtorias ſcribendi modo concludit, impoſſibile fuiſſe, ut quis totam hanc de Chriſto periocham archæologiæ interpolaret; cumprimis & hoc urget, cum nemo Chriſtianorum omnia Joſephi exempla in ſua poteſtate habuerit, fieri quoque hanc interpolationem non potuiſſe. Et ita primo tractationis hujus Libro finem imponit.

In altero de ſtilo ac vero ſenſu teſtimonii hujus verba facit, idque ea ratione, ut invicto prorſus argumento demonſtret, genuinum eſſe hoc teſtimonium, nec poſſe ulla ratione in dubium vocari. Hic contra Tanaquillum Fabrum præcipue diſputat, qui ex ſtili diſſimilitudine, non eſſe genuinum hocce teſtimonium, probare voluerat. Daubuzius contra ad

ocu-

oculum oſtendit, hanc periocham cum ceteris Joſephi ſcriptis accurate convenire, proximis locis eſſe ſimillimam, nec alienam a remotioribus. Sed primo contra eos diſputat, qui debito loco hanc periocham ſtare negant, quos prolixe refellit, ſimulque tum aliis hiſtoricis Græcis, tum præcipue Joſepho in uſu fuiſſe oſtendit, digreſſiones, quas Græci ἐπιστάσεις, Photius παρεκβάσεις & ἐκτροπὰς ἀκαίρους appellitent, narrationibus ſuis inſerere. Tum vero, poſtquam etiam generatim de ſtilo Joſephi quædam erudite monuit, ad rem ipſam ſe accingit, & ſingula teſtimonii hujus verba atque phraſes perluſtrat, & nihil in iis, quod a conſuetudine loquendi, quam Joſephus ceteroquin teneat, alienum ſit, aut in eam non cadat, contineri, haud vulgari diligentia evincit. Pauca hic ſaltem, quæ ſpeciminis loco ſint, delibabimus. Prima vox hujus teſtimonii eſt: γίνεται. Non inſolitum Joſepho eſſe, ſicubi filo orationis abrupto in aliam rerum ſeriem tranſit, hoc verbum præponere, plurimis exemplis comprobat. Eadem ratione circa voces ſequentes: κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, verſatur. Circa vocem Ἰησοῦς obſervat, non ignotum Joſepho fuiſſe Jeſum Chriſtum, utpote quem alieno etiam loco, & quaſi aliud agens commemoret. Simul vero oſtendit, Judæos, qui Joſephi ætate vixerunt, vix aliter, quam Joſephum ipſum de eo ſenſiſſe. Vocatur Jeſus Joſepho: σοφὸς ἀνήρ. Uſitatum & ceteroquin huic ſcriptori in elogiis virorum illuſtrium frequenter adhibere vocem ἀνήρ. Immo raro aliquod elogium, obſervante Autore noſtro, ſine voce iſta legitur. Mirari autem quenquam vetat Noſter, quod voce σοφὸς in aliis deſcriptionibus Joſephus uſus non ſit. In more enim illi poſitum, viros excellentes variis & a ſe invicem diſtinctis attributis honeſtare, ut fere nunquam quenquam deprehendatur eadem, qua alium, laude celebrare. Quod ut demonſtret, præcipua virorum illuſtrium elogia, apud Joſephum occurrentia, lectorum oculis ſubjicit. At multum præ reliquis negotii nonnullis faceſſunt hæcce Joſephi verba: εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Hinc enim videtur Joſephus Chriſtum pro Deo habuiſſe: quod tamen ab omnium Judæorum opinione ſententiaque vel maxime

me abhorrebat. At ex hiſce verbis neutiquam id ſequi, Chriſtum a Joſepho pro Deo habitum, prolixe & accurate demonſtrat Autor, oſtenditque, huic ſententiæ multiplex ineſſe ſchema: nam præter ἀπορίαν, quæ in dubitatione, & ἐπανόρθωσιν, quæ in revocatione ſui, ſeu verborum correctione conſiſtit, vocis ἀνὴρ repetitionem πλοκὴν, integram vero locutionem quandam hyperbolem conſtituere. Cujusmodi quidem loquendi rationem & aliis Græcis pariter ac Latinis ſcriptoribus, & ſpeciatim Joſepho uſitatam eſſe, exemplis quamplurimis comprobat. Inter reliqua Joſephi verba, quæ ordine eadem methodo doctiſſimus Autor perluſtrat, notatu adhuc maxime digna hæc ſunt: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. Hiſce enim præcipue inducti ſunt nonnulli, ut totam periocham in dubium vocarent; ſed ſine ratione. Cum enim, ut bene Autor obſervat, eo tempore, quo Joſephus archæologiam edidit, ubique jam perſonaret Chriſti nomen, ut Jeſus Nazarenus Chriſti nomine vel maxime apud omnes notus eſſet, hoc ſibi vult Joſephus, hunc illum eſſe, qui communi nomine Chriſtus dicatur. Proinde cum dicit: ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, idem eſt, ac ſi dixiſſet, ὁ λεγόμενος χριστός. Perinde ac Pilatus in titulo crucis ſcripſit: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, quod cum Judæi mutatum vellent, precibus tamen illorum locum non reliquit Pilatus. Sed hæc, quæ ſpeciminis loco ſunt, ſufficiant. Hinc enim, cujusmodi reliqua ſint, facile intelligere licet. Nos autem merito Autori doctiſſimo ob cauſam hanc tam egregie evictam gratulamur: cum nihil nunc ſupereſſe exiſtimemus, quo fides auctoritasque hujus teſtimonii ulla veri ſpecie vocari in dubium queat. Id ſaltem addimus, præmiſſam huic commentationi eſſe Præfationem Viri doctiſſimi Jo. Erneſti Grabii, in qua non ſine ſingulari divini Numinis providentia factum arbitratur, ut Servatori noſtro jam defuncto, atque abſenti, luculentum adeo teſtimonium perhibuerit præcipuus gentis Judaicæ, ipſique adverſæ, ſcriptor. Fuiſſe etiam plurimos ex Judæis exiſtimat, qui fidem in Chriſtum ſuſceperint, ſed ad ritus Moſaicos deſerendos, ſeque gentilibus, qui in Chriſtum crediderant, jungendum, animum inducere haud potuerint. Atque

Digitized by Google

que hiſce Joſephum accenſendum putat. Tandem hanc Daubuzii tractationem ex merito commendat, inque ea ultimam præcipue partem, qua veritas hujus teſtimonii ex ſtili ſimilitudine probatur, mirifice ſibi placuiſſe, profitetur.

Kurtzer Entwurff der einzugehenden Chriſtlichen Vereinigung ꝛc.

i. e.

SAMUELIS STRIMESII, S. THEOL. DOCT. Prof. Ord. & Paſtoris Primarii in Academia Regia Viadrina, brevis Delineatio Chriſtianæ Unionis inter Lutheranos & Reformatos, propter horum Conſenſum fidei fundamentalem, deque iſtius Natura & Proprietatibus, cum Appendice, qua Anonymi Reſponſio ad Quæſita Autoris modeſte expenditur.

Francofurti, apud Jer. Schrey & Chriſt. Hartmann, 1705, 8.

Plag. 16.

CUm variis documentis atque ex repetita editione Delineationis ſuæ prioris Conſenſus Lutheranos inter & Reformatos (quam Acta A. 1705 p. 140 & ſqq. recenſent) intellexiſſet Autor ſumme Reverendus, haud ingratum Lectoribus fuiſſe p. 4. inſtitutum ſuum, jam explicatius de natura & proprietate hujus Unionis tractat. Initio diſtinguit Unionem in Politicam atque Eccleſiaſticam, atque hanc iterum in Incompletam (ut loquitur) atque Completam. Quemadmodum vero Politica & Incompleta Eccleſiaſtica diverſis temporibus & tentata & obtenta eſt, ita in præſenti de Completa tractationem inſtituit. Hæc quatuor Capitibus in nova hac Delineatione abſolvitur. Agitur enim in ea de Unionis hujus 1 antecedentibus, 2 natura atque indole, 3 concomitantibus & 4 conſequentibus.

5, 6, 7. 8, 9. 11.

Unionem antecedere docetur Conſenſus veritatis fundamentalis a Deo cœlitus revelatæ. Enimvero cum conſenſus 13.

in

Digitized by Google

p.15,16. in omnibus veritatibus ad unionem hanc neceſſarius non ſit, (quod luculentis rationibus deducitur) flagitatur duntaxat conſenſus in veritatibus, ut loquuntur, fundamentalibus, quæ
17. ad ſalutem conſequendam præcipue neceſſariæ ſunt, talesque vel expreſſis verbis, vel aperta conſequentia in Scriptura perhibentur, ex neceſſitatis item adjecto mandato tales cogno-
20. ſcuntur. Requirit dehinc conſenſum non *Directum* modo, ſed
21. omnino etiam *Reflexum*, ſcilicet ut quisque conſenſus rationes intelligat, neque incertus dubiusque aut errans ad Indifferentiſmi vitium prolabatur. Ejusmodi vero conſenſum fundamentalem Lutheranos inter & Reformatos intercedere con-
25, 29. tendit, non modo circa judicium rationis, in fidei doctrinis,
31, 36. verum etiam in loco de Perſona Chriſti, de Prædeſtinatione, Merito Chriſti atque Cœna Domini. Adjiciuntur etiam ra-
43. tiones, cur in ejusmodi conſenſione fundamentali Unio ſit
47. fundanda, exploſis nonnullis Theologorum præjudiciis. Indoles vero atque natura hujus Unionis in publica atque ex-
62. terna conſuetudine & propinquiori congreſſu Eccleſiaſticæ ſocietatis reponitur, interna partium Unione, per conſenſum in fundamentalibus Chriſtianæ Religionis articulis, jam tum ſuppoſita. Coire vero externe poſſe Proteſtantes, ob conſenſum
64.ſqq. fidei fundamentalem, variis probatur argumentis, & ad diſſentientium ſententiam oppoſitam modeſte reſpondetur. Porro coalitionem Proteſtantium externam, ob conſenſum fidei fundamentalem, neceſſario comitari debere libertatem conſcien-
91. tiæ, tum quoad doctrinas Chriſtianas ſecundarias, tum quoad ritus Eccleſiaſticos, uberius inculcatur, & ut quisque ſecundum dictata conſcientiæ libere in iis verſari queat, veteris Eccleſiæ
92. Doctorum exemplis comprobatur, objectionibus e medio ſub-
97. latis. Conſequitur tandem Unionem hanc ſincerum & dili-
103. gens ſtudium perveniendi ad perfectum in ſingulis fidei doctrinis conſenſum, huncque in finem requiritur, ut cum Luthe-
107. rani, tum Reformati, ſe mutuo benigne audiant, rerumque controverſarum momenta rite perpendant, melioris intelligen-
108. tiæ cauſa, idemque exemplis, in locis de Chriſto, de Cœna, de
121. Prædeſtinatione, deque Baptiſmo, illuſtratur. Deinde exigitur

Digitized by Google

tur quoque, quoad Ritus Eccleſiaſticos, ut & una pars nonnullos abroget, quos ipſamet nec per ſe neceſſarios, nec utiles p. 122.
credit eſſe; altera vero pars, ut omnes Ritus, etiam innocui, 125.
intermittantur, magnopere haud urgeat; partium vero utraque 127.
libera ineat conjugia, ſuſceptorum in Baptiſmate munere 129.
indiſtincte fungatur, & doctrinas ſuas pro conſcientia, interim ſine partis alterius contumelia, proponat. Adjicitur, illuſtrationis cauſa, Hieronymi Zanchii Oratio de vitandis diſſidiis in 141.
Eccleſia & Scholis, in qua duæ Regulæ, de fide, & amore Chriſtiano, impenſe commendantur. Adverſus Noſtrum Anonymus quidem tria attulerat, primo Unionis Eccleſiaſticæ impedimenta; deinde methodum facillimam conciliandæ Unionis; 2.
denique dubia, quæ hoc in negotio ſuboriri poterant, expendens. Ad hæc vero cuncta ſumme Rev. Strimeſius in Appendice ſic reſpondet, ut primo impedimenta, quæ inveterata præjudicia & adſtrictæ doctrinarum formulæ ponunt, accurate excutiat, dehinc quædam circa optimam methodum promoven- 3. ſq.
dæ Unionis monenda ducat, atque ultimo loco, quæ tanquam 39.
dubia huic methodo opponi poterant, ſolvat. Ad ipſam vero 51.
objectionem directe reſpondet, tribus admodum formatis 57.
hanc in rem poſitionibus, quarum *prima* eſt: Unionem fundari 73.
in veritatum fidei fundamentalium conſenſu; *ſecunda:* inter ejusmodi veritates fundamentales quoque numerari doctrinam de Amore Chriſtiano fraterno, inter fundamentaliter haud diſſentientes neceſſario, ſervando; *tertia*: cum Amor 77.
fraternus fundamentali conſenſui in fide indivulſo nexu conjungatur, iſtum eousque nulla ratione differendum eſſe, donec conſenſus in articulis Eccleſiaſticis, fidei fundamentum minime 80.
contingentibus, perfectus exoriatur. Ceterum Lectori ſignificandum duximus, nuper admodum ſumme Rev. Autorem *Partem primam Syſtematis Gratiæ Divinæ* edidiſſe, de qua proxime in Actis ipſis M. Auguſti uberius dicemus.

COMPENDIO DELLA VITA DI S. ROMOaldo, Fondatore dell' ordine Camaldoleſe &c.

i. e.

COMPENDIUM VITÆ S. ROMUALDI, Abbatis, Fundatoris Camaldulenſis Ordinis, fideliter ex fuſioribus Petri Damiani Camaldul. Cardinalis & Epiſcopi Oſtienſis, tum P. Caſtagnizzæ Monachi Caſinenſis & P. Ribadeneiræ Soc. Jeſ. nec non Fortunii & Lazzii, Monachorum Camaldulenſium, Commentariis depromtum; Autore RENATO MONTI.

Romæ, apud Rocchum Bernabonem, 1707, 8.
Plag. 8.

ANtequam ad enarrationem hujus compendii tranſeamus, monendum duximus, Romualdum, Patria Ravennatenſem, & ex illuſtriſſima Grimoaldi Ducis Regumque Longobardorum ſtirpe juxta præconum fidem repetendum, ac ſolitariæ vitæ apud Italos inſtauratorem habendum eſſe. Etenim juxta illorum placita ſub decimi Seculi initia vitam ingreſſus per omnem ejus decurſum bonamque Seculi XI partem floruit, ac poſtquam innumera ſolitudinum umbracula conſtruxiſſet, Camaldulenſis tandem ſodalitatis Autor extitit, quæ in Romandiola, Diœceſi Aretina, a Cive quodam, cui Malduli nomen erat, campum ſtruendis ædiculis aptum adepta, in benefactoris memoriam Campi Maldulenſis Sodalitas tandemque brevitatis ſtudio Camaldulenſis dici cœpit. Hujus Conditoris vitam plures nec contemnendi rerum ſcriptores expoſuere: imprimis *Petrus Damianus*, ad usque ineptiarum enarrationem accuratus, libro XX Capitibus diſtincto: tum *Hieronymus Pragenſis*, Camaldulenſis Monachus, ab illo Joannis Huſſi ſocio, A. 1416 combuſto, probe diſtinguendus. Præterea *Sylvanus Razzius*, cujus præcipua Latino ſermone donata *Bollandus*, una cum Damiani & Hieronymi monimentis, Sanctorum Actis menſe Februario T. I a pag. 104 usque ad 146 inſeruit. Ut taceamus *Auguſtinum Florentinum*, prolixum nimis, & ſuperflua ſæpe narrantem, Sylveſtrum Maurolycum, Ferrarium, Petrum Galeſinium, Thomam

mam de Minis, Archangelum Haſtevillium, aliosque, quorum Bollandus, a Renato Monti neglectus, mentionem facit.

Quibus Præfationis loco dictis, ad Renatum vertimur, qui *Libellulum*, ſua ſponte ita appellatum, *Joſepho Vallemanno*, Athenienſium Archipræſuli Clementisque XI Rectori Domus, Viro gravi, & quinque retro Pontificum familiari, neſcio cujus ſpei irritamento nuncupavit, quæ tamen ex hoc fœtu, non admodum fœcunda naſci poterat, cum nova non dicat, & ſolam Damiani, ac forte viliorum præterea fidem ſequatur. Ceterum ex illo compendio videmus Romualdum prope juvenem Claſſenſi Cœnobio addictum Apollinaris Divorum ſodalitio adſcripti mancipium evaſiſſe, nec tamen diu in eo cul- p. 5.
tu commoratum, novæ mox venerationis autorem exſtitiſſe : 6.
ad quam primo Petrum Urſeolum Dalmatiæ & Venetiarum Du- 8.
cem allexit, mox etiam alios; ipſo etiam progenitore ſuo Sergio ad ſolitudinis carceres compulſo, quem ab inſtituto deflexurum inaudita hactenus ratione compedibus conſtrinxit, ac ferro domuit, tanto etiam Numinis applauſu, ut Sergio ad me- 15.
liorem mentem traducto, fatisque vicino, Spiritus Sanctus ſeſe conſpicuum exhiberet: quod tamen ex Damiano Renatus promere, ſuæque compilationi inſerere noluit. Hujus opera Benedictinorum fratrum ſodalitates ad meliorem diſciplinam per 10.
omnem Italiam Galliamve revocatæ, ejusdemque ſuaſu ſylvarum abdita innumeris civibus repleta, urbes vero & fora civibus imminuta ac prope exhauſta fuere. Ejus abſtinentia ſtupenda plane, eaque propter tantopere Dæmoni inviſa fertur, ut fuſtibus 11.
ad livorem usque & cicatrices in ſenectutem usque conſpicuas ab eo cæderetur. Qua contumelia non fractus, palu- 16.
ſtribus prope Comaculam locis ſeſe immerſit, tanto cum cor- 23.
poris ſui ſanitatiſque ludibrio, ut toto oris habitu luridus ſtellionis prope colorem turpesque maculas referret. Inde Cœnobii Claſſenſis Abbas ſub Ottone III factus, ac pertinaciæ Monachalis pertæſus, virgam Abbatialem poſuit, ac nihilominus tamen Ottonem Imperatorem a Regno ad ſolitudinem 28.
trahere tentavit: quem impenetrabilem, fatis propere imminentibus, terruiſſe dicitur. Laudant omnes in ipſo fundenda-

p. 30. rum lacrymarum pernicitatem, quod nobile donum ac multum
33. utile cenſent : tum validum ejus in tempeſtates compe-
36. ſcendas imperium: terrorem præterea Regibus & Principibus
tanta efficacia injectum, ut vultum ejus vocemque tanquam de-
cretoriam ſupremi Judicis ſententiam expaveſcerent. Cœli-
40. tus etiam ad explanationem ſacrorum Davidis carminum exci-
tatum ſcribunt, quod ſi verum, mirari decet, cur monimenta
cœlitus ſuggeſta tinearum ludibrio relinquantur. Illo præ-
terea jactant Romualdum in loco, qui Camaldulenſium Societati
46. ſacrandus erat, ſcalam vidiſſe a montis vertice ad cœlum pertin-
gentem, ſuique pariter genii ac Monachorum adſcenſu frequenta-
49. tam : arborem præterea, in ipſa inclinatione ruinam cellulæ
54. Romualdi minitantem, ſolo digiti nutu alio verſam : Puerum
hoſtiæ bucella ſanatum, & alia credulorum palato admodum
jocunda. Quibus magno numero editis, anno ætatis CXX, ſa-
lutis MXXVI, obiiſſe dicitur. Quod inſigne ſenectutis augmen-
tum Bollandus in vita Romualdi egregie refutavit, omnemque
illius ætatem ad LXX numerum bonis rationibus, Renatoque no-
67. ſtro ſuffecturis, reduxit. Finitur liber longa de raptu reliquiarum
Romualdi narratione, quæ eam, quam meretur apud Lectores
fidem, obtinebit.

ZYWY WZOR APOSTOLSKIEY DOSKO-
nálosci, B.Stanislaw Kaſimierzyk, &c.

hoc eſt,

*VIVUM EXEMPLAR APOSTOLICÆ CON-
ſtantiæ, B. Stanislaus Caſimiritanus, Profeſſor quondam
in Academia Cracovienſi & Sac. Theol. Doctor, &
e Congregatione S. Salvatoris Lateranenſis Canonicus
Regularis : pio labore AQVILINI MICHAELIS
GORCZYNSKII, J.Canon.& S.Th.D.& Prof.ej.
Congregat. expoſitum.*

Cracoviæ, e typographia Academiæ, 1701, 4.

Alph. 1.

AUtor Polonus, vernaculo ſermone ſcripturus B. Sta-
nislai vitam, eam tribus Partibus abſolvit, in quarum
prima vitæ beneficiorumque ei a Deo exhibitorum ſeriem
pro-

proſequitur, eoque C. 1 natales ejus inveſtigans, A. 1433 d. 3 Maji Caſimirii prope Cracoviam e ſterili alias conjugio, Patre Matthia Soltyſio Conſule, natum refert. C. 2 agit de proclivitate ejus & affectu ad virtutes; C. 3 de educatione & informatione, qua in Academia Cracovienſi eſt inſtitutus, ubi anno æt. 22 Profeſſor & Philoſophiæ Baccalaureus, poſtea Magiſter, & Baccalaureus Theologiæ eſt conſtitutus; C. 4 de ejus vocatione ad monachatum, quem A. 1456, quanquam conſanguineis plane invitis, ſuſcepit; C. 5 obedientiam, 6 patientiam, 7 delectationem in novitiatu in illo laudat; 8 profeſſionem & vota monaſtica, 9 Sacerdotium, 10 porro officium concionatorium, quod fere invitus ſuſcepit, 11 officium Lectoris, 12 officium Magiſtri Novitiorum, 13 mortificationem, 14 amorem Dei & pietatem, & 15 finem ſanctitatis proſequitur, qui fuit, ut præter Deum, Mariam, Sanctosque alios, præcipue Stanislaum Martyrem veneraretur, in cujus cultu ab ipſa Virgine Matre in viſione aliqua dicitur confirmatus. Inde C. 16 perſecutiones, & 17 mortem Stanislai exponit. Obiit autem A. 1489, cum vivendo annos 55 menſes 7 diesque totidem impleviſſet. Sepultus eſt, ut refertur C. 18, Caſimirii in templo Mariæ Magdalenæ. Caput 19 & 20 reliquiis, C. 21 variorum Autorum teſtimoniis dicatum eſt, ſanctitatem Stanislai confirmantibus, & a cenſoribus librorum approbatis. Parte II repetit 197 Divi noſtri miracula, jam A. 1616 per Chriſtoph. Loniewskium, & poſtea per Stephanum Ranatowicium A. 1660 deſcripta. Ecce unum, quod inſigne eſſe jactatur, ex quo de reliquis judicabis. N. 91 refertur, quod mulier paupercula unicæ ſuæ vaccæ, Stanislai beneficio ſanitati reſtitutæ, potum præbitura, vaſe quo aquam haurire volebat ad puteum fracto, ne diu ſitiret vacca, ejusdem Sancti opem imploraverit, ubi momento vas rurſus coaluerit, ut capere aquam & refocillare vaccam poſſet. Parte III recenſet miracula, quæ nondum quidem publice conſignata, ſed tamen per appoſitionem manus Notarii Apoſtolici ſunt munita. Ubi n. 88 commendatur Lucas Oslawski, LL. AA. & Philoſ. D. in Academia Cracovienſi, qui tempore peſtis A. 1677 in ſummo periculo conſtitutus, Mariæ autem & Stanislai interceſſione ab infectione liberatus,

ratus, quotannis d. 3 Maji in hujus honorem Panegyricum habuit. Anno etiam 1701 varia patraſſe creditur. Atque ipſe Autor, non ſolum cum Romam proficiſceretur, Tutelarem eum elegit, ſed & concionem aut diſputationem habiturus, imbecillitati memoriæ ſuæ ab eo ſubſidium quærere conſuevit, & ut putat, impetravit. Totam tractationem concludunt hymnus, quem ejus honori conſecravit, Litaniæ ac preces.

ABREGE' DE L' HISTOIRE ROMAINE ET GREQUE, &c.

i. e.

COMPENDIUM HISTORIÆ ROMANÆ ET Græcæ, partim ex Vellejo Paterculo translatum, partim ex optimis Scriptoribus antiquis, quibus Vellejus ſuppletur, concinnatum. Acceſſit Chronologia, ad inſtitutum accommodata; Autore JOANNE DOUJATIO.

Tomi II.

Pariſiis, apud Joannem Muſier, 1708, 12, ch. aug.
Alph. 1 plag. 13.

CL. Autor, nitidiſſima, quam in Uſum Delphini procuravit, T. Livii Editione erudito Orbi pridem notus, accuratum, temporumque rationi exacte reſponſurum *Hiſtoriæ Univerſalis*, quam vocant, *Compendium* conſignaturus, Vellejum Paterculum in antiquiori Hiſtoria profana fundamenti loco collocavit, propterea, quod hic ſimile propoſitum magna cum dexteritate elegantiaque fuerit exſecutus. Cum vero primus Vellejanæ Hiſtoriæ Liber, in quo Græcorum res geſtas cum Romanorum inſtitutis perpetuo conjunxiſſe videtur, injuria temporum, majore ex parte, deperditus ſit, lacunam hanc ſupplementis, ex optimis, iisdemque vetuſtiſſimis, Scriptoribus concinnatis, explendam, & jacturam, quam in mutilato Vellejo orbis, qua literis cultus eſt, ad hunc diem usque fecit, quodammodo reſarciendam putavit. Quod qua ratione factum

Digitized by Google

ctum ſit, in luculenta, quam Editioni ſuæ præfigi curavit, Præfatione accurate commemorat, & quid in illuſtrando, ornando locupletandove Paterculo ſigillatim præſtiterit, breviter ſummatimque exponit. In ea enim partim de Autore, & verſione ejus; partim vero de ſupplementis & Chronologia, operi ſubjuncta, diſſerit, & quæ de ſingulis obſervanda eſſe duxit, diligentiſſime enarrat. Ad Vellejum itaque quod attinet, de prænomine ejus, utrum *Cajus*, an vero *Publius*, aut *Marcus*, appellatus fuerit, parum ſollicitus eſt Doujatius, gente Campanum, & illuſtri loco natum, atque ampliſſimis muneribus, Tiberio imperante, belli pacisque temporibus, Romæ perfunctum eſſe, dixiſſe contentus. Quo facto, ad Hiſtoriam èjus progreditur, hancque non minori judicio quam eruditione ſcriptam eſſe, contendit. Inprimis autem, præter ſermonis elegantiam, & ſententiarum, ad mores præcipue formandos, ac Civilem comparandam Prudentiam, ſpectantium, venuſtatem, ſingularia quædam in Vellejo animadvertit, in quibus, ad quinque potiſſimum capita relatis, ceteros illum antecellere, arbitratur. Primo enim loco rationes temporum, Doujatio judice, accurate ſubduxit, & quibus annis omnia notatu digniora geſta ſint, cum eventibus memorandis ſedulo conſignare conatus fuit. Deinde converſiones præcipuas, quibus varia Regna, & Reſpublicæ, Romanis non ignotæ, obnoxia fuere, non prætermittendas putavit. Tum vero novas, Romæ identidem factas, conſtitutiones & conſuetudines, laude pariter ac vituperio dignas, quæ in Urbe invaleſcere cœperant, ſumma cura atque induſtria denotavit. Porro de origine Urbium & Coloniarum, Romanarum æque ac Græcarum, ſuo loco egit, ac poſtremo etiam illuſtrium Virorum, tam virtute militari, quam eruditionis laude clarorum, elogia ſuppeditavit. Cum vero a partium ſtudio, quod ceteroquin Hiſtoricum dedecet, non prorſus alienus, Tiberii ejusque familiæ aſſentatorem ſeſe exhibuerit, Doujatius illum eo excuſat, quod vitium iſtud in omnibus, qui Hiſtoriam ſui temporis condunt, eandemque vivi in lucem prodire patiuntur, plerumque deprehendatur. Addit etiam, Tiberium initio, fatentibus omnibus,

bus, fortitudine ac ſcientia bellica eminuiſſe, primisque imperii ſui annis, quibus Vellejus ſcripſiſſe videtur, optime imperaſſe, ac nominatim egregia juſtitiæ, liberalitatis & magnificentiæ documenta dediſſe; quas virtutes deinceps turpiſſimis vitiis, faſtu, ſævitia, nefandisque libidinibus contaminarit. Quibus, excuſandi Autoris cauſa, prolatis, ad Vinicium Cs. cui Hiſtoriam ſuam nuncupavit Vellejus, progreditur Cl. Doujatius, cujus propenſam in literarum ſtudia & literatos homines voluntatem laudat, ejusque conſilio Paterculum animum ad ſcribendum appuliſſe, arbitratur. Quantum vero ad verſionem hanc Gallicam, a Noſtro adornatam, ipſe quidem, ſe in illa Autoris mentem accurate diligenterque, quantum fieri potuerit, expreſſiſſe, fidem facit. Quem in finem dicta complura, in Vellejo obvia, vernaculo ſermone copioſius expoſuit, variaque, quæ ad verborum ſententiam melius percipiendam, locosque, obſcuritate quadam laborantes, felicius intelligendos neceſſaria atque utilia eſſe videbantur, ſingularibus literarum formis diſtincta, ſupplevit. Quibus acceſſionibus, operi hinc inde immixtis, Notas ſuas, quæ in complurium fine paginarum conſpiciuntur, & commentarioli vicem ſuſtinere poſſunt, ſubjunxit. Denique depravatum ſcriptoris contextum, Lipſium, aliosque eruditos, qui Vellejum Commentariis aut Notis illuſtrarunt, plerumque ſecutus, emendavit, Urbiumque & Provinciarum memoratarum nomina, quibus hodie inſigniuntur, ſubminiſtravit. Porro in *Supplementis* ex antiquis ſcriptoribus, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Livio, Polybio, Floro, Eutropio, Oroſio, Plutarcho, Plinio, Meſſala Corvino, Aurelio Victore, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, Cornelio Nepote, Strabone, Pauſania, Juſtino, Apollodoro, Quinto Curtio & reliquis conquiſitis, Velleji veſtigiis fere inſiſtit; niſi quod veterum Græcorum, externorumque populorum res geſtas copioſius paulo pertractat. Ab obſervationibus vero Moralibus & Politicis, quas Vellejus ſæpiſſime easdem, mutatis tantum verbis, ad nauſeam usque repetiit, conſulto abſtinuit, neque in enarrandis illuſtrium perſonarum characteribus, atque elogiis, quæ ex quamplurimis veterum monimen-

mentis colligere, infiniti res fuiſſet laboris, Paterculum imitari voluit. Si quid tamen prætermiſſum a ſe, aut perperam traditum fuerit, id in altera Editione adjicere, atque a bonis rerumque harum peritis amice ſubmonitus, emendare pollicetur. De horum enim voluntate certior factus, Supplementa ſua, aut integra, aut preſſius & anguſtius, ſive etiam locupletius concinnata, in Latinum non ſolum ſermonem transferre, ſed & novam eandemque emendatiorem Latinam Vellejі Editionem, ut Hiſtoria Græca & Romana, ad imitationem probati ſcriptoris confecta & continuata, in utraque, Gallica & Latina, lingua extet, procurare animum induxit. Poſtremo cum varii ſcriptores, ad majorem lucem Tito Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Cornelio Nepoti, Juſtino, Floro, aliisque Hiſtoricis fœnerandam, Tabulas Chronologicas confecerint; Cl. Vir Vellejum quoque, perſonarum copia ac rerum multitudine reliquos facile ſuperantem, additamento hoc noluit eſſe deſtitutum. Itaque in formanda Chronologia ſua computationem annorum a Paterculo inſtitutam retinuit, ita quidem, ut errores a Librariis in deſcribendis numeris admiſſos correxerit, omnibusque circumſtantiis ſedulo examinatis, vero propiorem annos ſubducendi rationem reſtituere allaboraverit. Qua in re in nullius recentiorum Chronologorum verba ſe juraſſe; Horatii Turſellini tamen, Jacobi Uſſerii, atque inprimis Dion. Petavii, celeberrimorum in hoc ſtudii genere triumvirorum, opera uſum fuiſſe, gratus profitetur. Præterea vero Hiſtoriæ Sacræ & Judaicæ, Vellejo, homini profano, incognitæ, adeoque omiſſæ, in Tabulis hiſce mentionem quoque fecit, & quæ ad illuſtrandam eam pertinere videbantur, partim ex Fl. Joſepho, ab Andillio Gallice edito, partim vero ex Hiſtoria V. & N. Inſtrumenti, ab Abbate Regiomontio conſignata, depromi poſſe monuit, atque ad nominatos hoſce Autores Lectorem remiſit. Ceterum præcipua rerum eventorumque momenta, a ſanctioris Hiſtorici ſtudii cultoribus obſervanda, in Chronologia attulit, ſeriemque IV vulgo celebratarum Monarchiarum, cum Græciæ & Italiæ rebus conferendam, commonſtravit.

Digitized by Google

THEATRE DE LA NOBLESSE DE FLANdre & d' Artois &c.

i. e.

THEATRUM NOBILITATIS FLANDRICÆ & Arteſienſis, aliarumque Provinciarum Belgii Hiſpanici, exhibens nomina & cognomina eorum, qui a Supremis illarum Provinciarum Dominis ab Anno poſt C. N. 1424 usque ad Annum 1707 in Nobilium numerum recepti fuerunt; Autore JOANNE LE ROUX, Feciali Regio Provinciæ & Comitatus Flandriæ, itemque Rationum Curiæ Præfecto.

Inſulis, 1708, 4.

Plag. 16.

Liber hic complectitur titulos, inſignia & privilegia, quæ Nobilibus recens creatis, aut majore dignitate auctis, partim a Comitibus & Principibus, partim vero Hiſpaniæ Galliæque Regibus, tributa atque impertita, literisque ac diplomatibus ſcriptis confirmata fuerant. Plurimi vero hoc gentis ſuæ decus numerata pecunia, quidam etiam doctrinæ laude, & rerum geſtarum gloria ſibi compararunt, atque in familias ſuas Nobilitatis honorem vel inferri primum, vel eundem, obliteratum quodammodo, renovari ac amplificari curarunt. Atque horum *Catalogum* quendam ex Libris Memorialibus, qui Inſulis in Rationum Curia aſſervantur, compoſuit Autor noſter, & cum erudito Orbe communicavit. Exordium inſtituti ſui cepit anno ſeculi a C. N. XV vigeſimo quarto; deſiit autem in anno Seculi, in quod haud ita pridem ingreſſi ſumus, ſexto. Addita eſt paſſim inſignium, quibus donati ſunt Nobiles, deſcriptio, nec prætermiſſum, in vetuſtioribus imprimis, quantum illis pecuniæ cum Nobilitatis axioma conſequerentur, fuerit numerandum. Ceterum cum Theatrum hoc Anonymi imitatione, qui ſimilem operam ante paucos annos ſuſceperat in Theatro Nobilitatis Ducatus Brabantiæ, nobis A.

1708

1708 p. 255 memorato, conſcriptum videatur, optandum utique foret, paulo plus etiam in eo induſtriæ adhibitum, nec ea tantum quæ in regiſtris exſtabant, fuiſſe conſignata.

FR. ANTONINI MASSOULIE', ORDIN. PRÆDIC, Divus Thomas ſui interpres de divina motione & libertate creata.

Tomus I, A. 1707.

item

EJ. DIVUS THOMAS SUI INTERPRES DE divina motione in ordine ſupernaturali & ſtatu innocentiæ, ſeu de divinis auxiliis.

Tomus II, A. 1709.

Romæ, ex typographia Romarek, fol.

Alph. 10.

TAmetſi Scholaſticorum opera & commentationes, tædioſæ utplurimum ſuæ vel ſubtilitatis, vel obſcuritatis & prolixitatis nimiæ vitio, bilem legentibus quandoque & jecur moveant; aliquando vero præter omne meritum ſuum a novellis nugivendulis, non niſi eorum, quæ novitatem ſapiunt, amore depereuntibus, inſcite admodum contemptui & deriſui omnium exponantur: tamen cum illuſtris elapſi ſeculi controverſia de auxiliis gratiæ divinæ Janſeniana, quæ nondum deferbuit, igniculos veluti novos & vires eundo ex D. Thomæ ſchola & doctrina conceperit, vel iis non ſugillationi aut contemptui eſſe poterunt Rev. Patris, *Fr. Antonini Maſſoulié*, Conventus Tholoſani S. Thomæ Aquinatis, & Rev. Patris Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Socii, *Tomi duo* præſentes *de D. Thoma ſui interprete*, quorum e re eſt aut officio, notitiam hiſtoriæ & controverſiæ Janſenianæ pleniorem habuiſſe. Nempe cum D. Thomas, Cardinalis de Aguirre judicio, abſtruſos & controverſos Auguſtini locos de gratia divina miti, perſpicuo & ſuaviſſimo interpretationis genere illuſtraverit; ſed tamen nihiloſecius Doctoris Angelici explicationes in alium

Digitized by Google

prorſus ſenſum, quam quem aut ipſe aut Auguſtinus olim intendit, a Janſenianis detorqueantur; & præterea id criminis Thomiſtis hodie objiciatur, quod in doctrina de gratiæ divinæ prævia motione non Thomam, magiſtrum ſuum, ſed potius Bannem ducem ſequantur: inde ab injuria hac non felicius Thomam ſuum ejusque aſſeclas vindicari poſſe Rev. P. Maſſoulie cenſuit, quam ſi Thomam per ipſum Thomam explicaret, eumque miſſis tricis in doctrina de gratia divina tanquam ſui ipſius interpretem fidum præſentibus duobus Tomis ſiſteret, quorum uterque binas Commentatoris noſtri diſſertationes complectitur. In prima *Tomi prioris* Diſſertatione Autor tractat *de divina motione in ordine naturali & morali*, hujusque doctrinæ enucleationem VIII quæſtionibus includit. Et Qv. I quidem ex Theologorum Pontificiorum, a quibus ſtudiorum Societatis ſuæ ratio quondam inſtituta eſt, nec non ex Molinæ, Suarezii, Bellarmini aliorumque teſtimoniis probat, motionem gratiæ divinæ præviam a D. Thoma fuiſſe admiſſam. Ubi tamen p. 2 non diſſimulat, quod in libello perraro de ratione ſtudiorum Societatis ſuæ, qui Romæ olim A. 1586 fuit editus, & nunc Tholoſæ in conventu D. Thomæ Aquinatis aſſervatur, totius Societatis Theologis facultas conceſſa ſit recedendi ab ea Thomæ ſententia, quæ ſtatuit: cauſas omnes ſecundas, cum agunt, & ut agant, a Deo moveri & applicari, Deumque ita in eas influere, ut ſint proprie tantum inſtrumenta. Qv. II, quid prædeterminationis aut præmotionis phyſicæ voce Thomas ſignificet? Maſſoulié exponit; & Qv. III, utrum Deus operetur in operatione naturæ? ſeu quatuor modos, quibus Deus, ex Thomæ ſententia, cum cauſis ſecundis concurrit, expendit, inſimulque varia argumenta, præviæ Dei motioni in operatione naturæ obſtare viſa, ſolvit. Qu. IV, non retractatam fuiſſe a D. Thoma ſententiam de divina motione in ordine naturæ, ſed eam ab ipſo quoque D. Auguſtino fuiſſe admiſſam, contendit; idemque Qu. V ex ſumma Thomæ contra Gentiles confirmat. Qu. VI ad divinam præmotionem in ordine morali ſe convertit, a D. Thoma pariter aſſertam; & Qu. VII exceptiones adverſariorum contra motionem in ordine

dine

dine morali diſcutit. Sed Qv. VIII eaque ultima argumenta, quæ D. Thomas ſibi ipſi contra præmotionem tum phyſicam tum moralem fecerat, recenſet & cum Thoma etiam diluit, iſtud una dogma D. Auguſtini & D. Thomæ p. 185 & 190 ſolide contra Janſenium adſtruens: „juſte imputari homini, quod non „agat, etſi careat efficaci auxilio neceſſario ad agendum; quia „homo habeat auxilium ſufficiens, quo agere poſſit; ut adeo „ſi homini deſit efficax auxilium, illud ipſi non aliam ob cau- „ſam denegatum ſit, quam propter peccatum antecedens, vel „ſaltim originale. Diſſertatione Tomi prioris altera Rev. P. Maſſoulié doctis admodum commentationibus de *libertate creata* tractat. Cum enim motioni divinæ, a Thoma & Thomiſtis hactenus aſſertæ, nihil magis, ad minimum in ordine morali, repugnare videretur, quam libertas voluntatis a Thoma pariter admiſſa; jam neceſſe omnino videbatur, ut libertatis hujus cum divina motione concordia oſtenderetur. Quod ut eo felicius fieret, Autor Qu. I veræ libertatis notionem & definitionem ex Thoma ſuo tradit, eam per vim electivam mediorum, ordine finis temperatam, definiendo; & Qu. II, libertatem arbitrii, conſilii, beneplaciti, aliasque libertatis ſpecies explicat, libertatem a peccato vere & proprie ſic dictam libertatem pronuntiando. Qu. III libertatis indifferentiam enucleat, & varias objectiones, contra hanc indifferentiam ex ipſo Thoma motas, deſtruit; idemque argumentum Qu. IV perſequitur. Qu. V & VI libertatis perfectionem exponit; & in illa quidem libertatem perfectiorem in Deo quam in Angelo; in Angelo perfectiorem quam in Adamo; in Adamo quam in ceteris hominibus; & in juſtis quam in peccatoribus eſſe demonſtrat; in hac vero divina motione voluntatem hominis perfici, inter cetera aſſerit, quia divina motione agitur voluntas hominis, ut agat; & quia motio applicat voluntatem, & aufert indifferentiam paſſivam. Qu. VII in demonſtranda ex D. Thoma divinæ motionis cum libertate humana concordia totus eſt, & p. 355 eum Philoſophorum & Hæreticorum quorundam errorem notat: „certitudinem divinæ providentiæ cum „libertate hominis jungi non poſſe. Qu. VIII concordiam

libertatis Chriſti cum impeccabilitate & præcepto a Patre impoſito ex Thoma eruit; & Qu. IX Thomiſtarum de divina motione ſententiam Concilii Tridentini conſenſu confirmat, utpote quod inter reliqua Can. III Seſſ. VI aſſerat: „Hominem „ſine præveniente Spiritus S. inſpiratione credere non poſſe. Et hæc ſunt, quæ Tomo primo continentur.

Succedit jam *alter Tomus*, paulo recentior, cujus Diſſertatione priori, ordine alioquin Autoris noſtri tertia, agitur de *motione divina in ordine ſupernaturali*; hincque ubi initio doctrina de gratia ſufficiente ex D. Auguſtino & D. Thoma aliisque Patribus Qu. I expoſita fuit & confirmata, Qu. poſtmodum II de gratia efficaci, motione ſupernaturali & auxiliis divinis tractatio inſtituitur, ita quidem, ut articulo quæſtionis hujus 3, Deum primam, præviam & phyſicam cauſam omnis perfectionis, neceſſitatis, contingentiæ & libertatis; art. 7, divinam motionem & gratiam per ſe efficacem eſſe, non indifferentem; voluntatem tamen determinare, ſuaque vi ipſam actuum libertatem efficere; hincque art. 9, Deum in cauſis ſecundis concurſum ac motionem temperare; non vero concurſum divinum a cauſis ſecundis determinari, Autor cum Thoma aſſerat. Atque ex his præſuppoſitis art. 18 concludit: Deum non eſſe, nec dici poſſe principalem cauſam actionis bonæ, niſi ratione ſolius motionis præviæ & prævenientis gratiæ effectricis & præoperantis. Cum qua concluſione conferri meretur explicatio loci Matth. XI, 12 væ tibi Corozain &c. quam Autor art. 26 ex Thoma affert. Qu. III, IV, V & VI quatuor peculiares modi, divinæ motionis & gratiæ efficaciam juxta Thomam explicandi, enodantur. Et Qu. VII hujus Diſſertationis eam Autor ſententiam ex Thoma impugnat, quæ ablegata ſcientia media & ſepoſitis motionibus præviis, divinæ gratiæ efficaciam in multitudine motionum moralium reponit. Diſſertatione Tomi ſecundi altera, ſeu in ordine totius operis quarta, *divinam motionem in ſtatu innocentiæ* Autor evolvit; hincque Qu. illico I, divinam motionem & gratiam efficacem æque in Adamo & in Angelis, ac in Chriſto & B. Virgine, fuiſſe adverſus Janſenium contendit, nulloſque a Janſenii

ſenii

ſenii erroribus remotiores monet, quam ipſius Thomæ diſcipulos genuinos. Qu. II ex variis innocentiæ & ſanctitatis privilegiis collatam fuiſſe Adamo efficacem per ſe gratiam oſtendit, unaque, quæ fuerit in Angelis viatoribus, Autoribus Canonicis & Prophetis libertas, ſententiam ſuam exponit. Et Qu. denique III ac ultima articulis variis objectam Thomiſtis cum Janſenii erroribus D. Thomæ conſenſionem evertit. Inde enim art. 2 & 3, p. 352, ſigillatim demonſtrat, quod prima illa Janſenii propoſitio: „Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas ha„bent, vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua„„poſſibilia fiant; a D. Thoma jam fuerit prædamnata; & art. inſequente 4 gratiam nullam ſufficientem a Janſenio admiſſam, oſtendit. Art. 5 ſecundam Janſenii propoſitionem: „Inte„„riori gratiæ nunquam reſiſtitur; a doctrina Scholæ D. Thomæ longiſſime abeſſe commonſtrat. Art. 6 tertiam Janſenii propoſitionem: „Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ„„ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas„ a coactione; principiis D. Thomæ repugnare oſtendit. Art. 7 quartam Janſenii propoſitionem: „Semi-Pelagiani admitte-„ bant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam„ ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam,„ gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel„ obtemperare; adverſam quoque eſſe Scholæ D. Thomæ indicatur. Art. 8 quintam Janſenii propoſitionem: „Semi-Pe„ lagianum eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omnino homini-„ bus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe; a doctrina itidem Thomæ quam remotiſſimam eſſe, Autor comprobare allaborat. Et Art. ultimo argumentum ex Thomæ Turci, Generalis Ordinis F. F. Prædicatorum, & Thomæ de Lemos auctoritate deſumptum diſſolvit.

JOHANNIS KEILL, EX ÆDE CHRISTI Oxon. A. M. Leges Attractionis, aliaque Phyſices principia.

Excerpta ex Tranſ. Anglic. A. 1708 Menſ. Maj. & Jun. N. 15. p. 97 & ſqq.

Po-

Ponenda ſunt fundamenti loco hæc tria, quibus omnis Phyſica innititur, principia, 1 ſpatium inane, 2 quantitatis in infinitum diviſibilitas, 3 materiæ vis attractrix. Dari ſpatium inane conſtat ex motu corporeo. Quantitatis in infinitum diviſibilitatem ex continuæ quantitatis natura demonſtrant Geometræ. Materiæ ineſſe vim attractricem, confirmat experientia. Ex duobus primis principiis ſequitur.

Theorema I. *Materia exigua qualibet particula poteſt ita ſpatium quantumvis largum occupare, ut pororum ſeu omnium meatuum diametri ſint data recta minores, vel ut particulæ omnes ſint a ſe invicem remotæ intervallo data recta minore.*

Theorema 2. *Dari poſſunt duo corpora mole æqualia, at pondere ſeu denſitate (id eſt, quantitate materiæ) utcunque inæqualia, in quibus erunt meatuum ſeu pororum ſummæ fere æquales.* Sit v. g. digitus cubicus alter auri, alter aeris: quamvis materia in cubo aureo viceſies millies ſuperet materiam in cubo aereo, fieri tamen poteſt, ut ſpatia vacua in digito cubico auri ſint fere æqualia ſpatiis vacuis in digito cubico aeris, ſc. ut auri vacuitates ſint ad vacuitates aeris ut 999999 ad 1000000.

Theorema 3. *Particulæ, quæ aquam vel aerem vel alia ejusmodi fluida conſtituunt (ſi ſe mutuo tangant) non ſunt abſolute ſolidæ, ſed ex aliis compoſitæ particulis multos meatus & poros intra ſe continentibus.* Particulæ corporum minimæ & abſolute ſolidæ, hoc eſt vacui omnino expertes, vocentur *primæ compoſitionis*; moleculæ ex pluribus hiſce particulis coaleſcentibus ortæ vocentur *particulæ ſecundæ compoſitionis*; moles ex pluribus moleculis coeuntibus conflatæ vocentur *particulæ tertiæ compoſitionis*, & ſic deinceps, donec tandem perventum fuerit ad particulas, e quibus corporum fit ultima compoſitio, & in quas eorundem fit prima reſolutio. Materiæ ineſſe vim attractricem, qua omnis materiæ particula trahit ad ſe omnem aliam materiæ particulam & viciſſim trahitur, primus ex phænomenis collegit Dn. *Iſaacus Newtonus.* Vis hæc data materia in diverſis diſtantiis reciproce proportionalis eſt

eſt quadratis diſtantiarum, ex qua oritur vis illa quam *gravitatem* dicimus, qua corpora omnia terreſtria ad terram recta feruntur, eſtque pondus corporum quantitati materiæ ſemper proportionale. Prolata hac, quam ipſe primus detexit, materiæ vi attractrice, omnes Planetarum motus cometarumque apparitiones pulcherrime explicavit, Phyſicamque cœleſtem feliciſſime conſummavit. Divina ſagaciſſimi Viri inventa ſæpenumero mecum recolens, in eam tandem cogitationem incidi, principium quoddam *Newtoniano* non abſimile ad phænomena terreſtria explicanda adhiberi poſſe. Poſt iterata ſæpius experimenta, materiæ terreſtri ineſſe deprehendi vim quandam attractricem, ex qua plurimorum phænomenorum ratio petenda eſt, meaque hac de re cogitata abhinc quinquennio Dn. *Newtono* indicavi; ex eo autem intellexi, eadem fere, quæ ipſe inveſtigaveram, ſibi diu ante animadverſa fuiſſe. Quæſtiones aliquot ad hanc vim attractricem ſpectantes ſub finem Optices, abhinc biennio Latine editæ, propoſuit Dn. *Newtonus*. In præſentiarum nuda quædam theoremata proponam, quæ fortaſſe aliquando fuſius enuntiata & demonſtrata juſto volumine ſum traditurus.

THEOREMA 4. *Præter vim illam attractricem, qua Planetarum Cometarumque corpora in propriis orbitis retinentur, alia ineſt materiæ potentia, qua ſingulæ, ex quibus illa conſtat, particulæ ſe invicem attrahunt, & reciproce a ſe invicem attrahuntur: quæ vis decreſcit in majore quam duplicata ratione diſtantiæ augeſcentis.* Theorema hoc multis probari poteſt experimentis; at ratio, qua minuitur vis illa, dum a ſe invicem recedunt particulæ, num ſcilicet ſit triplicata, quadruplicata, vel alia quævis diſtantiarum augeſcentium ratio, quæ major ſit duplicata, nondum æque per experimenta patet; erit fortaſſe aliquando tempus, cum accuratiore adhibita diligentia innoteſcet.

THEOREMA 5. *Si corpus conſtet ex particulis, quorum ſingulæ vi pollent attractrice, in triplicata vel pluſquam triplicata ratione diſtantiarum decreſcente; erit vis, qua ab eo corpora urgetur corpuſculum, in ipſo contactu vel intervallo a con-*

tactu infinite exiguo infinite major, quam ſi corpuſculum illud ad datam a dicto corpore diſtantiam locaretur. Vide Prop. 80 & 91 Princip. Newtoni.

Theorema 6. *Iisdem poſitis, ſi vis illa attractiva in aſſignabili diſtantia ad gravitatem obtineat rationem finitam; eadem in ipſo contactu vel in diſtantia infinite parva vi gravitatis erit infinite major.*

Theorema 7. *Si vero in ipſo contactu vis corporum attractiva ad gravitatem obtineat rationem finitam, eadem in omni diſtantia aſſignabili eſt vi gravitatis infinite minor adeoque evaneſcit.*


Theorema 8. *Vis attractiva, qua pollent ſingulæ materiæ particulæ in ipſo contactu, vim gravitatis prope in immenſum ſuperat; non tamen eſt vi gravitatis infinite major, adeoque in data diſtantia vis illa evaneſcet.* Vis igitur hæc materiæ ſuperaddita nonniſi per ſpatiola admodum exigua diffunditur; in majoribus diſtantiis prorſus nulla eſt. Unde motus corporum cœleſtium, (quæ longis intervallis a ſe invicem disjuncta ſunt) per vim hanc attractivam nulla ratione turbari poſſunt, ſed eadem ratione continuo peraguntur, ac ſi vis illa a corporibus iis prorſus abeſſet.

Theorema 9. *Si corpuſculum aliquod corpus tangat, vis, qua urgetur illud corpuſculum, hoc eſt, vis, qua cum eo corpore cohæret, erit quantitati contactus proportionalis: Nam partes a contactu remotiores nihil conferunt ad cohærentiam.* Adeoque pro vario particularum contactu varii orientur cohærentiæ gradus, omnium autem maxime ſunt vires cohærentiæ, quando ſuperficies, in quibus ſe invicem tangunt corpora, planæ exiſtunt, quo in caſu ceteris paribus vis, qua corpuſculum cum aliis cohæret, erit ut ſuperficierum partes ſeſe tangentes. Hinc patet ratio, cur duo marmora exactiſſime polita & ſeſe ſecundum ſuperficies planas tangentia a ſe invicem divelli non poſſunt niſi a pondere, quod gravitatem aeris incumbentis multum ſuperat. Hinc etiam decantatiſſimi iſtius problematis de cohærentia materiæ ſolutio elici poteſt.

Theorema 10. *Ea corpuſcula facillime a ſe invicem ſepa-*

ſeparantur, quorum contactus cum aliis ſunt pauciſſimi & minimi; quales contingere ſolent in corpuſculis ſphæricis infinite exiguis. Hinc fluiditatis ratio redditur.

THEOREMA 11. *Vis, qua corpuſculum aliquod ad aliud corpus maxime propinquum attrahitur, quantitatem ſuam non mutat, ſive augeatur corporis attrahentis materia, ſive minuatur, eadem manente corporis denſitate & corpuſculi diſtantia.* Nam cum vires particularum attractrices per minima tantum diffundantur ſpatia; liquet, partes remotiores ad C, D & E nihil conferre ad attrahendum corpuſculum A. Adeoque eadem vi verſus B trahetur corpuſculum ſive adſint hæ partes, ſive amoveantur, ſive denique aliæ ipſis conjungantur.



THEOREMA 12. *Si ea ſit corporis alicujus textura, ut particulæ ultimæ compoſitionis per vim quandam externam (qualis eſt pondus eas comprimens, vel ab altero corpore proveniens ictus) a primigeneis ſuis contactibus paululum dimoveantur, nec interim in novos contactus commigrent, particulæ per vim attractivam ſeſe mutuo petentes ad contactus primigenios cito redibunt: iisdem vero redeuntibus particularum corpus quodvis componentium contactibus & poſitionibus eadem quoque redibit corporis figura; adeoque per vim attractivam corpora priſtinas, quas amiſerunt, figuras poſſunt denuo recuperare.* Hinc elaſticitatis ratio reddi poteſt. Cum autem per vim elaſticam corpora in ſe invicem impingentia a ſe mutuo reſiliant (uti demonſtratum eſt in Lectionibus noſtris Phyſicis) a vi attractiva corporum oriri etiam debet eorundem a ſe invicem diſceſſus.

THEOREMA 13. *Quodſi ea ſit corporis textura, ut particulæ a prioribus contactibus per vim impreſſam dimotæ in alios, qui ejusdem ſunt gradus, immediate deveniant, corpus illud in priſtinam figuram ſe reſtituet.* Hinc qualis ſit textura, in qua corporum mollities conſiſtit, intelligi poteſt.

THEOREMA 14. *Particulæ materiæ pro diverſa ipſarum ſtructura & compoſitione diverſis pollebunt viribus attractivis,*

Digitized by Google

ctivis, puta non erit aque fortis attractio, cum particula data magnitudinis pluribus perforata ſit meatibus ac ſi omnino ſolida & vacui expers eſſet.

THEOREMA 15. *Particularum perfecte ſolidarum vires attractivæ ex figuris ipſarum multum pendent.* Nam ſi parva aliqua materiæ particula in laminam circularem indefinitæ exiguæ craſſitudinis formetur & corpuſculum in recta per centrum transeunte & ad planum circuli normali locetur; ſitque diſtantia corpuſculi æqualis decimæ parti ſemidiametri circuli: vis, qua urgetur corpuſculum, tricesies minor erit, quam ſi materia attrahens coaleſceret in ſphæram & virtus totius particulæ ex uno quaſi puncto Phyſico diffunderetur. Quin etiam eadem circularis lamella fortius ad ſe trahit corpuſculum, quam aliæ ejuſdem ponderis particula, quæ in tenuem & longum formatur cylindrum.


THEOREMA 16. *Sales ſunt corpora, quorum particulæ ultimæ compoſitionis magna vi attractiva pollent, inter quas tamen particulas plurimi interjacent meatus, particulis quas habet aqua ultimæ compoſitionis pervii: quæ igitur a ſalinis particulis fortiter attractæ, in eas cum impetu ruunt & a mutuo contactu eos disjungunt, cohærentiamque ſalium diſſolvunt.*

THEOREMA 17. *Si corpuſcula duo viribus attractivis decreſcentibus in triplicata aut pluſquam triplicata ratione diſtantiarum ſe mutuo petunt, erit velocitas in ſe invicem impingentium infinite major quam in dato intervallo.* Vide Prop. 39 Princip. Newtoni.

THEOREMA 18. *Corporis aqua gravioris eo usque diminui poteſt magnitudo, ut tandem in aqua ſuſpenſum maneat, nec vi gravitatis deſcendat.* Hinc patet ratio, cur particulæ ſalinæ, metallicæ & aliæ ejuſmodi in minima redactæ in ſuis menſtruis ſuſpenſæ hæreant.

THEOREMA 19. *Corpora majora minore velocitate ad ſe invicem accedunt, quam minora.* Vis enim, qua ſe mutuo petunt corpora A & B, particulis maxime propinquis tantum in-

ineſt, remotiorum quippe vires nullæ ſunt. Non igitur major vis adhibetur ad movenda corpora A & B quam ad particulas c & d movendas, ſed corporum eadem vi motorum velocitates ſunt corporibus reciproce proportionales:



unde erit velocitas, qua corpus A tendit verſus B, ad velocitatem, qua particula c a corpore ſoluta verſus idem B tenderet, ut particula c ad corpus A. Multo igitur minor eſt velocitas corporis A quam foret velocitas particulæ c a corpore ſolutæ. Hinc fit, ut corporum majorum motus ſua natura adeo languidus & lentus ſit, ut ab ambiente fluido & aliis circumjacentibus corporibus plerumque impediatur. In minimis vero corpuſculis viget virtus & ab iis plurimi producuntur effectus: tanto plus energiæ minoribus ineſt corporibus, quam majoribus. Hinc patet ratio iſtius axiomatis Chymici: Sales non agunt niſi ſoluti.

THEOREMA 20. *Duo corpuſcula ſeſe contingentia, adeo ſibi vicina locari poſſunt, ut vis, qua ſe mutuo petunt, vim gravitatis multum ſuperet.*

THEOREMA 21. *Si corpuſculum in fluido locatum a particulis ambientibus undique æqualiter trahatur, nullus exinde orietur corpuſculi motus, quod ſi ab aliis particulis magis, ab aliis minus urgeatur, ad eam partem tendet corpuſculum, ubi major eſt attractio: & motus productus inæqualitati attractionis reſpondebit, ſcilicet in majore inæqualitate major erit motus, in minore minor.*

THEOREMA 22. *Corpuſcula in fluido natantia & magis ſe invicem trahentia quam fluidi particulas interjectas, depulſis fluidi particulis ad ſe invicem accedent ea vi, qua ipſorum attractio mutua ſuperat attractionem particularum fluidi.*

THEOREMA 23. *Si corpus aliquod in fluido locatur, cujus partes fluidi particulas magis ad ſe trahunt, quam fluidi particulæ a ſe invicem trahuntur, ſintque in corpore meatus plurimi particulis fluidi pervii, per hos meatus fluidum illud*

 cito

cito ſe diffundet; & *ſi partium in corpore connexio non tam firma ſit, quin ab impetu irruentium particularum ſuperari poſſit, orietur exinde corporis immerſi diſſolutio.* Hinc ut menſtruum dato corpori diſſolvendo ſit idoneum, tria requiruntur, 1 ut partes corporis particulas menſtrui magis ad ſe trahant, quam eæ a ſe invicem trahuntur; 2 ut corpus habeat meatus particulis menſtrui patentes & pervias; 3 ut cohærentia particularum corpus conſtituentium tanta non ſit, quin ab impetu irruentium particularum menſtrui divelli poſſit. Hinc quoque conſtat, particulas ſpiritum vini conſtituentes magis a ſe invicem trahi, quam a particulis corporis ſalini in ſpiritu vini demerſi.

THEOREMA 24. *Si corpuſcula in fluido natantia & ſe invicem petentia elaſtica ſint, poſt congreſſum a ſe mutuo reſilient & inde in alia corpuſcula rurſus impingentia denuo reflectentur: ex quo fient innumeri alii cum aliis corpuſculis conflictus continuaque reſilitiones. Per vim autem attractivam continuo augebitur corpuſculorum velocitas & ſenſui patebit partium motus inteſtinus; ſed prout fortius aut imbecillius ſe invicem trahunt corpuſcula & pro varia, qua pollent, elaſticitate, varii erunt hi motus & diverſis gradibus atque temporibus fient ſenſibiles.*

THEOREMA 25. *Si corpuſcula ſe invicem trahentia ſe mutuo contingant, nullus orietur motus; propius enim accedere nequeunt. Si ad exiguum admodum a ſe invicem ſeponantur ſpatium, orietur motus; ſed ſi longius diſtent, non majore vi ſe invicem trahent, quam fluidi particulas interjectas, adeoque nullus producetur motus.* Ex his principiis pendent omnia fermentationis & efferveſcentiæ phænomena. Hinc patet ratio, cur oleum vitrioli, cui paululum aquæ immittitur, efferveſcit atque ebullit: corpuſcula enim ſalina infuſa aqua a mutuo contactu paululum dimoventur, unde cum magis ſe invicem trahant quam aquæ particulas, & cum undique æqualiter non trahuntur, motum exinde oriri neceſſe eſt. Hinc etiam liquet ratio, cur tanta cietur ebullitio, cum limatura chalybis mixturæ ſupradictæ injicitur: particulæ enim chalybis magna pollent

Digitized by Google

lent elaſticitate, unde valida oritur reflexio. Hinc etiam videre eſt, cur menſtrua quædam fortiori vi agunt citiusque corpus aliquod diſſolvunt, ſi aqua dilutiora fiant.

THEOREMA 26. *Si corpuſcula ſe mutuo attrahentia vi elaſtica careant, a ſe invicem non reflectuntur; ſed congeries ſeu moleculas particularum efficient, unde fiet* coagulum: *Et ſi particularum ſic coacervatarum gravitas ſuperet gravitatem fluidi, ſuccedet quoque* præcipitatio. *Oriri quoque poteſt præcipitatio ex aucta vel diminuta gravitate menſtrui, in quo natant corpuſcula.*

THEOREMA 27. *Si corpuſculorum ſeſe invicem attrahentium & in fluido natantium ea ſit figura, ut in datis quibusdam ipſorum partibus majori vi attractiva polleant quam in aliis, & major ſit in iisdem contactus; corpuſcula illa coibunt in corpora datas figuras habentia & inde emergent chryſtalliſationes; corpuſculorumque componentium figura ex data figura chryſtalli per Geometriam determinari poſſunt.*

THEOREMA 28. *Si corpuſcula magis trahantur a fluidi particulis, quam a ſe invicem, fiet ut quaſi ſe mutuo fugientes a ſe invicem recedant, & per omne fluidum cito diffundentur.*

THEOREMA. 29. *Si inter duas fluidi particulas aliquod intercedat corpuſculum, cujus binæ oppoſitæ facies maximis pollent viribus attractivis, hoc interjectum corpuſculum particulas fluidi ſibi agglutinabit; & plura iſtiusmodi corpuſcula per fluidum diffuſa ejus particulas omnes in corpus firmum compingent fluidumque in glaciem reducent.*

THEOREMA. 30. *Si corpus aliquod maximam emittat effluviorum copiam, quorum vires attractrices ſunt fortiſſimæ; cum effluvia hæc corpori alicui leviuſculus appropinquent, ipſorum vires attractrices gravitatem corporis levioris tandem ſuperabunt; & effluvia corpus illud ad ſe ſurſum trahent; cumque multo magis conferta ſunt effluvia in minoribus ab emittente corpore diſtantiis quam in majoribus; corpus leve verſus denſiora effluvia ſemper urgebitur, donec tandem ipſi corpori effluvia imittenti adhæreat.* Hinc plurima *Electricitatis* phænomena explicari poſſunt.

Con-

Contra noſtram hanc de viribus attractricibus doctrinam fortaſſe objiciet aliquis, ſi vis attractrix omni ineſſet materiæ, corpora ponderoſiora & plus materiæ in dato ſpatio habentia plus debere attrahere, quam corpora minus gravia, quod experientiæ repugnat. Sed huic objectioni facile reſpondetur. Particulæ ſcilicet ultimæ compoſitionis (quibus ſalis tribuitur vis attractrix) confertim juxta ſe invicem locatæ poſſunt corpus ponderoſum conſtituere, etiamſi ipſæ in ſe ſint rariores quam eæ, quæ corpus leve conſtituunt ultimæ compoſitionis particulæ, a ſe invicem remotiores, & plures & patentiores meatur inter ſe habentes.

Alia multa ſunt Naturæ phænomena, quæ mihi videntur iisdem principiis explicari poſſe, uti aſcenſus ſucci in plantis & arboribus, foliorum & florum determinatæ & conſtantes figuræ, eorumque virtutes ſpecificæ &c. Multa quoque, quæ in corpore animali quotidie occurrunt; præcipue quæ ad fluidorum curſus ſecretionesque ſpectant, ab iisdem materiæ qualitatibus pendent, & hinc morborum theoriæ & medicamentorum effectus optime eruuntur.

LES ELEMENS D' EUCLIDE.

h. e.

ELEMENTA EUCLIDIS, AUTORE R.P. DECHALES, e Societate Jeſu. Editio nova, reviſa, correcta & aucta ab OZANAMO, ex Acad. Regia Scientiarum.

Pariſiis, apud Claudium Jombertum, 1709, in 12.

Conſtat plag. 12 & Tabb. æn. 16.

OCto *Euclidis* Elementa, quæ dudum edidit *Dechales*, tyronibus ſemper præ aliis editionibus commendata, quod mira facilitate explicata ſint, ſingularumque propoſitionem uſus per reliquas Matheſeos partes indicetur. Sed ultra ducenta ſphalmata librariorum incuria in editiones priores irrepſerant: quæ cum in hac editione feliciſſime ſublata ſint, eam ideo hic commemorandam eſſe duximus. An vero prudenter factum ſit, quod contra intentionem Autoris figuræ, textui ab eodem inſertæ, ſeorſim exhibentur, facile judicabunt, quibus rationes, cur eas textui inſeruerit, ex Mundo ipſius Mathematico perſpectæ.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. VII.

NOUVEAU THEATRE D'ITALIE &c.
i. e.
NOVUM ITALIÆ THEATRUM, SEU DEſcriptio accurata urbium, palatiorum, templorum, & tabularum Geographicarum, cunctas Italiæ Provincias repræſentantium; juxta inſtitutum JOHANNIS BLEAU, Senatoris Amſtel.

Tomi IV.

Amſtelodami, cura Petri Mortier, Bibliopolæ, 1704. in fol. ch. auguſtiſſ.

Conſtat plag. 19 & figg. æn. elegantiſſ. 321.

CEleberrimum quondam nomen fuit *Johannis Bleau*, qui & majores Atlantes, ut vocat, & Theatra urbium incredibili labore & ſumtu immenſo collegit. Dolendum vero, quod cœptum opus continuare haud potuerit, coorta quippe in ejus Typographia ſubita rerum omnium, quas collegerat, conflagratione. At tabulas ab incendio illo ſervatas, quæ Italiam imprimis concernunt, diligenti hactenus cura collegit Bibliopola Amſtelodamenſis Mortier, pluresque addidit, quæ in Italia, & maxime Romæ inciſæ, vel ad vivum depictæ ſunt, quibus etiam chartæ Geographicæ plures acceſſere, præmiſſa vel ſubjecta brevi tabularum deſcriptione. Conſiſtit vero hoc Italiæ, quod repræſentamus, Theatrum quatuor Volu-

Digitized by Google

minibus, quorùm primum Genuam, Marchionatum Montisferrati, Ducatus Mediolani, Parmæ, Mutinæ ac Mantuæ, Venetiarum Statum & Principatum Tridentinum, cum Lucca & Florentia; ſecundus ſtatus Eccleſiaſtici oppida præcipua, una cum tractu Avenionenſi; tertium Neapolitanum Regnum univerſum ac Siciliam, cum vicinis Inſulis, Sardinia, Rhodo aliisque; quartum denique exactam urbis Romæ delineationem, nimirum theatra, amphitheatra, circos, arcus triumphales, templa, pyramides, ſepulcra, palatia, obeliſcos & id generis alia pulcerrime depicta repræſentat.

THE HISTORY OF GREECE.

i. e.

HISTORIA GRÆCIÆ. VOLUMEN I, Continens intervallum annorum circiter 1660, inde a primis Græciæ originibus usque ad bellum Peloponneſiacum; Autore THOMA HIND M. A. & Collegii Lincolnienſis Socio in Academia Oxonienſi.

Londini, apud S. & J. Sprint, 1707, 8.
Alph. 1 pl. 7.

QUam Græciæ hiſtoriam & antiquitates præter Wolfg. Lazium, Jac. Palmerium & Ubbonem Emmium, Jo. Meurſius inprimis illuſtravit, eam inter Anglos Viri eruditiſſimi commentando perſecuti ſunt, nominatim Franciſcus Rous in Archæologia Attica, repetitis vicibus excuſa, & Joannes Potterus, Profeſſor hodie Theologus Oxonienſis, in Archæologia Græca, Anglice primum Oxonii A. 1699, iterumque ibidem cum Acceſſionibus 1706 edita, ac Latine ex editione priore Tomo XII Antiquitatum Græcarum Cl. Gronovii inſerta. His nunc accedit Cl. Hind, qui, cum hiſtoriam Græciæ omnibus numeris abſolutam Anglico ſermone nondum exſtare videret, nec quæ ab Ubbone Emmio de hoc argumento perſcripta ſunt, argumentum ampliſſimum exhaurire exiſtimaret, operæ pretium ſe facturum arbitratus eſt, ſi rem a primis originibus repeteret,

peteret. Præſens Volumen hiſtoriam annorum 1660 complectitur, & bellum Peloponneſiacum attingit, tribusque Libris comprehenditur. Primus eorum Mythica Græciæ tempora & res inde ab origine Regni Sicyonii usque ad Trojam expugnatam geſtas, quæ intervallo nongentorum circiter annorum continentur, perſequitur. Liber II a capta Troja usque ad pugnam Marathoniam, quæ ſeptingentis annis a Trojæ expugnatione diſtinguitur, decurrit. Liber III intervallum ſexaginta annorum, inter pugnam illam Marathoniam & bellum Peloponneſiacum interjectorum, exhaurit. Totam autem Græciæ hiſtoriam, alio Volumine abſolvendam, Cl. Autor ſub finem Introductionis huic Tomo præmiſſæ in quatuor periodos diſtinxit, quarum prima annorum 900 usque ad expugnatam Trojam producitur, altera annorum 700 aſſequitur pugnam Marathoniam, tertia annis 170 cum Alexandri morte abſolvitur, quarta deniq; res intra 155 annos geſtas comprehendit. Eadem fere diviſione cum alios tum inprimis Tourrelium in erudita diſſertatione, quam Gallicæ verſioni Philippicarum Demoſthenis præmiſit, uti meminimus. In ipſa Introductione Autor concinnam & ſummariam tractationem de originibus & primis incolis Græciæ eorumque moribus & inſtitutis ſuſcipit, ex qua nonnulla delibabimus. Obſervat itaque, Græciam primis temporibus eam Theſſaliæ partem dictam eſſe, quæ poſtea Phthiotidis nomine ſit appellata. Procedente vero ætate multo latior fuit Græciæ notio, adeo ut Peloponneſus, Epirus, Macedonia, Creta & aliæ inſulæ his contiguæ ſub hoc nomine comprehenderentur, quod tandem, cum coloniæ deducerentur, ipſi etiam Siciliæ & maritimis Italiæ Aſiæque locis commune fuit. Communiſſima tamen Græciæ acceptio anguſtioribus limitibus coercetur. In originem nominis Græcorum inquirens Cl. Autor, non videtur p. 3.
alienus ab eorum ſententia, qui Græcos primo Jonum ſive Jaonum nomine appellatos cenſent, quod quamvis ipſi ab Ione Xuthi filio deducant, rectius tamen a Javane, quarto Japheti filio, derivabitur, qui primus Græciam incoluit. Etymologiæ huic majorem veri ſpeciem conciliari poſſe putat, ſi perpendamus, inter nomen Hebraicum יון, ſine receptis hodie vocalibus conſide-

ſideratum, & Græcum Ἰὼν manifeſtam & clariſſimam analo-
giam intercedere. Neque huic ſententiæ Moſen Gen X, 5
adverſari oſtendit. Neque obſtat, inter Græcos potiſſimum
Athenienſes, &, quæ illis debentur, Colonias Jonum nomine
venire, cum a gentibus aliis omnes Græciæ incolas eodem Jo-
num nomine dictos fuiſſe, ex Heſychio & Scholiaſta Ariſto-
phanis, imo ipſa Scriptura Sacra, Dan. VIII, 21, X, 20, XI, 2
& Jeſaiæ LXVI, 19 per Javan Græciam deſignante, appareat.
p. 5. Hac re confecta recenſetur Eduardi Stillingfleeti, Epiſcopi
quondam Vigornienſis, ex III, 4 Originum Sacrarum ſententia,
Epiphanii teſtimonio innixa, & a Grotio L. 3. de Jure B, & P.
ac Salmaſio de Lingua Helleniſtica approbata, qua ſtatuitur, ve-
rum Græcæ gentis, quatenus illos etiam comprehendit, qui
poſt primam originem Græciam incoluerunt, auctorem eſſe
Phalegum, a quo per barbaram Scytharum gentem deſcende-
rit. Allatis pro hac ſententia ipſorum inventorum ejus argu-
7. mentis obſervat Autor, conjecturis hæc omnia contineri, adeo-
que de eo potius laborandum eſſe, ut innoteſcat, quos ipſi
Græci antiquiſſimos Græciæ incolas fuiſſe putarint. Strabo
lib. VII p. 321 huc refert Dryopas, Cauconas, Lelegas, Aonas,
Temmicas, Hyantas, qui tamen rectius a Caribus derivantur,
quos frequentes excurſiones in Græciam feciſſe, autor eſt
Thucydides lib. I. Pelasgi tamen & antiquitate & amplitudi-
ne reliquas Græciæ gentes ſuperaſſe videntur, qui primo ſe-
dem fortunarum ſuarum in Arcadia invenientes, deinde in alia loca
commigrarunt, Peloponneſum puta, Epirum & Theſſaliam &c.
adeo ut a crebra locorum mutatione quidam eos Pelasgos quaſi
πελαργοὺς i. e. ciconias dictas putent, autore Strabone lib. V p.
8. 221. Proximi Pelasgis fuerunt Hellenes, qui ſub Deucalione
quidem ſolam Phthiotida tenebant, deinde autem totam Theſ-
ſaliam ſuæ ſubjiciebant poteſtati, adeo ut Græcia divideretur
in πελασγικὸν & Ἑλληνικόν. Nominibus Græcorum diver-
9. ſis ita excuſſis, de moribus eorum & vivendi ratione Cl. Au-
tor commentatur, & ſummatim monet, Græcos ex idoneorum
& domeſticorum ſcriptorum teſtimonio ſub initium rudes ma-
xime & barbaros fuiſſe, quamvis deinde eam ſibi artium & li-
tera-

Digitized by Google

terarum notitiam compararint, ut originis tenuioris pudore ducti, ac ſuperbia inflati, ad inveniendas fabulas animum converterint, quibus natales ſuos vel abſconderent, vel illuſtriores efficerent. Pelasgus primus, teſte Pauſania in Arcadicis, diætæ eorum & veſtitui meliorem & politiorem formam attulit, de moribus mutandis minus ſolicitus, qui ita erant comparati, ut nec legibus naturalibus reſponderent, multo minus aliquam haberent decori rationem. Hinc accidit, ut perpetuis latrociniis in ſe invicem graſſantes, incertis gauderent ſedibus & hinc inde vagarentur. Cumque fertiliores inprimis regiones, quales erant, quæ deinceps Theſſalia & Bœotia dicebantur, ut & maxima Peloponneſi pars, ſi Arcadiam exceperis, incurſionibus illis paterent, Attica terra, ſterile quippe ſolum, perpetua fruebatur quiete, idque Athenienſibus perſuadebat, ut ſe αὐτόχθονας crederent. Atque iſta quidem latrocinia, p. 11.
terram & mare infeſtantia, efficiebant, ut nec de colendis agris nec de amplificanda rem familiarem adminiſtrandi prudentia laborarent, & bellicæ quoque artis eſſent imperiti, nec ullum monetæ uſum haberent, Aſtronomiæ adeo rudes, ut tempora laboris tantum aut vigiliarum & ſomni intervallis metirentur. Cauſam, cur per tantum temporis intervallum tam agreſtes minusque emendatis moribus Græci fuerint, recte ex eo repetas, quod magna piratarum copia prohiberet, quo minus cum aliis gentibus doctrina & uſu politis commercium & conſuetudo ipſis intercedere poſſet. Quo impedimento ſublato Orpheus, Muſæus, Melampus & alii, ad Ægyptios profecti & inde reverſi, prima literarum & artium fundamenta in Græcia feliciter jecerunt. Atque iſta ſunt, quæ Cl. Autor in Introductione de primis Græciæ originibus & inſtitutis monuit. Jam de ipſo opere dicturi aliquid eramus, ſiquidem hiſtoria, uno filo deducta, excerpentis laborem non averſaretur, nec in ipſo potius opere perſpici mallet. Proinde id tantum ſubjungimus, narrationem rerum ex fontibus ita deductam eſſe, ut non minus perſpicuo dicendi genere quam concinno ordine & rerum argumentis ſe commendet. Ut autem major hiſtoriæ lux accenderetur, Cl. Autor in Chronologia cal-

Digitized by Google

culum Jac. Uſſerii, Archi-Epiſcopi quondam Armachani, ſecutus, temporis rationes in margine exteriori accurate deſignavit, fidem autem hiſtoriæ ampliorem fecit, citatis in inferiore libri ora illis ſcriptoribus, quorum teſtimoniis ſua ſuperſtruxit. Ex Præfatione extrema patet, hunc commentarium Viri eruditi & Antiquitatum Græciæ peritiſſimi examini ſubjectum fuiſſe, cujus etiam conſiliis ad hoc ſcriptionis genus excitatum ſe & idoneis præſidiis inſtructum fuiſſe, Autor gratus profitetur.

DISSERTATIO APOLOGETICA AD VINdicandam Mediolano SS. corporum Protaſii & Gervaſii poſſeſſionem; Autore JOSEPHO ANTONIO SAXIO, S. Th. & Collegii Ambroſiani Doctore.

Mediolani, in Curia Regia, 1708, 4. ch. maj. Alph. 1 pl. 14.

INter Divos Pontificiorum non ſolum deprehenduntur Sancti plane chimærici, quique nunquam viderunt hunc Solem, ut S. Longinus, Chriſtophorus, Veronica, aliique, de quibus Voetius commentatus eſt; verum etiam inter plures civitates de quorundam reliquiis certamen intercedit, quarum ſingulæ earum ſibi poſſeſſionem aſſerunt acerrime. Ut taceamus de lite non ita pridem in Galliis exorta, ipſe is, quem præ manu habemus, Autor docet, decem urbes S. Barnabæ caput, ſex SS. p. 211. Cantii, Cantiani & Cantianillæ ſibi vindicare reliquias. Pari 237, ſq. modo de poſſeſſione corporum SS. Protaſii & Gervaſii jam dudum diſceptarunt Mediolanenſes in Italia, & in Germania noſtra Briſacenſes. Quam controverſiam cum olim depugnaſſe videretur Puricellus, Mediolanenſium cauſam agens, novæ diſputationi jam locum fecit cum Crombachio (in *Hiſtoria SS. trium Regum Magorum*) celeberrimus Papebrochius, qui in Actis Sanctorum ad d. XIX Junii Briſacenſium cauſam ſuſcepit ac ſtrenue defendit. Quo facto Ambroſianum Collegium, quod Mediolani eſt, Saxio noſtro eam demandavit provinciam, ut pro antiqua corporum SS. Gervaſii & Protaſii poſſeſſio-

ſeſſione edito hoc libro pugnaret in gratiam Mediolanenſium. Partitus eum eſt in XII capita, quæ ſectionibus 164 conſtant. Cap. I docet, Gervaſium & Protaſium fratres Mediolani martyrium conſecutos eſſe, a nemine negari: ſed de tempore martyrii litem eſſe, cum alii putent, factum id eſſe A. C. 57, Puricellus A. 70, Papebrochius A. 97, Baronius & Gordonus A. 171, Triſtanus Calchus A. 272. Illud tamen pro certo habetur, ſæculo IV ab Ambroſio A. 386 horum Sanctorum corpora inventa in novamque baſilicam fuiſſe condita. Oſtendit hinc Saxius, ſub finem ſæculi XI & ſæculo XII magna ſolennitate quotannis Mediolani celebratam fuiſſe horum Martyrum memoriam, nec dubitat, factum idem eſſe antea. Ipſo igitur illo ſæculo XII, quo contigit atrox illud excidium Mediolano a Friderico Aenobarbo illatum, & qua tempeſtate ad ſe horum Sanctorum corpora delata eſſe, contendunt Briſacenſes, Mediolani usque ad ſæculum XV conſtanter celebrati fuere dies his Martyribus conſecrati. Et cum poſtea ea feſtivitas omiſſa eſſet, propterea quod Archiepiſcopi Mediolanenſes, aliis occupationibus diſtenti, a ſua Eccleſia abeſſent, tandem S. Carolus Borromæus ſacra illa reſtituit, quæ in hodiernum usque diem perdurant. Cap. II ex ſcriptoribus ſæculi VI usque ad XII dilucide probat, illorum Sanctorum corpora Mediolani fuiſſe aſſervata. Atque hinc contra Papebrochium ratiocinatur, præſumendum eſſe pro poſſeſſione Mediolanenſium, donec Briſacenſes contrarium manifeſto demonſtraverint. Nam Cap. III in eo eſt, ut oſtendat, neminem antiquum ſcriptorem de translatione horum Martyrum Briſacum facta teſtari: dumque ſæculis XII, XIII & XIV complures memorabile illud Mediolani excidium deſcripſerint, nullam a quoquam factam eſſe mentionem de aſportatis inde SS. Gervaſii & Protaſii corporibus: ſed primum omnium, qui Briſacum ea translata fuiſſe meminerit, eſſe Felicem Fabri, a quo A. 1488 conſcriptam habemus Hiſtoriam Suevicam. Ex tanto igitur antiquorum ſilentio, quod magni eſſe momenti putat in hiſtoria, Cl. Saxio probari poſſe videtur, Briſacenſium translationem omnino eſſe commentitiam. Ubi ſimul monet, multa memo-

memorari inſignia miracula in hac translatione facta, quorum tamen memoratu utique, ſiquidem contigiſſent, dignorum, nulla quoque fiat in ſcriptoribus vetuſtis mentio. Imo Cap. IV eorum ſcriptorum producit teſtimonia, qui poſt excidium Mediolanenſe illa Sanctorum corpora adhuc Mediolani quieviſſe confirmant. Exterorum quidem tres eam in rem adducit, nempe Benvenutum de Rambaldis & Petrum de Natalibus, ſæculi XIV ſcriptores, atque Jo. Bapt. Mantuanum ex ſæculo XV: Mediolanenſium autem ſcriptorum plures profert ex ſæculis XIII, XIV, XV, quibus ex recentiſſimis permultos adjungit, interque eos doctiſſimum Antonium Pagi. Hoſce ſcriptores nec decipi potuiſſe arbitratur, nec mentiri voluiſſe. Denique corroborat ſuam ſententiam epiſtola Reynoldi Colonienſis Archi Epiſcopi, cui a Briſacenſibus tribuitur horum martyrum translatio: in qua ille Colonienſes eſt adhortatus, ut ad recipiendas, quas ex Mediolanenſi urbe ſecum ferebat, reliquias animos componerent. Nimirum nec in hac epiſtola occurrit Gervaſii Protaſiive mentio. *Itaque*, inquit Cl. Saxius, *ſi nullam ad Colonienſes notitiam de his ſacris corporibus præmiſit Reynoldus, antequam Briſacum attingeret, luculentum indicium hoc eſt, quod ea ſecum non aſportavit. Cur enim reliquias SS. Magorum, Naboris & Felicis, exprimeret, nullum autem verbum de Gervaſio & Protaſio faceret, ne addita quidem indefinita illa ſcribendi formula:* & alia Sanctorum corpora aut reliquias. *Auſim dicere: hoc Reynoldi ſilentium, non ſilentium nobis, ſed eloquens noſtra cauſa patrocinium eſt. Abeſſe teſtatur a ſacris ſpoliis, qua Mediolano abduxerat, Martyres noſtros, dum non teſtatur adeſſe.* Hoc labore ſuperato, Cap. V traditionem vulgatiſſimam, qua S. Ambroſius inter Gervaſium & Protaſium medius tumulatus eſſe dicitur, contra Cl. Papebrochium propugnandam ſuſcipit: ſed hic quidem apertis fabulis locum, & Papebrochio victas manus vel invitus dare nobis videtur Cl. Autor. Hoc tamen ſuppoſito, Briſacenſium errorem Cap. VI inde probare nititur, quod non ſit conſentaneum, rapta eſſe Gervaſii & Protaſii corpora, & tamen intactum relictum fuiſſe, quod medium interjectum fuerit, corpus

Digitized by Google

pus S. Ambroſii. Addit teſtimonia auctorum, Fridericum Aenobarbum templo Ambroſiano religioſiſſime pepercisse, ſcribentium. Hinc Cap. VII & VIII examinat teſtimonia ſcriptorum in favorem Briſacenſium a Papebrochio allata, eaque ſtrenue refutat, tanquam nimis ab illa ætate, qua id contigiſſe feratur, remota. Ejusdem Papebrochii aliorumque argumenta Cap. IX labefactare omnibus modis ſtudet, quorum tria eſſe ait. Primum illi ajunt, non eſſe credibile, tam publicam famam Briſaci & per omnem Germaniam invaluiſſe, niſi ſubeſſet veritas. Deinde cum Briſacenſes novam arcam argenteam curaverint conficiendam ad aſſumenda hæc corpora, ea etiam re id valde confirmari. Denique pro Briſacenſibus facere miracula ad hæc corpora Briſaci magno numero facta. Sed hæc omnia non infeliciter ſubvertit Cl. Saxius. Ad primum enim reſpondet, æque magnam & conſtantem eſſe perſuaſionem Mediolanenſium, ſe vera poſſidere corpora: immo horum perſuaſionem ſolido niti fundamento, Briſacenſium nullo. Ad alterum atque tertium reſpondet ita, ut concedat, eſſe in Briſacenſium arca corpora Sanctorum, ſed aliorum: quem errorem ſæpius uſu veniſſe commonſtrat. De miraculis vero addit, ea Briſaci non fieri, ut conſtet, vera ea eſſe Sanctorum Gervaſii & Protaſii corpora, ſed ut confirmetur invocatio Sanctorum, quorum reliquiæ præſentes eſſe putantur. Poſtea Cap. X ad Hermannum Crombachium ſe convertit, docens, eum teſtimonio niti nimis recenti adeoque minus ad probandum idoneo. Cum vero ſibi etiam obſtare ſciat auctoritatem Bernardini Corii & Joſephi Ripamontii, hiſtoricorum Mediolanenſium, hanc infringere aggreditur Capite XI. Corium quidem indicat improvide fidem habuiſſe relationi recens ad ſe perlatæ e Germania, nihilque præterea attuliſſe ad eam e genuinis monimentis confirmandam: additque, cum & alias Corius in deſcribendis Sanctorum translationibus aberraverit, eum nec hic pro teſte fide digno admitti poſſe. Quod vero ad Ripamontium attinet, eum Saxius plane in ſuas partes pertrahit haut invitum. Pari poſthæc felicitate ſatisfacit iis, qui nituntur autoritate Felicis Fabri, Ludovici Vivis, Chronici

ſtantienſis, Joannis Adolphi, Martyrologii Baſileenſis, Beati Rhenani, Martini Cruſii, Jo. Eckii, Raph. Toſcani & Gabr. Bucellini. Quo facto viſus officio ſuo perfunctus eſſe Cl. Saxius Mediolanenſium civium ad ferventiorem illorum martyrum cultum exhortatione totum opus obſignat. Illud ſilentio præterire nolumus, in tractatione primarii argumenti ſubinde interſpergi quaſi flores aliarum antiquitatum. Ut Sect. 14 de inſtitutione Feſti Purificationis Mariæ, quod Græci Hypante appellant, agit, idque ex Orientali Eccleſia in Occidentalem deductum eſſe arbitratur, ſed, quo tempore id factum ſit, plane incertum eſſe, addit. Ritum ſepulturæ in templis vetuſtum eſſe, Cap. V probare nititur, eaque in re ſentit cum Cl. Muratorio, anteceſſore ſuo, quem & nominatim laudat. Denique Cap. VII Sect. 104 ſqq probat, fabuloſum eſſe, quod traditur, tempore Friderici Barbaroſſæ Mediolano dominatos eſſe Comites Angleriæ, contra defendens, hanc urbem tum plena libertate uſam eſſe.

THE PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS and Collections to the Year 1700, abridg'd and diſpos'd under general Heads.

h. e.

TRANSACTIONES ET COLLECTIONES Philoſophicæ usque ad annum 1700 in epitomen redactæ & per generalia capita diſpoſita a JOHANNE LOWTHORP, A. M. & S. R. S.

Volumen I.

Londini, apud Thomam Bennet, & reliquos, 1705, 4.

Conſtat Alph. 4 plag. 4 Tabb. æn. 7.

PRo diſpendiis compendia vulgo habentur: aſt *Luthorpianum* Tranſactionum Anglicanarum compendium ſi opere ipſo præſtare dixeris, a vero non aberraveris. Quæ enim per volumina fere viginti duo ſine ordine ſparſa, concinno ordine in convenientia capita ab Autore digeruntur. Cum in diſcurſibus Autorum, qui Diariis iſtiusmodi inſeruntur, multa plerumque occurrant, quæ ad rem propoſitam intelligendam appri-

apprime non faciunt; ea Noſter omiſit, *in reliquis vero* ipſa illorum verba ſancte cuſtodivit, ne ſua pro alienis venditaſſe videretur. Similiter librorum recenſiones deſuper habuit, nec denuo propoſuit, quæ jam aliis in ſcriptis traduntur, ea exhibiturus, quæ alibi fruſtra quæruntur. Nec minus neglexit, quæ ſaltem indicantur, non explicantur, quoniam nullum inde ſcientiis accedit augmentum. Catalogum tamen librorum recenſitorum ſingulis diſciplinis ſubjunxit, & quænam præterea proſcripta ex compendio fuerint, indicat, atque in margine citat, ubi in Tranſactionibus ſingula legantur. Tria ſunt compendii Volumina, quorum primum Mathematica, alterum Phyſica, tertium Anatomica, Medica, Chymica & Miſcellanea complectitur. Ut itaque nunc de primo dicamus, Mathematica ad Geometriam, Arithmeticam, Algebram, Logarithmotechniam, Trigonometriam, Artem libellandi, Opticam, Aſtronomiam, Mechanicam, Acuſticam, Hydroſtaticam, Hydraulicam, Artem navigandi, Architecturam civilem & navalem, Perſpectivam, Sculpturam, Artem pictoriam & Muſicam; Phyſica ad Phyſicam generalem, Meteorologiam, Pnevmaticam ſeu Aerometriam, Hydrologiam, Mineralogiam, Magnetologiam, Botanicam, Agriculturam, Zoologiam referuntur. Obſervationes Anatomicæ ſtructuram, externas partes & communia tegumenta corporis humani, caput, cervicem, thoracem, abdomen, humores & generales corporis affectiones, oſſa item & muſculos concernunt. Agitur etiam de monſtris & de periodo vitæ humanæ. Medica vel Pharmaciæ vel Chymiæ quædam capita illuſtrant. Inter Miſcellanea Grammatica, Chronologica, Hiſtorica, antiquitates regionum & itinerum deſcriptiones aliaque varii argumenti reperies. Enimvero ut appareat, qualia de ſingulis hisce argumentis inventa occurrant, ſpeciatim præcipua indicanda nobis ſunt. Hæc enim recenſio Hiſtoriam litterariam mire juvat, quoniam inde conſtat, quænam jam inventa ſint, ut non modo, qui veritatum inventarum cognitione delectantur, norint, unde ſingula petenda, ſed & qui inveniendarum deſiderio feruntur, in iis quærendis non deſudent, quæ ab aliis jam inventa ſunt.

In inventis Geometricis Quadratura Hyperbolæ Viceco-

Digitized by Google

mitis *Brounkeri* per ſeriem infinitam, Quadratura Circuli *Leibnitiana*, Methodus Tangentium *Sluſii*, *Perkii*, *Gregorii*, *Caswelli & Wallaſii*, quadraturæ partium Lunulæ *Hippocratis*, *Abrahami de Moivre* cubatura ſolidi per rotationem dictæ lunulæ geniti, *Caswelli* & *Halle* Quadraturæ Cycloidum & Epicycloidum, Anonymi ſolutio problematis *Bernoulliani*, de quo in Actis A. 1697 p. 95, *Abrab. de Moivre* ſpecimina quædam uſum calculi differentialis in quadraturis & rectificationibus curvarum, cubaturis ſolidorum & centri gravitatis calculo oſtendentia, *Gregorii* demonſtrationes de Catenaria, *Craigii* Quadratura Figurarum Geometrice irrationalium & Quadratura Logarithmicæ, Anonymi Quadratrix circuli per æquabilem ejus evolutionem deſcripti.

In Arithmeticis *Walliſius* & *Thomas Luffkin* de antiquitate figurarum Numericarum diſſerunt; & in Algebraicis *J. Collins* de progreſſu Anglorum in reſolutione æquationum diſcurrit; *Hallejus* regulam Carteſii de Geometrica Cubicarum & biquadraticarum æquationum perficit, & in numerum ac qualitatem radicum, per quas æquationes iſtusmodi exponi poſſunt, erudite inquirit, ſimulque methodum exhibet univerſalem ſine ulla prævia præparatione ex qualibet æquatione data radicem prope veram eliciendi, hactenus inventarum præſtantiſſimam (quam in Cl. *Wolfii* noſtri Elementis Algebræ ſeu Tomo quarto Elementorum Matheſeos univerſæ nuper edito expoſita reperias); *Moivræus* regulam tradit infinitum multinomium ad potentiam quamcunq; datam evehendi & ex infinita æquatione radicem extrahendi. *Walliſius* methodum exhauſtionum declarat & approximationem veterum in extractione radicum illuſtrat; *Wood* nonnulla de fractionibus infinite infinitis ad Arithmeticam infinitorum ſpectantia communicat.

Logarithmotechniam egregie promovit *Hallejus* per methodum conſtruendi Logarithmos ex vera ipſorum notione ope ſerierum infinitarum deductam, & in Trigonometria problemata quædam chorographica ſolvuntur partim a *Johanne Collins*, partim ab Anonymo. *Wilhelmus Molyneux* communem quendam errorem circa uſum pyxidis nauticæ in planimetria

metria detegit & *Butterfield* libellam ad inveniendam lineam Horizontalem exhibet.

In Opticis theoria luminis atque colorum *Newtoniana* deſcribitur & ab objectionibus *Ignatii Gaſtonis Pardies*, *Franciſci Lini*, atque Galli cujusdam & Angli Anonymi ita liberatur, ut ſibi ex aſſe ſatisfactum *Pardies* fateatur. *Stephanus Gray* didicit, ſi inter chartam nigram foramine exiguo pertuſam & oculum interponatur acicula, eam inverſam ante foramen comparere, tantoque majorem, quo propius foramini admovetur: quod experimentum cum non ſine ſucceſſu iteraremus, cilia quoque oculi conniventis valde augmentata ante foramen vidimus, ita ut unius pili diameter aciculæ diametrum adæquaret. *Christianus Hugenius & Renatus Sluſius* problema *Albazeni* ſolvunt, de inveniendo puncto reflexionis in ſpeculo cavo & convexo dato oculo & puncto rei viſæ. *Hallejus* per Analyſin focum lentium opticarum in quovis caſu generaliter determinat. *Chriſtophorus Wren* de proliendis lentibus hyperbolicis diſquirit. *Molineux* rationem reddit, cur objecta in teleſcopio ex 4 vitris convexis compoſito erecta appareant. *Auzout* & *Hook* in aperturas teleſcopiorum inquirunt. Ille eas eſſe in ſubduplicata ratione longitudinum affirmat, & pro longitudine unius pedis in vitro excellente diametrum aperturæ 8, in bono 7, in ordinario 6 linearum aſſumit. Hic vero theoriam iſtam non ſatis claram pronuntiat, quia unius ejusdemque lentis objectivæ diverſa eſſe debet apertura pro diverſitate luminis in objecto viſibili. Idem *Auzout* methodum exponit ex unica ſtatione ope teleſcopii longioris diſtantiam objecti terreſtris inveniendi & *Hook* docet, quomodo ex legitima combinatione vitri utrinque plani & alterius plano-convexi ope annuli orichalcei facta, ſpatio intermedio inter utrumque aqua, oleo terebinthinæ, ſpiritu vini &c. repleto, diſtantia foci vel producatur, vel contrahatur. *Campani*, *Euſtachii divini*, *Hevelii*, *Hugenii*, *Du Sons*, *Burattini*, *Franciſci Smethwick*, Galli Anonymi, *Borelli*, circa vitra optica polienda conamina recenſentur. *Stephanus Gray* de lentibus ex aqueis guttis paratis quædam monet. *Newton* ſpecula ad teleſcopia applicat tam cava, quam

Digitized by Google

plana cum lentibus microſcopicis, inſtitutum hoc valde appro bante *Hugenio*, & objectiones Anonymi ſibi factas diſcuti *Caſſegrain* teleſcopium catadioptricum *Newtoniano* ſimile excogitavit; ſed ejus imperfectiones *Newton* monſtrat. Præter alia quædam Optica artificia *Hookii* microſcopia, *Euſtachii Divini, Petri Salvetti, Antonii van Leeuwenhæk, Butterfieldii* & *Stephani Gray* prædicantur & nonnulla ex iis deſcribuntur. Idem *Gray* microſcopia aquea & mercurialia; *Newton* reflectentia ex vitro vel metallo parare docet, qui præterea monet; diſtinctius per microſcopia videri objecta & ampliores admittere aperturas, ſi in conclavi obſcuro lumine non admodum compoſito, quod colori objecti convenit, illuminentur. Tandem ſpecula concava *Villettana, Septaliana, Tſchirnhauſiana* & *Hookiana* deſcribuntur, una cum *Grayanis* ad parabolica proxime accedentibus.

In Aſtronomicis multa fixarum & planetarum, parallaxium, macularum Solis, æquinoctiorum ac ſolſtitiorum, eclipſium Solarium ac Lunarium, occultationum fixarum & Planetarum, phaſium Saturni, Satellitum Jovis & Saturni, atque Cometarum obſervationes occurrunt, quæ *Caſſini, Flamſteedii, Hookii, Hevelii, Bullialdi, Montanari, Auzouti, Halleji, Picardi, Townleji, Galleti, Ræmeri, Eimmarti, Wurzelbaueri, Campani, Kirchii, Buratini* aliorumque induſtriæ debentur. Indicatur Aſtrodicticum quoddam inſtrumentum *Weigelii*; repræſentanturque *Auzouti* methodus dimetiendi diametros apparentes fixarum & parallaxin Lunæ, micrometrum *Gaſcoignii* a *Townleyo* primum publicatum, & *Hookii, Walliſii* methodus inveniendi parallaxin fixarum, *Mercatoris & Halleji* conſiderationes methodi *Caſſinianæ* Aphelii Planetarum directe inveniendi, *Halleji* methodus obſervandi ſolſtitia, ejusdem correctio theoriæ *Hugenianæ* quatuor Satellitum Saturni, *Caſſini* atque *Anonymi* theoria Satellitum Jovis cum tabulis motuum primi ab *Hallejo* ad Meridianum Londinenſem reductis & ex parte Satellitibus reliquis applicatis, *Halleji* diſſertatio de viſibili conjunctione inferiorum Planetarum cum Sole, *Robertſii* diſcurſus de diſtantia fixarum, *Lowthorpii* experimentum de refractione aeris, *Caſſini* tabulæ æquationum tem-

Digitized by Google

temporis, *Rookii* methodus obſervandi Eclipſes lunares, & altera *Flamſteedii* obſervandi Solares &c. *Flamſteed* parallelam Martis 30, Solis vero 10 ſecundorum, & hinc diſtantiam Solis à Terra 21000 ſemidiametrorum terreſtrium facit. *Campani, Caſſini, Auzout, Hugenius, Hook* umbram a Satellite extimo in diſcum Jovis projectam obſervarunt, Caſſino phænomenon aliquoties prædicente. Motum vertiginis Jovis ex obſervationibus macularum *Caſſini* 9 horarum 56 minutorum conſtituit; *Hook* revolutionem Martis circa axem 24 horarum, *Caſſini* autem Veneris 23 horarum facit.

In Mechanicis *Chriſtophori Wren, Walliſii* atque *Hugenii* de legibus motus meditata proferuntur. Anonymus ſynchroniſmum vibrationum penduli inter duas cycloides ſuſpenſi demonſtrat: alius problema *Bernoullianum* de linea breviſſimi deſcenſus ſolvit. *Hugenii* & *Leibnitii* de horologiis portatilibus inventa referuntur. *Gennes* automaton deſcribit, quod per aſcenſum; *Wheeler* autem alterum, quod per deſcenſum ſuper plano inclinato horas indicat. In effectus gravitatis in deſcenſu corporum gravium *Hallejus*; in aeris reſiſtentiam, quam corpora per eundem mota ſentiunt, *Walliſius* inquirit. De tormentis onerandis & dirigendis varia monet *Robertus Morny* & *Greaves* effectus eorum per experimenta declarat. *Papinus* ſclopetum pnevmaticum *Guerickianum* perficit & calculum velocitatis init, qua aer in vas evacuatum irruit. *Gualtherus Pope* per lapſum aquæ ventum excitat (labitur nempe aqua per tubum verticalem & ventus ſpirat per horizontalem ad angulos rectos illi junctum, multo tamen minoris capacitatis): *Hook* optimam alarum Horizontalium in molendinis diſpoſitionem docet. De arte volandi meditantur *Hook, Beſnier* & *de Lanis*; machinæ textoriæ novum genus proponit *Gennes*; currui perficiendo ſtudent duo Anonymi & alterius cujusdam Anonymi perpetuum mobile refutat *Papinus*.

In Acuſticis novum tubi ſtentoreophonici genus *Morlandino* perfectius excogitavit *Conyers*; celeritatem ſoni tam directi, quam reflexi per experimenta determinavit *Walker*; paralleliſmum denique inter Opticam & Acuſticam inſtituit *Narciſſus*.

In

Digitized by Google

In *Hydroſtaticis* & *Hydraulicis* Aræometra *Hombergii* & *Boylii* deſcribuntur: variorumq; fluidorum gravitates ſpecificæ enumerantur; preſſura aquarum in profunditatibus notabilibus ab *Anonymo* & *Oliverio* examinatur; de fluidorum figura ſphærica experimenta refert *Boyle*; cur corpora graviora fluidis ſpecifice levioribus innatent, rationem reddit *Molyneux*; ſyphonem Würtenbergicum deſcribunt *Davis*, *Papinus* & *Reiſelius*; novas methodos elevandi aquas exponunt *Papinus*, *Vincentius*, *Anonymus*, *W. Tenon* & *Savery*; novum hydracontiſterium *Anonymus*; antliam vero novam *Conyers* repræſentat.

In *Geographicis* ſuadet quidam *Anonymus*, ut per inſulam *Abroxos* olim dictam, a *Teneriffa Pico* 9 gradibus diſtantem & ſub ipſo circulo æquinoctiali ſitam, meridianus primus ducatur. *Hugenius* methodum accuratam præſcribit ope horologii ſui oſcillatorii locorum longitudinem inveniendi: cujus ſucceſſum *Maj. Holmes* recenſet. De longitudinibus locorum per locum Lunæ in Zodiaco, Lunares occultationes, motum vertiginis Jovis, eclipſes Circum-Jovialium diſcurrunt *Anonymus*, *Halley*, *Caſſini*, *Hevelius*, *Borellus*, *Flamſteed*: exempla offerunt *Flamſteed*, *Halley*, *Caſſini*, *Bullialdus*, *Sandwich*, *Picard*, *Hevelius*, *Vernon*, *Greaves*, *Witſen*, *de la Hire*, *Petty*. Methodum colligendi ſecantes & inveniendi veram Meridianorum diviſionem in mappis nauticis docet *Walliſius*; analogia quoque inter tangentes Logarithmicæ & lineam meridianam oſtenditur, *Anonymus* & *Halley* de invenienda acus magneticæ in mari declinatione nonnulla annotant. In *Architectonicis Anonymus* de lapidibus; *Samuel Colepreſs* de lapide fiſſili, quibus tecta ſternuntur; *Robertus Plot* de tempore ad tigna cædenda opportuno; *Antonius van Leuwenhæk* de differentia tignorum in diverſis regionibus & diverſo tempore cæſorum; *Robinſon* & *Liſter* de pontibus memorabilibus, imprimis ponte S. Spiritus in Gallia; *Anonymus* de aquæductu prope Verſalias; *Walliſius* de ſingulari quodam opere arcuato; *Weigelius* de novo quodam ſcalarum genere; *Anonymus* & *Bulſeel* de modo naves adverſus vermes defendendi diſcurrunt.

Artem pictoriam & ſculptoriam promovent *Chriſtophori Wren* novum inſtrumentum delineatorium; *Steph. Clare* paral lelo-

lelogrammum proſopographicum; *Joh. Weichardi Valvaſoris* modus ſtatuas metallicas fundendi; *Richardi Walleri* deſcriptiones colorum ſimplicium; *Wilhelmi Schemrdi* modi varii conficiendi vernices Sinenſes; *Colberti* examen picturarum; *Chriſtoph. Mülleri* modus tingendi marmora. Ad Muſicam ſpectantia quædam tradunt *Walliſius*, *Roberts* & *Salvetti*.

C. JULII CÆSARIS, QUÆ EXTANT, omnia ex Recenſione JOANNIS DAVISII, cum hujus Animadverſionibus, & Notis P. Ciacconii, F. Hottomanni, Jo. Brantii, Dion. Voſſii, aliorumque. Acceſſit Metaphraſis Græca Librorum VII de Bello Gallico, cum indicibus neceſſariis.

Cantabrigiæ, apud Jo. Owenum, 1706, 4.

Alph. 4 plag. 20 fig. Tabb. æn. 3.

CAntabrigienſes, laudabile Oxonienſium inſtitutum imitati, præſtantiſſimos quoſdam ſcriptores, qui *Claſſicorum* nomine veniunt, formis Academicis pulcerrime exſcribere, & cum erudito orbe communicare aliquot abhinc annis cœperunt. Qua in re ita verſati ſunt, ut idonei harum rerum exiſtimatores multiplicis doctrinæ copiam in iis ſuſpiciant, ſummamque, quam in emendandis exornandiſque Veterum ſcriptis adhibuerunt, diligentiam, pro eo ac par eſt, commendent. Tantum enim pretium Anglicanis ejuſcemodi editionibus ſtatuere ſolent, ut accuratiſſimas eas prædicent, ipſiſque Gallicis, in uſum Delphini ſuperiori Seculo in lucem emiſſis, facile anteponant. Inter eos autem, qui in melioris notæ Scriptoribus, nitori ac luci ſuæ reſtituendis, elaborarunt, non poſtremo loco commemorandus eſt Vir Cl. *Joannes Daviſius*, Collegii Reginenſis apud Cantabrigienſes Socius, de Julio Cæſare, accuratæ & emendatæ Latinitatis Scriptore, noviſſime a ſe edito, præclare meritus, magnamque nominis atque eruditionis famam in orbe, qua literis cultus eſt, ex hoc capite conſecutus. Operæ itaque pretium erit, de elegantiſſima hac editione quædam in medium proferre, quibuſque potiſſimum momentis a ceteris diſtinguatur,

tur, breviter ſummatimque percenſere. Ac initio quidem generatim obſervandum eſt, contextum verborum Cæſaris a doctiſſimo *Daviſio*, quam fieri potuit, optime eſſe concinnatum, ac partim ex præſtantiſſimo Codice, quem manu exaratum ab Illuſtri Norvicenſium Antiſtite, *Joanne Moro*, acceperat; partim vero Romana editione A. 1471, Veneta quoque A. 1481, & Bononienſi, ſeu Beroaldina A. 1508 in conſilium vocatis, diligentiſſime correctum, atque emendatum fuiſſe. Ad aliorum vero, qui magno numero Cæſarem illuſtrandum ſibi ſumpſere, Notas atque animadverſiones quod attinet, præcipuas tantum, ac ad ſententiam verborum Autoris rectius percipiendam ſpectantes, atque in principio Libri memoratas, retinuit, neque copioſis ac plerumque inanibus Obſervationibus Politicis, quibus non tam eruditorum hominum, quam Librariorum commodis conſulatur, temere cumulatis, nauſeæ moleſtiam lectoribus exhibere, in animum inducere potuit. Qui ceteroquin harum deſiderio tenetur, adeat Jungermannianam Julii Cæſaris editionem, quæ Francofurti ad Mœnum A. 1606 prodiit, & altera A. 1669 longo emendatior eſt, in qua doctorum Virorum Notæ integræ, Cæſaris Commentariis ſubjunctæ, in fine conſpiciuntur. Sed ut ad *Daviſium* revertamur, lectiſſimis ille animadverſionibus Cæſarem auxit, atque in iis præſertim, quæ Petrus Ciacconius, Franciſcus Hottomannus, Joannes Brantius, & Dionyſius Voſſius aut intacta reliquerant, aut falſo tradiderant, explenda curavit. Quamobrem eo cumprimis allaboravit, ut ante omnia contextum a variis, quæ in illum irrepſerant, corruptelis vindicaret, locisque depravatis medicinam ex optimis MSS. pariter, atque antiquioribus editionibus, ſolicite diligenterque inter ſe collatis, ac variantibus lectionibus omni ſtudio conquiſitis afferret. Ubi vero Codicum ope prorſus deſtitutus fuit, conjectura prudenti uſus eſt, quo veram lectionem ex ingenio reſtitueret. Deinde quamplurima, ab aliis depravationis male inſimulata, pro veris germaniſque agnovit, rejectiſque ac confutatis illorum correctionibus, operoſe ſententiam ſuam defendit. Hinc Amſtelodamenſem a Grævio A. 1697 adornatam editionem, cujus contextum perquam corruptum celeberrimus quoque noſtri temporis

poris Criticus, *Joannes Clericus*, vocavit, *Bibl. Sel. T. III p. 365* paſſim emendavit, atque inprimis *Joannem Goduinum*, qui in illuſtrando, atque in uſum Delphini publicando Julio Cæſare Pariſiis deſudavit, mali ac cœci ducis nomine perſtrinxit. Præterea obſcurioribus ac difficilioribus dictis inſignem lucem Noſter fœnoravit, & quæ moram lecturis injicere videbantur, breviter quidem, ſed perſpicue dextreque exponere ſtuduit. Poſtremo autem voces nonnullas & loquendi formas, Cæſari familiares, neque apud alios aureæ Latinitatis Scriptores facile obvias, ex quibus imperiti modo *Barbariſmos*, modo *Solœciſmos* exſculpere voluerunt, tuendas ſuſcepit, ſuppeditataque propria verborum poteſtate, inſolitas fere hujusmodi dicendi ſcribendique rationes, in quas temerariæ Criticorum manus ſævierant, luculentis probatiſſimorum Scriptorum teſtimoniis confirmavit. Quæ omnia huc ſpectant, ut mente Cæſaris apte ſciteque expreſſa, rerumque pariter ac verborum ſignificatione & ſententia indagata, exacta Latini ſermonis æque, atque Hiſtoriæ, a Cæſare in Commentarios relatæ, cognitio comparetur, politiſſimusque Scriptor in priſtinum ſplendorem, quoad ejus fieri poteſt, reſtituatur. Ceterum cum plures Hiſtorici, atque inter hos Suetonius, Plutarchus, Appianus Alex. & Dio Caſſius, res a Cæſare geſtas literis conſignarint, ac ſæpenumero diverſa ab illo memoriæ prodiderint, Daviſius hanc quoque diſcrepantiam minime negligendam, ſed memoratos Scriptores, ubi commodum incidit, ex ipſius Cæſaris Commentariis errorum ſuorum convincendos putavit. Quo vero Daviſianarum Notarum præſtantia cuilibet innoteſcat, non ſupervacaneum erit, quasdam ſpeciminis loco afferre, atque ex iis de reliquis judicandi anſam B. L. ſubminiſtrare. Obſervat igitur B. G. L. I C. 8 in veteribus Editionibus legi: *a Lacu Lemanno*, qui in *flumen Rhodanum influit*. Quam vitioſam lectionem p. 9.
cum B. Rhenano ita emendavit: quem *flumen Rhodanum* (forte Rhodanus) *influit*. Illud enim naturæ contrarium eſt, nec Cæſarem memoriæ vitio lapſum eſſe, veroſimile videtur. Ibidem C. 10 *Garoceli* in divulgatis Editionibus memorantur. Quorum in locum Graiocelos, MS. Norvicenſis fidem ſecutus, ſubſtituit, & hanc vocem præ illa amplectitur, propterea, quod Gra- 12.

Digitized by Google

jæ Alpes ibi ſint,& infra has Ocelum oppidum exſtructum. Quod
p. 60. ad emendatam ſcribendi rationem attinet, L. II C. 4, in voce *Rhemi* aſpirationem, a Cæſare conſtanter ſervatam, & in omnibus Codicibus expreſſam, retinendam eſſe, contendit: contra quam alii, ſublata aſpiratione *Remos* ſcribere malentes, tradiderunt. Quos inter nominatim ad Cellarium noſtrum provocat, qui Hadrianum Valeſium ſecutus, *H* abjecit, & *Rhemos*, Gentem Gallicam, cui cum Græcis nullum interceſſerit commercium, cuique adeo aſpiratio, horum propria, ignota fuerit, eo prorſus caruiſſe, exiſtimavit. Vid. *Orthogr. Lat. p. 56.* Verum doctiſſimo Daviſio hæc ratio non ſatis firma audit, cum, licet verbum ſit Celticum, minime neceſſe videatur, ut aſpiratio, in aliis vocibus, omnino Gallicis, locum obtinens, rejiciatur. Namque & *Rhedones* ab ipſo Cæſare, *L. II C. 34*, adhibito *H* memorantur, & *Rhedam* non a Cæſare ſolum, ſed Horatio etiam aliisque per *H* efferri, Noſter probat; quam tamen vocem Gallicæ originis eſſe, Quintiliani, conceptis verbis id teſtantis, *Inſt. Orat. L. I*
79. *C. 5*, teſtimonio confirmat. Ibidem C. 27 apud Cæſarem hæc leguntur: *Quæ facilia ex difficillimis animi magnitudo* redegerat. Quam locutionem, licet rariorem, defendit *Daviſius*, nec verbum *reddiderat*, quod plerisque aliis placuit, admittit. Alibi enim Cæſar eadem phraſi uſus: *Vectigales*, inquit, *ſibi fecerunt*, *ac multo humiliores infirmioresque* redegerunt. L. III C. 3. Qua in re Codicum tam manu exaratorum, quam typis exſcriptorum, auctoritate nititur, ac recentiores Editiones, in quibus vitio correctorum, qui mutarunt ea, quæ non intelligebant, *reddiderat*, & *reddiderunt* leguntur, emendat. Conf. *p. 112 Not. 6.* L. V
164. C. 29 monet, in Amſtelodamenſi Editione recentiſſima pro *longinqua obſidione* vocem *longa* perperam legi. Hinc ex MS. Norvicenſi & antiquitus excuſis Cæſari ſuum verbum reſtituit, ac *longinquum* cum *diuturno* hic pariter incedere, conſenſu eruditiſſimi Viri, Jani Brouckhuſii, *ad Propert. L. I Eleg. VI, 27* com-
195. probat. L. VI C. 13 de Druidum nomine ab Elia Schedio & Dion. Voſſio, qui id ab Ebræo דרש, *inquiſivit*, *percontatus eſt*, repetunt, diſſentit, & a voce Celtica *Deru* illud deducendum eſſe, putat. *Hæc enim*, inquit Noſter, quercum *ſignificat*, *cui af-*

finis

finis eſt Græca Δρῦς, *a nonnullis ob ſoni ſimilitudinem pro Druidum radice habita. Hoc veriverbium ex eo firmatur, quod robora ſingulari veneratione ſint proſecuti.* Quam in rem Plinium teſtem excitat, H. N. L. XVI C. 44. Conf. alii Scriptores, a Daviſio nominati. L. I. B. C. C. 53 ad verba Cæſaris: *Magni domum concurſus ad Afranium*; notat, turpiter ſe hoc in loco dediſſe eruditos, variis modis eum explicare conatos. Sanam vero prorſus & elegantem eſſe lectionem receptam, ex *Cicerone* & *Terentio* demonſtrat. Ille enim L. III Ep. 8 Fam. *Neque*, inquit, domum *unquam* ad me *literas mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim.* Hic autem Eun. Act. I Sc. II, 25 dicit: *Et is hodie venturum* ad me *conſtituit* domum. Et Adelph. Act. IV Sc. IV, 19: Ad me *abducta eſt* domum. Ubi Donatus ait: *ad me domum*, moraliter dixit pro *ad domum meam.* Pari itaque ratione *domum ad Afranium* idem valet, ac *ad domum Afranii.* L. III B. C. C. 4 Cæſar ſcribit, *Deiotarum Is c* Gallos adduxiſſe. Ubi recte Cl. Daviſius addit, *Galatas*, ſeu *Gallo-Græcos* ibi eſſe intelligendos. Eorum enim regionem Appianus Γαλατίαν τὴν ἑῴαν, & incolas Γαλάτας τοὺς ἑῴους, *L. II B. C. p. 458 & 472* nuncupavit. *Galatia* itaque apud veteres Scriptores, quod data occaſione hic adjicimus, nonnunquam pro Gallia, & hæc viciſſim pro Galatia, vel ſolo Cæſare teſte, accipitur, atque in *Orientalem*, ſive Aſianam, quæ proprie Galatia dicitur; & *Occidentalem*, ſive Europæam, & Tranſalpinam, quæ Gallia eſt, dispertitur. Quæ obſervatio inſignem lucem conciliare poterit loco Paullino, qui extat *2 Tim. IV, 10*, ubi Creſcens εἰς Γαλατίαν profectus eſſe perhibetur. Euſebius autem, ad hunc locum provocans, Creſcentem ἐπὶ τὰς Γαλλίας a Paullo miſſum fuiſſe, teſtatur. *H. E. L. III C. 4 p. 74.* Quamobrem nonnulli, Euſebii auctoritate permoti, nominatim Epiphanius & Hieronymus, apud Valeſium, *Annot. in Euſeb. 44*, vocem Γαλατίας, quæ in ſanctioribus literis habetur, ferre nequeunt, eandemque cum Γαλλίας vocabulo permutant, propterea, quod Creſcentem in Galliam, proprie dictam, veniſſe, certo certius conſtet. Qua quidem in re non falluntur: haud tamen neceſſe eſt, ut e divino Codice vox Γαλατίας tollatur, quum *D. Apoſtolus* de Galatia, non

p. 389.
465

non *Orientali*, ſed *Occidentali* loquatur. Sic igitur nec religioni, nec veritati quicquam decedit, veterumque conſenſus de Creſcentis in Galliam adventu præclare firmatur. Denique
p. 680. Cap. XC Comment. arior. de Bello Africano, ab A. Hirtio, qui *Panſa* cognomine perperam inſignitur, quum hic illius in conſulatu collega fuerit, docente Clariſſimo Viro, J. A. Fabricio, *Bibl. Lat. p. 159 ed. ult.* conſcriptorum, *Daviſius* erudite obſervat; Natales *a Veteribus dictos omnes illos dies, qui inſignem aliquam lætitiam, aut vitæ mutationem attulerunt.* Hinc Cicero reditum ſuum in Oratione, eam ob cauſam habita, *Natalem* vocat; & ad Att. L. VI Ep. 6 παλιγγενεσίαν. *Spartianus* in vita Hadriani *natalem adoptionis celebrari juſſit.* *Natalem* quoque pro die, quo imperium iniit Maxentius, abſolute poſuit Autor incertus, Paneg. *VIII c. 16 p. 217, Edit. Cellarii.* Hactenus Daviſius. Atque hinc etiam Veteres Chriſtiani dies, quibus cruenti cœleſtis veritatis teſtes mortalitatem expleverant, *Martyrum Natales* dixerunt, & quod glorioſo certamine his *Martyres* perfuncti eſſent, lætati ſunt, rituque ſolemni *Natales* iſtos quotannis concelebrarunt. Plura non cumulamus, ſed Lectorem harum rerum cupidum, ad Daviſium remittimus. Reſtat tamen, ut quid de *Græca VII de B. G. Librorum Metaphraſi*, a quibusdam *Maximo Planudi*, ab aliis vero *Theodoro Gazæ* aſcripta, habendum ſit, pauciſſimis ſubjungamus. Quod Cl. Daviſii, quam noſtris verbis ediſſerere malumus. *Quicunque demum*, inquit ille, *ſit auctor, vitioſis ſane Codicibus eſt uſus, & Linguam Latinam minus calluit;* (Vid. p. 29 Not. 1.) *unde factum, ut a Cæſaris mente paſſim aberrarit, & ineptum ſenſum procuderit: ideoque non meæ voluntati, ſed aliorum votis ſum obſecutus, cum eam interpretationem hic repræſentandam duxerim.*

GEMME ANTICHE FIGURATE, &c.

i. e.

GEMMÆ VETERES EFFIGIATÆ PER DOMINICUM ROSSIUM, cum explicationibus PAULI ALEXANDRI MAFFEI, Patricii Volaterra-

laterrani, Equitis Ordinis S. Stephani & inter Pontificis corporis cuſtodes. Pars I, ad P. M. CLEMENTEM XI.

Romæ, ex Typographia alla Pace dicta, 1707, 4. ch, reg. Alph. 1 & fig. Tabb. æn. 106.

INciderat æri circa medium Seculi ſuperioris imagines in antiquis Gemmis obvias *Leonardus Auguſtinus*, cumque ſuis, aut potius, qui verus Autor, vel certe laboris ſocius creditur, *Joannis Petri Bellorii* annotationibus imprimi curaverat: quæ laminæ æneæ cum in manus perveniſſent *Dominici Roſſi* (cui etiam Statuarum veterum modernarumque collectionem ſplendidiſſimam, in Actis A. 1707 recenſitam, debemus,) facile ille perſuaderi ſe paſſus eſt ab amicis nonnullis, ut opus elegantiſſimum denuo ſub prelum mitteret, cælaturas quoque ſculpturasque complures ab *Ænea Vico* quondam, *Petro Stephanio* aliisque ſeorſim editas, ab *Auguſtino* autem omiſſas, quasque ipſe in optimis quibusque per Italiam Cimeliarchiis obſervaſſet, adjiceret. Dividitur in quatuor Partes, quarum prima ſolum effigies Regum, Heroum vel privatæ etiam ſortis hominum, ſecunda & tertia ritus ſacros ſuperſtitionemque gentilitiam, quarta miſcella quodammodo ea, quæ in tribus prioribus non reperiebantur, aut in iis locum commode non inveniebant, complectitur. Augent libri pretium perdoctæ *Johannis Alexandri Maffei* (qui & *ſtatuas* modo memoratas illuſtravit) commentationes, Auguſtini expoſitionibus, ſed majori paulo charactere, ſubjunctæ, quas ſi probaverint Viri eruditi, ſpem facit fore, ut obſervationes quoque ſuas in veteres picturas inſignia Romani ſplendoris argumenta, quasque jam in æs ſculpere laudatum Roſſium memorat, brevi cum ſtudioſis antiquarum elegantiarum artisque pictoriæ vernaculo ſermone communicet. Præmiſſa eſt *Leonhardi Auguſtini* in notitiam veterum Gemmarum velut introductio quædam, brevis ea, ſed multa eruditione referta. Statuit ibidem duplex illarum genus, cavatum alterum & profundum, Græcis *Glypticum* vel *Dioglyphicum*, alterum prominens ſurgente ſupra ſuperficiem figura, Græcis *Anaglyphicum* vel *Anaglypticum* dictum. Prioris generis uſus olim in

Præf. p. 13, 14.

19.

21.

22.

Digitized by Google

in anulis ſignatoriis, poſterioris ſolum in ornamentis, anulis puta,
armillis, monilibus, cingulis, fibulis. Materia ex Achate, Sardo-
nyche, Onyche aliisque, quas Cammea vocant, varietate colo-
rum cum arte certantibus. Imagines, quas ſiſtunt, Deorum
ſunt, Heroum, Geniorum tutelarium, familiarum, Urbium, Re-
gum, Imperatorum, illuſtria facinora majorum; porro Profeſ-
ſionis, quam quisque tractabat, Magiſtri & inſignia, Philoſophi,
Poetæ, Oratores, Curſores, Athletæ, bigæ item, qua-
drigæ, ovationes, palmæ Olympicæ, ſacrificia, myſteria ſacro-
rum, & alia innumera: quæ diverſitas figurarum inde potiſſi-
mum nata eſt, quod cuique, quam in anulo ſuo geſtare vellet, li-
citum eſſet. Multum ideo ad penitiorem Antiquitatis cogni-
p. 26. tionem eas conferre putat, ob ſervatam in illis celeberrimorum
hominum, quorum vultus nobis exhibent, & antiquiſſimorum
inſtitutorum memoriam: ſuperiores etiam numis ipſis veteri-
29. bus, ſi artis pretium ſpectes, quanquam his in eo cedere debeant,
quod titulo plerumque careant, atque ideo res tota aliquando
conjecturis committenda ſit. Sequuntur deinde centum &
quinque in ære expreſſæ Imagines, quas excipiunt *Leonhardi Au-
guſtini* & *Joh. Alexandri Maffei* eo, quem expoſuimus, ordine
enucleationes. Delibabimus ex hujus obſervationibus, quas
primæ ſpeciatim Parti ſubjecit, nonnulla, quæ digna nobis com-
memoratione viſa ſunt; reliquas Partes proxime in ipſis Actis
recenſebimus. *Tabula IV* offert caput *C. Sulpitii*, ſcriptis
8. a cervice literis ⊢C SVL Ḣ· Cum vero duos Sulpitios apud *Ful-
vium Urſinum de Familiis Romanorum in Gente Sulpitia* hoc
prænomine legat Cl. Autor, quorum alter Conſulatum geſſit
cum *M. Claudio Marcello* A. U. C. 587, alter *Platorinus* dictus
fuit, utroque tamen antiquioris vultum credit, *C. Sulpitii Came-
rini*, Viri Conſularis, & ob victoriam a Gallis reportatam incluti,
cujus imaginem quendam ex poſteris Gemmæ inſculptam anulo
ſuo, more illis temporibus familiari, inſeruiſſe, non vane augu-
ratur. In *Tab. VI* comparet *S. Pompeji*, *Cn. Filii* facies in Sar-
donyche artificioſiſſime expreſſa, additis a cervice literis VOΠOVI
ΠOI SI, ſub quibus Artificis nomen latere arbitratur doctiſſimus
9. *Maffeus*. Certe id ſolitum aliquando fieri, indicio eſt gemma
cum

Digitized by Google

cum imagine *Phocionis*, Oratoris Athenienſis, quam *Bellorius* ex Muſæo *Antonii Mariæ Caſtilionei* primus produxit, in qua hæc verba ſubjecta leguntur: ΠΥΡΓΟΤΕΛΗΣ ΕΠΟΙΗΣΕ. *Tabula XIV M. Agrippæ* caput corona aurea roſtrata redimitum monſtrat, qua poſt navalem in mari Siculo pugnam contra *S. Pompejum* ab *Auguſto* donatus fuit, hac quidem prærogativa ei conceſſa, *ut quoties triumphans aliquis coronam lauream ferret, ipſe navali hac uteretur.* Ad *Tabulam XX* obſervat, non reperiri alium numum imaginem *Agrippinæ*, majoris nimirum, filiæ *M. Agrippæ*, conjugis *Germanici*, referentem, quam quem cudi fecerit Filius *Caligola*, cum inſcriptione: AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI; ſupprimente omnem quippe recordationem optimæ Principis *Tiberio.* In explicatione *Tab. XXXVI*, quæ *Juliam* Titi filiam, *Sabini* uxorem, ſed huic brevi poſt a *Domitiano* ereptam, conſpiciendam præbet, illos erroris adductis eam in rem *Suetonii* & *Dionis* locis arguit, qui eam, ſublatis e medio Patre & Marito, Uxorem Imperatoris, cum concubina ſaltem fuerit, factam contendant: neque multum contrariam ſententiam juvari exiſtimat, quod in numo quodam apud *Angelonium*, Apotheoſin hujus Juliæ oſtendente, ſimul verba legantur: DIVAE JVLIAE AVGVSTAE T. F. S. P. Q. R. cum titulus AVGVSTÆ non ſemper idoneum argumentum ſuppeditet, eam, cui nomen illud tribuitur, Imperatoris conjugem fuiſſe. Aſſervari in Gazophylacio Sereniſſimi Parmenſis Ducis numum cum inſcriptione: MATIDIA AVGVSTA DIVAE MARCIANAE FILIA; itemque alium in Muſeo Principis Areſchottani cum verbis: MATIDIAE AVGUSTAE: cum tamen conſtet, *Matidiam*, *Trajani* ex Sorore *Marciana* Neptem, nunquam Imperatorum cuidam nuptiis fuiſſe junctam: probabile tamen fieri, quod *Spanhemio* quoque, *Foreſtio* aliisque viſum, illam nominis hac prærogativa ab avunculo donatam eſſe: quin imo accepiſſe ſe narrat a V. C. *Joh. Chriſtoph. Battello*, Pontifici *Clementi XI*, qui hodie ſedet, a Bibliotheca, appellationem AUGUSTÆ uxoribus ſororibusque Imperatorum communem fuiſſe, etſi plerumque iisdem a Senatu ſolenni ritu concederetur; quo trahenda

p. 26.

43 ſeq.

Qq *Pli-*

Digitized by Google

Plinii verba in Panegyrico Trajano dicto: *Obtulerat illis Senatus cognomen* AVGVSTARVM, *quod certatim deprecatæ ſunt, quamdiu appellationem Patris Patriæ tu recuſaſſes: ſeu quod plus eſſe in eo judicabant, ſi* VXOR *&* SOROR *tua, quam ſi* AVGVSTAE *dicerentur.* Adjecta eſt in fine ejusdem *Maffei* ad Virum ſummum, *Franciſcum Alexandrum Albanum*, Epiſtola, in qua de interpretatione veteris cujusdam Criſtalli, ex Muſeo *Marci Antonii Sabbatini* in lucem protracti, ejusque inſcriptione disquiritur. Occurrunt in eo tres numi, quorum primus caput Commodi Imp. addito nomine: IMP. COMMODVS; ſecundus Victoriam cum epigraphe: VICT. AVG. tertius Janum bifrontem in atrio Templi ſtantem & haſtæ innixum ſiſtit. Admiſcentur ſimul folium lauri & ficus cum cariotide. Circum legitur inſcriptio, injuria temporum ex parte mutila: ANNVM. NOVVM. FAVS........ EM. FELI........ ERA.... quam ſic reſtituit: *Annum novum, fauſtum, perennem, felicem Imperatori.* Rem totam ad feſtivitates in honorem *Jani* Calendis Januarii peragi ſolitas, & dona, quæ ſibimet invicem offerebant eo die Romani, Vota item & ſupplicationes pro ſalute Principis eodem ſuſceptas refert.

p. 113 ſeq.

PARERGA SACRA, SEU INTERPRETAtio ſuccincta & nova quorundam textuum Novi Teſtamenti.

Trajecti ad Rhenum, apud Gul. van de Water, 1708, 8.
Plag. 4.

PRodromum hunc majoris Operis, Obſervationum nimirum ad totum Novum Teſtamentum, voluit in Belgio preſſo nomine prodire, ut lateret ad tempus, Autor Clariſſimus, Jo. Fridericus Hombergius de Vach, in Academia Marburgenſi Profeſſor Juris. Ingenioſas autem & non vulgares eſſe obſervationes has, ceu de iis judicavit quoque in præfatione ad Lectorem Hadrianus Relandus, ſtatim apparebit, ſi quasdam earum recitaverimus. Hebræorum XI, 19 ſenſum ita exponit: ὅθεν αὐτὸν (τὸν Ἰσαὰκ) καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, *quare illum, in ipſa etiam projectione ad mortem, recepit.* Heſychio enim, ἐκ παραβολῆς idem eſſe

eſſe quod ἐκ παρακινδυνεύματος, ex periculo præſentiſſimo. Et quanquam ὅθεν ſenſum illum, *ex quibus, mortuis ſcilicet*, forte admittat, aptius tamen fluere omnia, ſi cum Hiſpano, docto, uti videtur, interprete, reddamus *quare, quocirca: por lo qual*. Sic Galat. III, 4 ſcopum Apoſtoli eſſe, convincere Galatas, quod non ſit recipiendum jugum legis; tot enim & tanta *beneficia* divina, donationem Spiritus Sancti, & efficaciam illius quoad virtutum operationem, non poſſe fruſtra in ipſos eſſe collata. Significare ergo τὸ πάσχειν hic, *beneficio affici*, utpote μέσον. Similiter 2 Tim. II, 3 κακοπαθεῖν non reddendum, *laborare, affligi*, ut alibi, ſed *certare, periculum ſubire*, ſenſu militari: quod magis emphaticum, atque alterum illud etiam includat, nec tamen vulgare ſit. Vidiſſe id Dan. Heinſium, (quod tamen in Exercitat. ad h. l. non reperias) & vertendum indicaſſe, *pugna*; nec tamen addito teſtimonio. Occurrere autem Æliani locum, V. H. II, 28. οὔτοι μὲν οὔτε ὑπὲρ πατρῴων θεῶν, οὐδὲ μὲν ὑπὲρ γονικῶν Ἡρώων κακοπαθοῦσιν, *hi neque pro Diis familiaribus, neque pro Heroibus, majoribus ſuis pugnant*. Conſpexerat enim Themiſtocles gallos gallinaceos μαχομένους, *pugnantes*. Lucæ I, 78 admitti non poſſe, ut ἀνατολὴ ἐξ ὕψους referatur ad comma 78, ceu hactenus receptum, *viſitavit nos Oriens ex alto*. Deo paſſim tribui viſitationem, ſine addito, cap. I, 68, VII, 16, Act. XV, 14, Hebr. II, 6. Comma igitur 79 ita incipere: Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ἐπιφᾶναι. *Ortus*, i. e. Sol oriens, vel, *Is, qui prodit ex alto, ut appareat*. Sic Luc. II, 32 φῶς non pertinere ad comma 31, ſed 32. *Lumen*, εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. Porro Luc. XII, 49 καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη; non eſſe ſermonem optantis, ſed corrigentis: *Et quid volo? at qui (ſiquidem) jam accenſus eſt*. Sicut Marc. XV, 44 miratur Pilatus, εἰ ἤδη τέθνηκεν, *quod jam mortuus eſſet*; de re jam facta. Et Rom. III, 3, Τί γάρ, εἰ ἠπίστησάν τινες, *quid enim? atqui fuerunt quidam increduli*. Eundem uſum hujus particulæ eſſe apud LXX. Jam Joh. VIII, 25 Chriſtum ad interrogationem Judæorum ironicam: *Tu quis es?* reſpondere utique directe: τὴν ἀρχὴν, *plane, quodcunque etiam vobis dico*. Ita τὴν ἀρχὴν apud Lucianum, pro *prorſus*. Apud Ælianum, μηδὲ τὴν ἀρχήν, *non*

omnino. Non autem eſſe hic ὅτι conjunctionem, ſed ὅ, τι legendum, quoad ſenſum autem aliquid ſupplendum ex commate 26. *Verum eſt plane, quodcunque etiam loquor vobis.* (Et, quæ ſequuntur, πολλὰ — κρίνειν, parentheſi includenda.) *Sed & , qui miſit me, verax eſt.* Contra verba Chriſti Matth. XXIV, 15 citra parentheſin debere jungi hoc modo: *quicunque ſtat in loco ſancto, & hæc legit, mentem advertat.* Etſi enim ὁ non ſit ante ἑςὼς, ſufficere tamen addi verbo ſequenti; ὁ ἀναγινώσκων. Aut vero, ſi admittenda parentheſis, conjungenda verba cum commate 16: *Quando videritis — Tunc ille, qui ſtat in loco ſancto,* (Lector mentem advertat,) *& illi, qui ſunt in Judæa, fugiant in montes.* Τότε *enim collocandum ante* ἑςὼς, & voce hac intelligi non perſonam unam, ſed, collectivam, atque ita combinari poſſe cum φευγέτωσαν, tum ſtantes in loco ſancto, tum & qui ſunt in Judæa. Apud Marcum autem XIII, 14 ὅπȣ ȣ̓ δεῖ, exponit, *ubi non expedit.* Sic enim non ſemel in Anacreontis Odis. Mentem Pauli Rom. XIV, 1 μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, hanc ait eſſe, aſſumendum eum, qui infirmas opiniones foveat, ſine dijudicatione illarum opinionum. Per totum enim fere N. T. διαλογισμὸν notare cogitationem vel diſcurſum mentis. Difficilem locum 1 Cor. XV, 29 de Baptiſmo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, illuſtrat ex Joh. XI, 4 & Rom. I, 5 ac præterea ex Syneſio, σαφῶς ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν, *currimus pro vita,* amittenda ſcilicet. Eodem modo Paulum dicere, quid faciunt, qui baptizantur baptiſmo mortis, ſive ut moriantur, ceu martyres, [ὑπὲρ exponendo per ἵνα,] ſi mortui non reſurgunt? Trajectionem verbi μεταξὺ occurrere Act. XIII, 42, & ſic reſtituendum: *Interim* (μεταξὺ) *dum Judæi exirent, rogarunt gentes.* Nam id probari per comma 44. Sic Theophraſtum locutum C. 7 καὶ μεταξὺ, *& interea.* Marci XIV, 72 ſenſum eſſe: recordatus Petrus verbi, *& mox addidit fletum.* ἐπιβάλλειν enim ſignificare *confeſtim*, *e veſtigio* aliquid adjicere. Apud Joh. I, 16 non eſſe Hebraiſmum, ceu putarit Noldius, ſed ἀντὶ in comparationibus notare ſuperlativum gradum, perinde ut πρὸ. Ex plenitudine & fonte ejus accepimus nos omnes varia & multa, *maxime vero & ſummam illam gratiam ſalutis.* Denique

Digitized by Google

nique 1 Cor. XI, 10 ἐξουσίαν de propria ſignificatione *poteſtatis* ita exponit: mulier debet habere *poteſtatem mariti in ſe*, vel *ſupra ſe*. Κεφαλὴν enim notare totum hominem. Ita tutelam definiri apud JCtos ἐξουσίαν ἐπὶ κεφαλῆς, vel κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς, poteſtatem in capite libero pupilli, ubi phraſis Apoſtolica αὐτολεξεὶ exhibeatur. Publice ergo debere etiam apparere in muliere ſignum aliquod ſubjectionis & tutelæ illius, ſicut in viro teſtimonium aliquod præſtantiæ & poteſtatis; ut oret capite aperto, illa vero operto. Et hanc curam incumbere mulieri διὰ τοὺς ἀγγέλους, ne in idem cum Angelis illis κρίμα incidat, de quibus Judas v. 6 ait, eos deſeruiſſe ordines ſuos, & capita, & poteſtatem, ἀρχὴν, cui ſubjecti fuerant, non quod ipſi deſertores eam in alios habuerint. Geſtitque nunc adeo animus intueri egregium iſtud opus Obſervationum ad totum Novum Teſtamentum, cujus editionem paratam ſe habere teſtatur erudiſſimus Auctor: ac tunc videbimus, an non & illi dederit κάλλος ἀντ᾽ ἀσπίδων ἁπασῶν, ἀντ᾽ ἐγχέων ἁπάντων, ſtylo Anacreontis.

MICHAELIS ROSSAL DISQUISITIO DE Epicteto Philoſopho Stoico, qua probatur, eum non fuiſſe Chriſtianum.

Groningæ, apud Jo. a Velſen, 1708, 8.
Alph. 2.

EA fuit Philoſophorum quorundam ex gentilibus virtutis probitas & conſtantia, ut æqui etiam ex Chriſtianis quidam rerum æſtimatores, vel Chriſtianorum eos cœtui adſcribere, vel de ſalute ſaltem eorum æterna disquirere haud dubitaverint. Accidit ejusmodi quid Stoicæ inprimis Sectæ addictis, vitæ ſeveritate & morum elegantia facile reliquis palmam præripientibus, ut exemplum nobis, poſt Senecam, θαυμαστὸς ille ſenex, ut Luciano contra morem audit, Epictetus præbet. Huic, quod in gentili laude dignum eſt, non denegat Cl. Autor, Græcæ Linguæ in Athenæo Groningano Profeſſor, quin potius miratur, eos in Ethnico homine ſuis tantum viribus re-

licto in virtute profectus; Chriſtianum autem eum dicere, ut quibusdam placuit, ipſimet Epicteto putat contrarium. Inſtituto igitur haud contemnendo, cum explicationem Enchridii aggrederetur, ea argumenta conquiſivit, quæ Epictetum intra Gentilium cancellos detinere facile poſſunt. Ne vero pugnam ſine hoſte ineat, profert ſub initium ſtatim, quem ſibi impugnandum ſumſit, *Casparem Barthium*. Is enim Adverſ. L. 53 cap. 10 admodum pronum in eorum ſe profitetur eſſe ſententiam, qui Chriſtianum fuiſſe Epictetum putant, quamvis alibi Lib. L ad finem Cap. 16 ipſe παραδοξόν τι aſſertum iſtud fovere profiteatur, quando Epictetus (ita Barthius) Chriſtianiſmi & peritus & ſectator, tam vita quam ſcriptis, fuiſſe dicitur. Noſter quidem Chriſtianiſmum Epicteti primum impugnat ex immortali illo ac divino opere Origenis contra Celſum L. VII, ubi acerrimus Chriſtianorum hoſtis Celſus non laudat tantum Epictetum, ſed in Deorum etiam, Herculis, Orphei, Æſculapii, ſocietatem collocat, virtutesque hujus & Chriſtianorum tanquam contrarias ſibi invicem opponit. Cumque Origenes ad iſta nihil opponat, nec Celſi laudes in favorem cauſæ ſuæ arripiat, indicio clariſſimo eſſe putat, Epictetum fuiſſe Gentilem. Deinde Chriſtianos Deum nullo nomine inſignire voluiſſe, oſtendit ex Minucio Fel. in Octav. C. 18 & Cypriano de Idolorum Van. Cap. 5. At Philoſophus noſter non modo Deum appellat, ſed multitudinem etiam Deorum agnoſcit, & cultum eorum paſſim commendat. Tertium argumentum petit a juramentis Epicteti, per Deos, per Jovem, per Deos & Jovem. Quartum a ſententia Epicteti, mortem eorum glorioſam ſtatuentis, qui ſponte cum Catone vel ferro vel veneno, qua patet via, ad libertatem ſe vindicant, ut eſt apud Arrian. Epict. II, 25. Et quamvis alibi L. II, 15. omni eloquentiæ vi amicum a moriendi conſilio revocet, id eo tantum conſilio factum Cl. Autor oſtendit, quod juſtæ mortis cauſæ deeſſent, cum alias decretum mortis cum ratione initum ſuadeat Epictetus & permittat. Tum quod aſſerat, animam hominis eſſe a Dei ſubſtantia diſcerptam, eſſe ipſum Deum: ſic enim Arrian. Epict. II, 17 σὺ θεὸς εἶ ὦ ἄνθρωπε, Deus es, o homo,

& L II

& L II C. 8 *σὺ ἀπόσπασμα εἶ τῦ Θεῦ, ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνυ, tu aliquid es a Deo avulſum, in te aliquam ejus partem babes;* quæ omnia animarum præexiſtentiam & abſolutam hominis perfectionem inferentia, quam ſint doctrinæ cœleſti & Chriſtianæ ταπεινοφροσύνη adverſa, neminem latet. Denique ex ipſis primis Enchiridii verbis id evincit, ubi per *τὰ ἐφ ἡμῖν*, in poteſtate noſtra ſitum docet non peccare, more Pelagiano. His ita rite expoſitis & ex fontibus ſolide deductis; ad enervandum contrarii argumenti robur pergit. Deſumtum illud eſt ab Epaphroditis, quorum Paulus in Epiſtola ad Phil. IV, 18 & II, 25, Suet. in Nerone Cap. 49 & Xiphilinus in Ner. mentionem faciunt; hos enim dum eosdem, vel poſteriorem ſaltem Chriſtianum ſtatuunt, (ut Celeb. Daubuzio Anglo in tractatu nuper in Actis recenſito, quo teſtimonii Fl. Joſephi de J. Chriſto veritatem exquiſita opera confirmavit, placuit) per Epaphroditum Neronis libertum, Epicteti herum & Pauli familiarem, ad Paulum atque ita ad Chriſti ſanctiſſimam diſciplinam deducunt Epictetum. Hæc itaque ut refelleret Cl. Autor, primo Epaphroditum Pauli ſocium proponit, eundemque ſecundi ordinis Apoſtolum, de quorum nomine ex Euſeb. H. E. I, 12 & munere exigendi tributum, quod Apoſtolatus vocabatur, ex Juliani Epiſt. 15 ad Judæos, aliisque monimentis egregia promit, fuiſſe demonſtrat; de Neronis dein Liberto Epictetique noſtri hero ea profert, quæ ab homine Chriſtiano plane ſunt aliena. Ad ultimum denique argumentum progreſſus, ex Arriani Epict. L. IV C. 7 illud matuatur, ubi Chriſtianos, quos Galilæos vocat, ſtylo gentili tum recepto, probat ex Min. Fel. Octav. C. XI Plin. Ep. L, 10. Ep. 97 & ex 1 Cor. I, 18 veritatis vi adactus a conſtantia in adverſis mundanorumque contemtu laudat, ſed ex conſuetudinis quodam & vana perſuaſionis vi, imo ex inſania & furore aliquo malitioſe derivat, Producit denique alium locum ex Arr. L. II C. 9, ubi tamen per Judæos, quos ibi vocat, non Chriſtianos, ſed proprie dictos Judæos intelligendos evincit; contra Lipſium ad Tac. Ann. 15, Grotium in Matth. XXIV, 22, Dion. Petavium ad Themiſt. Orat. XII, idque primo ex ſtylo Ariani

Arriani, vocem iſtam pro Judæis proprie dictis uſurpantis L. I c. 11, deinde ex moribus, quibus Ἰουδαίους ab aliis gentibus diverſos depingit, ut Legibus de cibis, abſtinentia ſuillæ &c. Nec morari quenquam vult Cl. Autor, factam ab Arriano baptiſmi mentionem, cum & Judæi ſuum initiationis ſive proſelytiſmi habuerint baptiſmum, modo ante modo poſt circumciſionem peractum; circumciſionem autem voce ᾑρημένος ab Arriano l. c. indigitari, ex ſignificatu vocis αἱρεῖν, quo apud Celſum, Origenem, Galenum ſecandi ſignificatum obtinet, evincit. Addita in fine eſt Oratio elegans de Præſtantia Linguæ Græcæ ad Artium, quibus liberales doctrinæ continentur, cognitionem adipiſcendam, dicta a Cl. Autore A. 1706, cum Linguæ Græcæ & Artium extra ordinem Profeſſionem auſpicaretur.

DIODORI TULDENI JC. ET IN ACAD. LOvan. Prof. Regii de Cognitione ſui Libri V. Editio altera, curante C. F. GOLDBECK, Stendalienſi; acceſſit GERH. JO. VOSSII de cognitione ſui libellus, itemque Diſſertatio præliminaris JO. FRANC. BUDDEI, Theol. D. & P. P.

Jenæ, apud Tobiam Oerling, 1706, 8.

Alph. 1 pl. 14.

QUantum ſit, ſe ipſum noſſe, quidve in omni vita cognitio ſui præſtet, & gentiles quovis agnoverunt tempore, & notius eſt quam ut verbis opus ſit. Certatim hinc Viri eruditionis laude celeberrimi id dedere operam, ut certo ordine juſtisque regulis illa ſaluberrima diſciplina comprehenſa orbi ſiſteretur. Ut nunc antiqua ſapientum dicteria mittamus, quis ignorat J. Abbadie *l' Art de connoitre ſoi meme:* P. L' Ami *de la connoiſſance de ſoi meme:* Dyckii *noſce te ipſum:* Franciſci Petrarchæ *de ſua ipſius & aliorum ignorantia*, T. II Oper. Ed. Baſſil. p. 1036, aliorumque tractatus elegantiſſimos? Non igitur mirum, quod Cl. Goldbeckius, Stendalienſis, quinque de Cognitione ſui Tuldeni Libros, quorum rariſſima ex editione prima

prima Lovanienſi erant exemplaria, recudi fecerit. Notum jam alias ſatis eſt Tuldeni, per 25 annos Jurium Prof. Lovan. & tandem ſupremi, quod Mechliniæ eſt, Conſilii Aſſesſoris graviſſimi, nomen. Edidit enim A. 1621 de Principiis Jurisprudentiæ Libros duos, de cauſis ac remediis corruptorum Judiciorum totidem Libros A. 1624, de Jurisprudentia Extemporali, ſeu de Regulis Juris Libros II A. 1629, Commentarium in Inſtitutt. J. C. Libris IV, & ad Codicem Juſtinianeum A. 1633, cum aliis eruditione omnigena conſpicuis ingenii monimentis, in quibus præſens liber id ſingulare habet, quod in eo rem omnem ex veræ Philoſophiæ principiis & naturæ humanæ conſideratione deducat Autor, modeſtia ubique uſus inſigni ac pietate. Libro I virtutum, quarum ſui cognitio fœcunda mater eſt, catalogum ſiſtit. Libro II humanæ naturæ, vitæ, fortunæ imaginem repræſentat, eleganti tractatione de animæ noſtræ qualitatibus viribusque adjuncta. Libro III ingeniorum, temperaturæ, corporum denique inſpectionem inſtituit. Libro IV ſuas cuique labes morum vel laudes oſtendit, in quo adeo & de curioſitate & philavtia earumque remediis apte agit. Libro denique quinto cuilibet fortunam ſuam & perſonam vera æſtimatione expendendam ſiſtit: cum enim limites notitiæ ſui longius produxerit Autor, externorum etiam, quæ ſingulos comitantur, ipſi habenda fuit ratio. Ut vero ſine nævo non temere corpus quoddam reperias; ita in Tuldeni quoque noſtri opere quædam obſcurius ſaltem dicta occurrunt, quorum exempla exhibet præmiſſa opuſculo Præfatio Viri ſumme Rev. Jo. Franciſci Buddei, Collegæ noſtri honoratiſſimi. Nos verbo rem indicabimus. Lib. I Cap. II circa fin. aſſerit, inſita homini ab autore & parente Deo omnium ſemina virtutum eſſe, quæ Stoicorum λόγον σπερματικὸν redolere, Cel. Buddeo videntur, acriorem cum ſacris literis collata vix paſſura cenſuram. Si tamen pro Tuldeno aliquid dicendum ſit, forte ea ipſi mens fuit, quod ratio ex naturæ humanæ conſideratione hoc colligit, virtutes omnes apprime homini convenire, nec eum recte ſibi conſulere, niſi iis quam maxime ſtudeat. Alterum, quod Præfatio monet, ſpectat L. I

Rr Cap.

Digitized by Google

Cap. V, ubi nimium tribuere videtur ad excitandum virtutis ſtudium, excellentiæ humanæ conſiderationi quaſi certiſſima ad virtutem via ſit, ſi homini inculcetur, vitia quævis infra hominis dignitatem eſſe. Quid vero periculi ſecum ferat ita ſtatuere & naturam a gratia ſejungere, & experientia evincit & divinæ tabulæ docent. Hinc enim derivandos putat Cel. Buddeus graviſſimos in morali doctrina Renati Carteſii errores: ſummum hominis bonum, quoad nos ſpectatum, conſiſtere in recto liberi arbitrii uſu; virtuti eum litare, qui faciat, quæ meliora eſſe judicat; cupiditates animi generoſitate eſſe non tam vincendas quam ſpernendas. De quibus Poireti effatum probat de Erud. ſol. L. 3 §. 54. Sed cum Tuldenus profeſſus ſit ſub initium, Philoſophi ſe tantum hic fungi munere, forte hic quoque merebitur veniam; quin laudat potius ipſe Cl. Buddeus ſummam Viri diligentiam, qua ex Philoſophorum decretis hocce argumentum elegantiſſime pertractavit. Dedit Auctori ſocium Goldbekius Voſſii libellum de cognitione ſui, qui brevitatem varia eruditione & ſingulari in detegendis moribus ἀκριβείᾳ compenſat.

DISSERTATIO DE ANIMI AFFECTIONUM Phyſicarum cauſa & loco, ac de Tabaci uſu.

Ferrariæ, apud Bernardinum Pomatellum, 1702, 4.
Conſtat plag. 14.

AFfectus duplici ratione conſiderari poſſunt, quatenus ſcilicet vel corpori, vel menti accidunt. Quoties enim affectibus agitamur, toties in corpore motus, in mente perceptiones extraordinariæ obſervantur. Eorundem itaque geneſin expoſiturus, quomodo & ex quibus cauſis tam illi, quam hæ oriantur, docere debet. Nimirum interdum affectuum cauſæ in objectis externis, organa ſenſoria afficientibus, immediate quærenda, ita ut mente inconſulta excitentur, eandemque in conſortium trahant, citra rationis decretum; interdum vero rationes eorundem in ipſa mente latent, & ad ejus nutum ſtatus

Digitized by Google

tus corporis turbatur. Anonymus noſter mutationes in corpore factas unice conſiderat, cumque ſibi perſuadeat, affectus a partibus ſolidis non reſultare, quod hæ ab adoleſcentia usque ad finem vitæ eædem perdurent, illi autem variabiles exiſtant, nec a ſola ſpirituum diſpoſitione proficiſci, quoniam breves, non diuturnæ ſunt paſſiones, cauſam in fluidorum ſalia conjicit, in ventriculo collecta. Salia enim motum ab objecto extrinſeco concitatum obſervare ac variare poſſe & in ventriculo copioſe deprehendi, per quod viſcus multi etiam nervi ſpargantur, & ad quod ſpiritus animales continuo confluant. Animæ autem tribuit poteſtatem ſpiritus animales ad illa ſalia propellendi, ut cum iis efferveſcant. Qui adeo moderatum, non acrem, ſalſum, heterogeneum ſanguinem habet; hunc eſſe lenem, placidum, clementem, prudentem, aliisque gaudere virtutibus hominem decentibus. Contra maſſa ſanguinea conſpurcata, ſalia auſtera & ſylveſtria ſpiritus in excandeſcentias & furores excitare, unde facile ira, audacia, temeritas, impudentia, lætitia incompoſita, mœror, pudor intempeſtivus, metus vitioſus &c. oriantur. Prolixe quoque de ſternutatione agit & ſternutatoria caute adhiberi jubet, quæ non tentanda niſi cum natura per ea materia gravante liberetur. Hac occaſione ad tabacum dilabitur, cujus varia apud gentes varias nomina recenſet, ſpecies diſtinguit, virtutes præſertim Medicas ex variis Medicorum ſcriptis collectas enarrat. Inter alia ex *Hofmanno* notat, folia tabaci quovis mane comeſta & deglutita podagram curare ac corpus ab ipſa vindicare. Variorum placita cum retuliſſet, tandem concludit, tabacum caute præſcribendum eſſe, cum ob ſalia eum componentia, experientia teſte, uſus ejus internus ſit timendus, nervis quippe inimica, nec parum ſpiritibus nocua, totamque individui œconomiam turbantia. Externum quoque tabaci uſum dubium reddit & quotidianum inprimis damnat, autoritate multorum Medicorum adductus, noxas ejus inculcantium. Moderate tamen ſumtum proficuum eſſe, Medicorum teſtimoniis confirmat. Nocet autem ex ipſius ſententia immoderatus tabaci uſus iis potiſſimum, qui vinum largius hauriunt, & in ſenectute tabaca-

 rii ſtu-

Digitized by Google

nii ſtupidi fiunt, ſegnes ac trementes. Caveat ſibi prorſus ab eo, qui diapſia, ſeroſa ſpuitione continua, cardialgia, ventriculi dolore & ſimilibus morbis affligitur. Ceterum fumo & maſticationi tabaci pulverem per nares hauſtum præfert, quod minora aut fere nulla incommoda afferat, multum ad corporis ſalutem ſenſim conferat, nec civilibus conſortiis, bonis moribus aliisque virtutibus obſtet, cum ex eo neque ebrietas, nec horridæ ſpuitiones, fœtidi halitus, vomitiones &c. ſequantur. Interdum tamen & ad animi, & ad corporis morbos tabaci pulverem aliquid conferre, arbitratur: ubi eos refutat, qui ſibi perſuadent, tabaco cerebrum denigrari. Quemvis autem tabaci uſum Venerem exſtinguere, aut minimum enervare credit, cum ſalibus illis inimicus ſit, quæ titillationem Veneream excitare ſolent.

Der Curiöſen Medicin zweyter Theil.
hoc eſt,
MEDICINÆ CURIOSÆ PARS ALTERA.
Luneburgi, apud Johannem Georgium Lipper, 1708, 12.
Conſtat plag. 5.

MEdicinam Corporis, quam Medicinæ Mentis ſubjunxerat illuſtris Dn. *de Tſchirnhauſen*, ſub titulo *Medicinæ curioſæ* patrio idiomate evulgavit, anno 1705 tertia vice recuſam & novis quibusdam annotationibus hinc inde auctam. Ex intervallo partem alteram addidit, in qua ad objectiones, quæ contra partem primam formari poſſunt, reſpondetur ibique propoſita in majore luce conſtituuntur. Quodſi itaque objicias, non eſſe unius ſeculi, nedum hominis, inventorum imprimis Medicorum ignari omnique experientia deſtituti, Medicinam perficere; reſpondet, ſe doctoribus *Sylvio* & *Drelincurtio* uſum, Collegia Medica & theoretica & practica frequentaſſe, atque Dresdæ apud Medicum experientiſſimum divertiſſe, ejusque Bibliothecam inſtructiſſimam perreptaſſe, ut adeo eorum, quæ in Arte Medica inventa ſunt, ignarus dici nequeat. Addit, ſi quis veris principiis Phyſicis & Anatomiæ inſiſtat, eum non ſpernendos in Medicina progreſſus facere & in arte ratiocinandi

cinandi

cinandi excellentem, atque ad claras experientias cum cura attendentem in praxi etiam Medica plura Medico quocunque præſtare poſſe, præſertim ſi cum hominibus moderate viventibus res fuerit. Si 2 urgeas, cogitationes ejus de tuenda ſanitate ſaltem probabiles eſſe, non demonſtrativas, in praxi autem Medica requiri remedia certa; id fieri non poſſe aſſerit, ſuas tamen cogitationes maximum probabilitatis gradum habere, cum & ratione, & experientia firmentur. Plures eum in finem experientias recenſet. Paſſionem colicam e. gr. eamque ſatis exquiſitam feliciſſime curavit, ſi ægrotus veſtimentis indutus in lecto decumberet, ut calor extraordinarius cibi in ventriculo concoctionem adjuvaret. Si 3 novam methodum periculoſam judices, quod ob ſingulares ſubinde obvias circumſtantias de ejus univerſalitate nondum conſtet; optimos, qui de praxi ſcripſerunt, Autores & Medicos experientia claros in caſibus extraordinariis conſulendos eſſe monet. Si 4 neges, methodum curandi ab eo præſcriptam non præcavere morbos; eos omnino præcaveri affirmat, ſi noctu corpus optime tegatur & dormiens in latus ſiniſtrum proſternatur, ut calor concoctionem ventriculi adjuvet; ſi evigilans ſucceſſive corpus frigefaciat, nec ſitum extemplo mutet; ſi denique a prandio ſomnus capiatur per unius horulæ intervallum & evigilantis facies atque manus frigida abluantur. Si 5 multis caſibus methodus ejus non convenire judicetur; ut conveniat, mutanda paulisper immutari jubet. E. gr. Diarrhoeæ ſudoris excitatio non convenire videtur, cum alvi dejectio te frequenter aliorſum evocet. In hypocauſto itaque calefacto alvum dejicies, nec ſurgas, donec tormina ceſſent: quo facto, in lecto decumbas ſudorem provocaturus. Cumque 6 febrium ex plethora derivatio multis non arrideat; eandem uberius confirmat. Si 7 methodum accuſes, quod ſitim augeat, qua ſæpiſſime nimis torquentur ægroti; os aqua calida elui & aquam decoctam eamque calidam hauriri jubet: quod remedium etſi Medico cuidam apprime arriſerit, & cum ſuceſſu ab eo uſurpatum fuerit, haud tamen diffitetur, hoc ſibi ex aſſe nondum ſatisfeciſſe. De alio igitur cogitavit, quod mox com-

Digitized by Google

memorabitur. Si denique 8 methodum deficere arguas, quod tantum noxia a fluidis removeat, nequaquam vero ea perficiat: defectum hunc lubens agnoſcit, eique nunc medetur, Commendat ſcilicet 1 aerem ſalubrem, fumigiis in hypocauſtis producendum; 2 cibos ſucculentos; 3 ſerum lactis, quod ita paratur. Lac recens coquatur & ferventi adhuc ſuccus citrii aut acetum ex vino paratum inſtilletur, donec præcipitatio fiat, vaſe per bihorium aut trihorium in frigida collocato abſolvenda: qua abſoluta per linteum percoletur. Ultra biduum vix aſſervandum, ne aceſcat. Quibus verbis ſeri hujus virtutes commendet, vix reperit. Prodeſt ſanis, prodeſt ægrotis. In tabe remedium ſpecificum habetur: calculi generationem impedit: infantes eo felicius, quam lacte materno nutriuntur.

Die höchſte Zierde Teutſchlandes und Vortreffligkeit des Teutſchen Adels / ꝛc.

h. e.

SUPREMUM GERMANICÆ NOBILITAtis decus in Libera Nobilitate Rhenana ejusque Tabulis Genealogicis & inſignibus conſpicuum; Autore JOHANNE MAXIMILIANO HUMBRACHT, e Nobili Francofurtenſium ſtirpe.

Francofurti ad Mœnum, ſumtibus Friderici Knochii, 1707, fol. Alph. 13.

NObilitas uti ſummæ non modo virtutis, ſed magnorum etiam facinorum præmium ſemper fuit excellentiſſimum; ita digni omnino ſunt laude, qui nobilium familias, tanquam optimarum virtutum ornamenta, aliis imitanda proponunt. Nobilium vero proſapias perveſtigare haud mediocris eſt laboris. Nec enim quisquam inficiabitur, familias nobiles pleraſque & eas inclytiſſimas majorum incuria ita fuiſſe neglectas, ut ex defectu documentorum, lapidumque ſepulchralium, quos ſec. XIV tantum cœpiſſe volunt, continuam ſeriem annos ultra 500 deducere, omnino ſit difficillimum. Optandum inde fo-

de foret, ut illuſtri Generoſiſſimorum Greiffenclauorum exemplo, nobili ſtirpe nati præſertim ipſi in id incumberent, quo familiarum ſuarum monimenta ab interitu vindicarent, eruerent, publicarent. Præſenti quidem operi fundamenta jecit ipſe *Georgius Fridericus*, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, qui varia documenta collegit eaque perficienda *Georgio Helwigio* tradidit, Moguntinæ Baſilicæ vicario. Sed quo minus hic opus in lucem produxerit, belli partim Rhenani iniquitas, partim moriendi neceſſitas obſtitit. Greiffenclauorum autem familia uti heroicæ virtutis ſtudio dedita ſemper fuit, ita diſperſa penitus & deperdita prope documenta magno ſtudio ſibi vindicavit, quæ deinde augenda ac paſſim emendanda ſuſcepit *Georgius Fridericus Greiffenclau L. B de Volrat*. Et hujus labores licet publici juris fieri haud potuerint, non defuit tamen *Johannes Philippus*, filius natu major, Herbipolenſis Epiſcopus, qui MSta non modo auxit ipſe, ſed id imprimis ſtuduit etiam, ut in publicam emitterentur utilitatem. Inventus ergo eſt Generoſiſſ. *Humbrachtus*, qui opus tandem in ſe ſuſcepit, diſpoſitumque publicavit. Conſtat vero meris tabulis Genealogicis, quæ varias ob difficultates ad noſtrum tempus usque nec deduci, nec ad primam originem ſuam referri omnes potuere. Tabularum initiis addita ſunt etiam inſignia, eleganter ſatis ære excuſa. Nos quidem de Viris illuſtriorum Rhenanæ nobilitatis familiarum, qui ſuperioribus noſtroque ſeculo fortitudine, doctrina, aut dignitate claruerunt, paucula obſervabimus. Prima vero hic nobis memoranda pervetuſta familia Boyneburgiorum, quam Autor inde ab A. 996 repetitam ſex omnino Tabulis fuſe ſatis deducit. Feraciſſima gens eſt tot Abbatum, ut Henrici Hirsfeldenſis, Reinhardi Fuldenſis, Hermanni Corbejenſis; Comitum, ut Philippi Wilhelmi, moderni Erfordiæ locum tenentis; imo & Electorum, Principum, Præfectorum item, legatorum atque oratorum, ut Georgii præſertim Jurium Doctoris Statuumque Proteſtantium ſec. XVI Legati, & Jo. Chriſtiani, equitis per totam Germaniam litterarum doctrina celeberrimi, ut milites fortiſſimos nunc prætermittamus. Nec minus ſtirps illuſtriſſima Comitum a Daun duobus

bus Epiſcopis, Richardo Spirenſi, Henrico Wormatienſi; tot Canonicis, equitibus, heroibusque eminentiſſimis, noſtræ præſertim ætatis, ut Weyrichio Philippo Laurentio, Henrico Dieterico Martino, aliisque pluribus inclyta. Quam illuſtre porro Kolbiorum a VVarteberg Rhenanos inter heroas ſit ſtemma, quod a priſcis Wartebergenſium ſive Warbergenſium in Weſtphalia Comitibus, nec non a Dominis de Warteberg & Wüllenſtein, inter Helvetos claris, & pervetuſtis imprimis Baronibus de Wartenberg qui S.R.I primo, dein Regni Bohemici, Pincernæ hæreditario munere functi ſunt, annis abhinc LX extincti, deducunt ſcriptores; & quantum inclytæ familiæ ſplendoris gloriæque addat hodie illuſtriſſimum Pruſſiæ decus, Joannes Caſimirus, S. R. I. Comes a VVarteberg, non eſt ut pluribus hoc loco memoremus. Antiquiſſimam etiam Fürſtenbergicam domum ab Ottone Comite Oldenburgico, e Regia VVittekindi ſtirpe oriundo, qui ſeculo X vixit, Noſter deducit. Pariter hæc varios Principes Epiſcoposque plures, ut Udonem II Hildelsheimenſem, Diedericum Ferdinandumque Paderbornenſes Epiſcopos & plures alios Viros illuſtres oſtentat. Nec præterire fas eſt inclytos nobiles Zum Jungen, inter quos uti ſeculo XV Joannes Guttenberg Zum Jungen prima artis typographicæ inventione & Jo. Maximilianus ſeculo XVI eruditione & linguarum peritia excelluit, ita hoc ævo Joannes Hieronymus Zum Jungen, inſigni belli gloria claret inter præcipuos. Sic & ſuo merito inter litteratam tractus ad Rhenum Nobilitatem numerantur pervetuſtæ Huttenorum Gemmingeniorumq; ſtirpes. Quis enim Ulricum Huttenum, præcellentis ingenii virum, ſeculo XVI illuſtrem, ignorat? Et uno quidem tempore tres e Huttenorum familia optimis litterarum ſtudiis inclaruiſſe, a Cruſio L. XII Annal. Suevic. memoratum invenimus. Gemmingeniorum autem familia ſeculo XIV quatuor Jurium eodem tempore Doctores numeravit, Joannem nempe, Erpffium, Urielem, Moguntinum poſtea Electorem, & Georgium. Riedeſeliorum familiam, cujus in inſigni caput aſini conſpicitur, e ſeculo XII arceſſit Noſter & operoſe ad noſtra usque tempora deducit, ut vel hinc confirmetur Theodori Hœpingk ſententia, qui de Jure Inſignium p. 435 obſervat, Neſtoriæ nobilitatis indi-

indicium præbere nomina a pecoribus deſumta, qualia apud Romanos Aſiniorum, Caprinorum, Porciorum & Taurinorum. *Haud minus*, addit Hœpingk, *apud noſtræ ætatis Germanos, priſcum avitæ nobilitatis in Riedeſeliorum familia ubivis laudatum fuit cognomentum.* Ceteras Rhenanæ Nobilitatis familias antiquiſſimas, ut Schœnborniorum, Hatzfeldiorum, Franckenſteiniorum, Masbachiorum, Hoheneckiorum, Strahlenbergiorum, pluriumque, hoc explicare loco non licet. Plura ejus generis promiſit nobiliſſimus Autor, de quo, cum ab ineunte ætate Genealogiæ ſtudus deditiſſimus fuerit, optima quæque ſperamus.

Reichs-Ritterſchafftliches Corpus Juris, oder Codex Diplomaticus.

h. e.

VARIA ET ANTEA NONDUM EDITA nunc vero primum collecta documenta, quæ ſtatum & naturam liberæ Imperii Nobilitatis trium equeſtrium Circulorum in Suevia, Franconia, tractuque ad Rhenum, & Alſatia inferiore deſcribunt; Autore JOANNE STEPHANO BURGMEISTERO, D. Conſil. Sax. & Reip. Ulm.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1707, 4.

Alph. 4.

Illuſtre hoc ſcriptum plurima continet documenta & diplomata, quæ hiſtoriam Nobilitatis Franconicæ, Suevicæ tractusque ad Rhenum mire illuſtrant. Complectitur ejus pars prima antiqua varia nobilium fœdera, uniones, formulasque ſocietatum & ordines ludorum equeſtrium, a ſummis Imppi ante Imperii deſcriptionem in X circulos finemque fœderis Suevici, qui in annum 1534 incidit, ſancitos. Prima hic exſtat formula confœderationis de vexillo S. Georgii geſtando, Comites inter & Equites in Suevia A. 1392 factæ. Elegans quoque diploma eſt, quod Noſter num. VI p. 37 adducit, Sigismundi Imp. quod in gratiam totius Nobilitatis Urbiumque

imperialium conceſſit A. 1422; quo ſcilicet & urbibus & nobilitati imprimis concedit, ut contra inſultus aliorum ſocietates inire queant, modo non Imperio ipſi aut Imperatori adverſæ fuerint. Adfert hinc Autor diplomata varia confœderationum, quas Nobiles iniere A. 1407 contra Helvetios, num. II p. 6, n. III p. 12, n. IV p. 21, n. XI p. 52, aliaque complura ad hiſtoriam nobilium illius ævi maxime neceſſaria. Pars altera continet documenta plura, declarationes nempe, confirmationes & conſuetudines, jura item & libertates, mandata, reſcripta & ejus generis alia, quæ poſt tempora imprimis Caroli V Imp. ab ejus ſucceſſoribus in gratiam Nobilitatis promulgata ſunt. Ceterum alio in opere, quem ſub titulo Status Equeſtris anno ſuperiori 1709 Germanico pariter idiomate vulgavit, de prærogativis & fatis Nobilitatis hujus diſtinctius egit Autor doctiſſimus; at de eo alio in loco dicemus.

MONUMENTA NOBILITATIS ANTIQUA illuſtrium familiarum, imprimis Ordinis Equeſtris in ducatibus Bremenſi & Verdenſi, Germanice conſcripta a LUNEBERGO MUSHARDO, Athen. Regii Scholæque Cathedr. ConR.

Bremæ, apud Herm. & Berthold. Brauerum, 1708, f.
Alph. 3 pl. 5.

NOvum producimus de Nobilitate Germanica, Bremenſi ſpeciatim & Verdenſi, opus, quod & ipſum commendatione digniſſimum cenſemus. Hoc prima quaſi incunabula Erpoldo Lindenbrogio debet, qui de Nobilibus Bremenſium MStum reliquerat, quod e variis antiquitatum tabulis Noſter non modo auxit, ſed ad hanc usque ætatem etiam continuavit, additis, ubi ſuccurrebant, tabulis Genealogicis & inſignium figuris. Diviſit autem opus in partes duas, in quarum prima originem, res præclariſſime geſtas, & interitus exponit antiquiſſimorum Bremenſium, vel Marchionum, ut Stadenſium; vel Comitum, ut de Lesmona, Stotel, Diepholtz, Wölpe, Woldenberg; vel Baronum, ut de Machtenſtede, Stumpenhauſen, Bederkeſa,

Digitized by Google

keſa, Haſeldorp & Bramſtete. Ita Stadenſis Marchonatus hiſtoriam explicaturus, initia ad Henricum Aucupem refert & Marchionum inſigniores adducit, Henricum nempe Calvum p. 2.
ſive Craſſum, ab Henrico Aucupe conſtitutum, Henricum, Bonum a liberalitate dictum, filium, qui in Harſeveldi caſtro, 3.
Marchionum ſede, Paſchalis II tempore Archiabbatiam conſtituerat, circa annum 996; cujus & Abbates addit Noſter, plurima 4.
ex parte e nobilibus Bremenſibus electos, Sigfridum I, ob bella cum Danis Normannisque piratica memorabilem, Rudolphum II, qui ſine liberis exceſſit, ultimumque Hartwicum I, fratrem, 14.
Bremenſem Archiepiſcopum, quem Marchionatum in eccleſiæ ditionem transtuliſſe obſervamus, A. 1168 defunctum. Lesmonenſium ſedes antiquæ ad Wimædiæ flumen (Wimme-18.
Fluß) haud procul a Liſmonenſi pago fuerunt. Comites vero, 19.
quorum notitia haberi potuit, numerat Autor tres, Hirimannum, quem Caroli M. ætate vixiſſe ſcribit, Luderum, filium Her- 20.
manni Billingi, quem A. 960 Saxoniæ inferioris Ducem Otto M. præfecerat, ultimumque Ditmarum, qui interiit tandem inſidiis Adelberti Bremenſis Archiepiſcopi, hominis ingenioſiſ- 23.
ſime nequam, qui Comitatum ad eccleſiam transferre conabatur. Et pervenit quidem tum Comitatus ad Adelbertum, a quo in præpoſituram etiam mutatus legitur; ſed poſt exceſ- 26.
ſum ejus, qui in annum incidit 1072, varie diſperſus, variosque nactus eſt Principes ita, ut eccleſia prope nihil retinuerit. Paullo prolixius Stotelenſes perſequitur, olim Viſurgi vicinos. Comitatus initia ad tempora Caroli refert, cui videlicet non 29.
niſi Comites inferioris Saxoniæ terris contra hoſtes præficere ſolenne fuerit. Hinc vocabulum Stotlo e veteri Runica *Stod*, 30.
hoc eſt, auxilium, columen, & *Loo* ſeu *Lee*, editum, derivat, qua- 32.
ſi dicas, editum quoddam propugnaculum. Ad Comitatum illum olim pertinuiſſe, refert, primo ipſam Stotelenſem præfecturam, cujus brevem addit chorographiam, tum tractum Würden & Bramſtede & quæ in Viehlandia Comites tenebant. 36.
Atque hic dignum forte memoratu, quod de pagis Flehtſtede, Lanhauſen & Welle refertur, quibus die S. Crucis viginti quatuor numos cruce ſignatos pendere Comiti ſolenne fuit.

Digitized by Google

Quoties enim ob fluminum, quæ frequentes illic erant, exun-
dationes illo die ad Comitem pergere lator pecuniæ non poſ-
ſet, alta voce exclamabat: Dat de Grefe von Stotel ſyne
Gerechtigkeit hale h. e. *accerſat Comes Stotelenſis penſiones*
ſibi debitas; & quando nemo compareret, album palum inſige-
bat terræ, & pecunia illi firmiter alligata, recedebat. Qua oc-
caſione Autor de valore numi cruciati ex ſententia Viri eruditiſ-
ſimi, Jo. Henrici Eggelingii, a quo multum in hoc opere con-
cinnando adjutum ſe eſſe fatetur, diſſerit. Comites præterea quod
concernit, eos origine Germanos atque ex una eademque fa-
milia cum Leſmonenſibus ortos fuiſſe, Noſter primo ex inſignium
ſimilitudine probat, dein ex eo, quia non niſi poſt Leſmonen-
ſium interitum horum demum mentio fiat. Primus ergo,
Pag. 41. qui ſec. XIII floruit, Comes de Stotelo Ulricus fuit: ultimus
Rudolphus II, cujus poſt obitum A. 1450 conjux ditiones Bre-
menſi vendidit eccleſiæ. Sed ceteros, ut Wilpæ Comites, an-
no jam 980 extinctos, quorum terræ ad Aſcaniæ Comites
pervenerunt, Baroneſque, non niſi carptim breviterque perſtrin-
git. Supereſt igitur Pars altera, quæ nobilium CLXXI, & emor-
tuorum, & adhuc præſertim florentium familiarum genealogiam
continet & hiſtoriam, e qua pauca de viris nonnullis illuſtrio-
81. ribus addemus. Ex Arentſchildiana familia Daniel ab A-
rentſchild prodiit, clariſſimus belli dux ſub Chriſtianæ & Ca-
roli Guſtavi Sueciæ Regum imperio, a quibus & nobilitatis collatæ
82. 83. diplomata, quæ hic exhibentur, accepit. Sic Bardenflethio-
rum nomina, quorum adhuc aliqui ſub Suecorum Rege mi-
litant, clara ſunt apud omnes. E Borchiana ad Revalienſis
91. olim Epiſcopatus inſignia pervenit Simon a Borch, & Bernhar-
dus Magiſtri ordinis Teutonici ornamenta in Livonia meruit. An-
351. tiquiſſimis Autor adnumerat Nobiles de Lith, Schultetoſque
de Lüh. Et Lithianæ quidem familiæ peculiaris quædam, & u-
ti rariſſima, ita ſumma adnotanda felicitas eſt. Progenera-
vit etenim priſcis temporibus excelſiſſimos quosque eminen-
tiſſimorum ordinum viros: in iis Hartwicum de Lith, longe
decantatiſſimum in hiſtoria ſec. XIII Bremenſem Archiepiſco-
pum, Archiabbatemque Segebadonem, qui eodem tempore
floru-

Digitized by Google

floruit, & Johannem II Archiabbatem, A. 1400 demortuum. Nec minus inſignis honoribus eſt Schultetiana, itidem duobus Archiabbatibus Harſefeldenſibus nobilitata. Enimvero inter illas, quæ & antiquitate generis, & majorum gloria, & excellenti imprimis eruditionis laude claruerunt, jure meritoque familias habemus, Bærianam & Lindenbrogianam: ex illa uno eodemque ſec. XV tres Doctores provenere Jurium ſcientiſſimi: ex illuſtri Lindenbrogiana vero Erp. Lindenbrogius, elegantiſſimus liberalium ſtudiorum omnisque doctrinæ politioris & autor & admirator, fuit; cujus exemplo ingenioque ſucceſſere filii, Joachimus Heinricus & Fridericus. Sed hæc de hoc opere dixiſſe ſufficiat.

P. 456. 85. 87. 345, 347. 348.

TRAVELS OVER ENGLAND, SCOTLAND and Wales, &c.

i. e.

ITINERA PER ANGLIAM, SCOTIAM ET Walliam ſuſcepta, quibus ſuppeditatur accurata & vera deſcriptio præcipuarum Urbium, Oppidorum, & Municipiorum, & reliqua; Autore JACOBO BROME, M. A. Rectore Cheritonenſi.

Londini, apud Rob. Gosling, 1707, 8.

Alph. 1.

CUm Cl. Autori una cum nobilibus quibusdam juvenibus Magnæ Britanniæ perluſtrandæ provincia demandata eſſet, eo promtius occaſionem illam arripuit, quo magis cive dignum agnoſceret, ea ſcire potius, quæ domi ſunt, quam anxie peregrina, qui plurium pruritus eſt, quærere; cumque nulla in parte concedat florentiſſimis regionibus Magnæ Britanniæ inſula, tam in illis, quæ natura oſtendit admiranda, quam quæ artis ope producuntur, nullam cauſam ſubeſſe autumat, cur aliquis talia extra patriæ limites ſollicite perquirat. Quanquam vero Autoris ſcopus non eſt, omnium urbium ſpecialem enarrationem adornare, plurimarum tamen absque partium ſtudio urbium & oppidorum deſcriptionem exhibet, cum earum

cathedralibus templis & aliis ſuperbæ ſtructuræ ædificiis; ut etiam præcipuorum portuum, fluviorum, cavernarum, fontium & cuniculorum, aliorumque, quæ ad hiſtoriam pertinent, qualia ſunt antiquæ inſcriptiones, epitaphia, & id genus, quæ parcius antea literis conſignata ſunt. Inde factum, ut hæc Britanniæ deſcriptio plenior & perfectior ſit reliquis, quæ antehac comparuerunt; præcipue illa, quam Autori noſtro ſurreptam ſub titulo *Mr. Rogers Three Years Travels over England and Wales* prodiiſſe, Noſter refert, plurimum ideo Editoribus, ſuccenſens, qui & aliena pro ſuis venditaverint, & plane corrupta imperfecta Lectoribus obtruſerint. Nos in decerpendis ex amplo campo floſculis illa præteribimus, quæ circa loca magis illuſtria ab aliis copioſe obſervata ſunt. Walliam provinciam nulli alii vel fertilitate, vel minarum metallicarum copia ſecundam eſſe putat. In meridionali vero regionis parte memoratur Brechinia urbs, a qua tribus lapidibus mons Dionyſii *(Mounth-Denny)* diſtat, tantæ altitudinis, ut ſi ex ejus apice pileum, vel ſimile quid projicias, in fundum non prolabatur, ſed in altum redeat, nec quidquam, quod lapide levius, deſcendat. Duobus abhinc milliaribus lacus hodie conſpicitur, qui ex traditione gentis eo ortus eſt, quod terræ motu urbs ibi exſtructa ſubſideret. In eo glacies quoties ſub veris initio diffringitur, ſonitus auditur horridus ad inſtar tonitru. Fluvius autem Levinus (*Levenny*) per medium maris fluit impollutus, ita, ut colorem ſuum ſervet, & effluens a lacu incrementum nullum accepiſſe videatur. Quam Clemens Alexandrinus cavernam in Britannia eſſe ſcribit circa imum collis, in cujus parte ſuperiore fiſſura conſpiciatur, qua cum ventus intromittitur, qui in montis ventrem receptus huc illuc volvitur, concentus auditur muſicus ſimilis illi, quem cymbaliſta edit; eam prorſus convenire putat Autor p. 27 cum caverna Aberbarrienſi in Glamorgania. Ex Wallia meridionali perrexit Briſtolium Epiſcopalem ſedem, quæ inter præcipuas numeratur; in ejus ſeptentrionali parte altæ exſtant & præcipites rupes, juxta quas interſtridet Avona fluvius, atque in his eſt petra S. Vincentii, quæ copia abundat pellucidorum lapidum, qui in

Digitized by Google

in omnibus, ſola excepta duritie, adamanti ſimiles ſunt, Briſtolienſes lapides *(Briſtol-ſtones)* vulgo dicti. In his id quam maxime obſervatu dignum eſt, quod artem ipſam natura æmulari ſoleat, quippe aliqui eorum lævitatem mirabilem oſtentant, alii exacte rotundi ſunt, alii juſtis angulis diſtincti, alii ſuperius in latum ſe diſtendunt & in acutum infra artificioſe deſinunt, imo & aliqui eorum in quatuor aut ſex angulos deſinunt, more gemmarum, quibus annuli coruſcant. Neque uno, quod mireris, colore conſpicui ſunt, verum alii criſtalli more pellucent, alii ſanguineo colore, quem ex natura ſoli adſciſcunt, rutilant. In Darbienſi Comitatu memorantur ſeptem mirabilia, quæ Cl. Autor p. 80 & ſequentibus deſcribit, quæque jam pridem celeberrimus Hobbeſius elegantiſſimo poemate, quod *Mirabilia Pecci* inſcribit, luculentius celebravit. Hiſce accenſeri meretur miraculum, quod accidiſſe narratur in Salopienſi Comitatu, p. 95, de monte quodam, qui A. 1571 die 7 Febr. hora ſexta veſpertina ſubito quaſi e lethargo excitatus cum murmure ſe loco movit, & ſequenti die hora ſeptima matutina ducentos pedes proceſſiſſe deprehenſus eſt, continuato triduo integro itinere, & proſtratis, quæ in via erant, omnibus, viisque publicis prorſus immutatis atque pratis in agros, & viciſſim his in herboſa pecorum paſcua mutatis. Northumbria rigida & montibus obſita eſt regio, & incolæ quoque moribus paulo aſperioribus ditionis imitantur naturam, ſed longævitatis laude celebrantur; quo ſpectat, quod p. 170 de quodam Eccleſiæ Miniſtro Macklain, qui A. 1659 annos natus 116 deceſſit, refertur, quippe qui duobus annis ante obitum rejuveneſcere quodammodo viſus eſt adeo, ut & ſine perſpicillis typos legeret, & crines, qui ante deciderant, de novo iterum erumperent. Cui geminum fere exemplum affert Autor de Decano quodam ætate confecto, cui hoc poſitum epitaphium:

Hic jacet edentulus, canus atque Decanus,
Rurſum denteſcit, nigreſcit & hic requieſcit.

In Scotiam progreſſus nequaquam probat eorum ſententiam, qui eam a Scota Pharaonis Ægypti Regis filia, Gatheli, filii

lii Cecropis Regis Athenienſium, conjuge, derivari cenſent, verum potius a voce *Scot* genti vernacula, quæ corpus collectum in unum ex variis partibus notat, ut Germanorum *Allmann*, deducit. Dividuntur Scoti in ſuperiores & inferiores; ſuperiores, qui occidentalem partem obtinent, proxime conveniunt lingua, veſtitu & moribus cum Hibernis, fera gente; ſed mitiores ſunt & moribus magis emolliti inferiores, Saxonum ſoboles, quod lingua prodit, quæ Anglicæ dialectus eſt. In his tamen ſingulare olim fuit certamen, quod *Feidam* dixere, quo læſi velut lege inter ſe decertabant, idque bellum privatum in proximos ſanguine ſæviebat, quamdiu ex alterutra gente erant reliqui; ſed morem funeſtum Jacobus VI abrogavit. Alia conſuetudo, uti Gentilibus ignota, ita inter Chriſtianos minime ferenda, olim obtinuit, ab Edwino (*Ewen*) introducta, qua conſtitutum fuit, ut vaſalli ſponſas prima nocte dominis deflorandas concederent; quam legem abolevit Malcolmus Conmerius, precibus adductus uxoris ſuæ Margaritæ, Edgari Athelingi ſororis: is enim, ut vaſallus domino pecuniæ partem eo nomine penderet, conſtituit, quæ lex adhucdum obſervatur. Civitatis ordo in Scotia idem eſt, qui in Anglia; Academias habet quatuor, Andreopolitanam, Aberdonienſem, Glasgovienſem, & Edimburgenſem ex quibus ſingulis annis doctorum virorum non exiguus numerus redit. Singularum ordinem & jura, quæ Autor plenius exſequitur, hic recenſere, inſtitutum noſtrum non patitur. Plura vero notatu digna inveniet, qui librum ipſum perluſtrabit.

Ceterum ut, quod reſtat, ſpatium impleatur, addimus tantum e p. 165 inſcriptionem, quæ Dunelmi fonti cuidam appoſita legitur:

Hujus Nympha loci, ſacri cuſtodia fontis,
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpere; ſive bibas, ſive lavere, tace.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. VIII.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ, ET cujuscunque generis Acta Publica Anglicana, curante THOMA RYMER.

Tomus V & VI.

Londini, apud A. & J. Churchill, 1708, fol. Alphab. 18 plag 9.

FUneſtam Gallis periodum imperante in Anglia Eduardo III nuper ſumus exorſi in Actis A. 1710 p. 225 ſeq. nunc ex duobus his Tomis, quorum magnam partem iſta faciunt negotia, continuabimus. T. V.

Omnem lapidem movebat Papa, quo bellum jam imminens reprimeret, quippe quod & ſibi Avenione moranti ſummum allaturum erat damnum, cum Galliæ opes & Britanniæ bello impenderentur; maxime cum & Italia tum inteſtinis diſſenſionibus fœdiſſime laceraretur, & Hiſpania præ Mauris nondum ſatis valeret, Germania vero ab eo Imperatore, qui minuere Pontificis autoritatem cupiebat, regeretur. Quapropter cum Gallorum Regis, cui tum totus erat mancipatus, accederent deſideria, crebro ad pacem hortationes interponebat. His Eduardus moveri ſe paſſus legatos in Galliam, qui conferrent p. 55, 92. de pacis conditionibus, mittebat, in qua tamen re ut quicquam proficerent, efficere non potuerunt. Nolebat enim Anglus vel latum unguem a juribus ſuis, quæ urgebat in Galliam, diſcedere,

Digitized by Google

p. 66, 93. potiusque mandabat expreſſe legatis, ne cum Philippo tanquam cum Rege Franciæ quicquam agerent. Inter hæc etiam Eduardus transvectus mare ad Antwerpiam locabat caſtra, inde, quamprimum pacis ſpes evaneſceret, irrupturus in Galliam. Anno denique 1340 rumpebantur moræ tam diuturnæ. Licet enim Papa ſollicitare non deſineret Eduardum, hic tamen
157. tum plane reſpondebat, *ſe non videre, quid per viam pacis*
153. *ulterius cum honore ſuo facere valeat.* Eo tempore cum Flandriæ Comite, civitatibusque quibusdam ejus Comitatus fœdus initum, ut Flandrenſes, *ſuperioritatem Eduardi in Regno Franciæ* agnoſcentes, ipſum in ejus recuperatione juvarent; in cujus compenſationem Rex præter pecuniæ conſtitutam ſummam, civitates *de Be-- de Lisle & de Doway* (circa quas regionem Flandriam Gallicam eſſe vocatam notum eſt) *annexas perpetuo dicto Comitatui habendas, ſicut ab antiquo fuerant*, conceſſit. Addidit & *de gratia ſpeciali* civitatem *Tornacenſem*, habendam itidem de ſe & hæredibus ſuis Regibus Franciæ, quæ adeo civitas antiquitus ad Flandriam, ſicut paulo ante nominatæ, minime videtur pertinuiſſe. Omnes porro *ſententias olim ad Regum Galliæ inſtantiam per Pontificem contra Flandrenſes latas relaxaturum ſe & penitus ſubducturum. Comitatum* denique *Atrabatenſem Flandriæ Comiti ſe conceſſurum, cum ad ipſum hæreditario jure pertinere dicatur.* Ubi notandum, per Atrabatenſem Comitatum univerſam intelligi poſſe *Arteſiam*, ad quam ex matrimonio Margarethæ, quæ Philippi V Galliæ Regis erat filia, jus quoddam habebat, quod perſequi hucusque non potuerat, cum Johanna ſoror Margarethæ vel maritus potius ejus Eudo Burgundiæ Dux omnem provinciam teneret. Præter Flandrenſes Geldriæ Dux etiam *Reinaldus* (qui primus
123. dignitatem eam ab Imperatore fuit adeptus A. 1339) *homagium & omnia, quæ tenebat de Philippo de Valeſio, huic reddebat, &*
99. *in Eduardi fidem veniebat.* Habebat & inter ſocios *Albertum* & *Ottonem Duces* (ut tum adhuc vocantur) *Auſtriæ*, qui Burgundiæ Ducatum juxta fœderis pacta erant invaſuri. Ipſe denique *Ludovicus Bavarus Imperator*, ut paſſim ex documentis patet, Eduardo contra Philippum eſt opitulatus. Paulo poſt

lo poſt

Digitized by Google

lo poſt & momenta belli decreti edebantur ab Anglo Latino p. 158, 160,
pariter ac Gallico idiomate, eo redeuntia, quod, Philippus non 163.
hæreditarium modo Eduardo Galliæ Regnum uſurpet, ſed in
Aquitania quoque poſſeſſiones ejus minuerit, Scotos rebelles
foverit, crudeliſſime ſuos (quomodo fere noſtris temporibus
factum paſſim vidimus) tractaverit, nec unquam pacis ſpem
niſi ſubdole injecerit, quæ propter ipſe, quod juris ignorantia
olim intermiſerit, jus ſuum nunc proſequatur. Licet etiam 173.
denuo Pontifex Eduardum hortaretur, ne (quod faciebat) ti-
tulo Regis Galliæ & inſignibus uteretur, ille tamen nihil motus
progrediebatur, navalique prœlio A. 1340 S. Johannis feſto ad 195, 197.
portum *Swina* Gallos profligabat, ipſe dein cum 100000 ar-
matis ad *Tornacum, Roberto de Artois* cum 50000 verſus *S. Au-*
domarum penetrante, profecturus. Paulo poſt iſtud prælium 198.
Eduardus Philippo literas mittebat, quibus eum vel ad ſingu-
larem pugnam, vel ad centum adverſus totidem certamen, vel
ad prælium denique decretorium provocabat. Reſpondet au-
tem Philippus, ad ſe quidem latas eſſe has literas, ſed, cum ad 199.
Philippum Valeſium (ſic enim ſolum appellaverat) ſint dire-
ctæ, nil eas ad ſe, nec illis ſe reſponſurum. Menſe vero Septem- 205.
bri anni ejusdem induciæ ſunt factæ, Johanne, ut videtur, Bo-
hemiæ Rege potiſſimum laborante, quibus non ſolum, ut ipſæ
inter ſe partes a damnis abſtinerent mutuis, pactum eſt, ſed &
ut neutra Pontificem vel alios de Clero in alterum incitaret.
Interea tum de pace tum de novis fœderibus, quæ cum Ara-
goniæ & Majoricarum Regibus & Genuenſi Rep. quærebat
Eduardus, tractatur, prorogantur induciæ, bellum rurſus pa-
ratur, Britanniæ Ducatus Eduardum pro Galliæ Rege agnoſcit, 331.
locum tenens Eduardi in Francia conſtituitur, ipſe rurſus in
Galliam tranſit, poſt A. 1343 novæ in tres annos fiunt indu-
ciæ, coram Papa tractatur de pace, non, ut expreſſe jubet ſuos
Eduardus, *tanquam judice, ſed ut privata perſona & mediato-* 366.
re communi, nihilominus nova cum Alemanniæ Principibus
quæruntur ab Anglo fœdera, atq; ipſe adhuc pro Franciæ Rege ſe
gerit. Denique cum toto hoc tempore de pace nil fuiſſet 388.
transactum, de violatis etiam induciis mutuas miſcerent que-

Digitized by Google

p. 453, 455 relas Gallus & Anglus, cujus violationis Pontificis nuncium in
459, 465. Britanniæ Ducatu & ipſum fere Pontificem Eduardus inſimu-
496. lat, bellum inſtauratur, quo facto *Creſſiacam victoriam* A. 1396
525, 575. Angli reportabant, *& Caleſium* obſidione cingebant, A. 1347
588. expugnatum, & paulo poſt d. 28 Septembris novæ inibantur in-
duciæ. Quæ cum aliquoties eſſent prorogatæ, Philippoque
716. mortuo nil magis concederet Johannes ejus ſucceſſor, interim-
8 6, 851. que cum Navarræ Rege fœdus adverſus Gallum iniiſſet Eduar-
dus, bellum A. 1355 reſumitur. Quod cum A. 1356 erum-
869. peret, victoria ſtatim *ad Pictaviam* eſt conſecuta, qua duce
Anglorum Eduardo juniore ipſe Johannes captus & cum ma-
gno Principum ſuorum numero in Angliam fuit deductus.
Monuimus ſupra, ſub hujus belli primordia ſocium conſiliorum
Eduardo fuiſſe Ludovicum Bavarum Imperatorem, quorum
amicitiæ mutuæ paſſim per hunc Tomum extant documenta.
10. Ea ſcilicet ſocietate nixus petit Eduardus, ut *Imberto Delphino
de Vienna* Regis titulum concedat Ludovicus, quo ipſo per
Delphinatum conſtans tum adhuc Imperatoris autoritas pro-
batur. Quin eo procedebatur, ut *Vicarium Imperii per Ale-*
120, 122. *manniam & Germaniam* Ludovicus Eduardum faceret, quod
nomen paſſim uſurpat. Pontificem quidem peſſime hæc res
habebat, quippe cujus in Italia poſſeſſionibus ab Imperatore
88, 128. multum fuerat illatum damni. Aſt licet bis eodem fere ex-
emplo de Ludovici pravitate hæretica, ob quam ſit omni auto-
ritate per Papam exutus, ſcriberet, Eduardumque, ut Vicarii mu-
262. nus deponeret, hortaretur, hic tamen illud tenuit, usque dum Lu-
dovicus ipſe conceſſionem ſuam A. 1341 tolleret, mediatoris
101. inter Gallos & Anglos partes ſuſcepturus. Hujus belli oc-
caſione cum innumera contrahenda eſſent debita, Trevirenſi
Archiepiſcopo pro 50000 florenis corona Anglica *hæreditaria
& præcellentior* pignoris loco data fuit, quin & ipſe Rex ita
obligatus, ut nec ipſi ſine Præſulis permiſſione tranſire liceret
in Angliam, & Archiepiſcopus invadere Regem & detinere poſ-
189. ſet, ni plene peſſet ſatisfactum. Eodem tempore, nimirum A. 1340,
ſocium ſuum Wilhelmum Juliacenſem Marchionem Eduardus
Comitis Cantabrigiæ titulo pariter ut & hæredes ejus ornat,
Parem-

Digitized by Google

Paremque regni creat, mille libras ſimul annuas concedens.
Dux item Britanniæ homagium Eduardo præſtitit, ut ſupra teſtigimus, A. 1343, quod ſpeciminis loco huc apponemus. *Jeo vous reconoiſſe droiturel Roi de France, & a vous, come mon Seigneur Lige & droiturel Roi de France, face mon homage pur la dite Duchè de Bretaigne, quel jeo clayme tenir de vous mon Seigneur, & devienk voſtre Home Lige de Vie & de Membre, & de Terrien Honure, a vivre & morir, contre toutes Gentz.* Præter ea quæ cum Gallis intercedebant negotia, alia quoque ſatis multa habuit Eduardus. *Pontifici* non nimis pepercit, nec ejus ita reveritus eſt autoritatem, ut non ipſius ſe technis ſubinde opponeret, ſic ut & eos qui Bullas Papæ juribus Regni adverſas afferebant, in carcerem conjiceret, & Pontificis apud ſe nuncio interdiceret, quo minus *primos fructus* h. e. illos, qui percipiebantur ex muneribus collatis, *antequam realiter executa & effectum ſortita collationes ejusmodi forent*, exigeret. Cum *Hiſpanis*, imprimis Caſtellanis, bellum etiam habuit. Licet enim decretum eſſet, ut *Petrus*, Crudelis poſtea dictus, Eduardi filiam duceret in matrimonium, tamen quod illa in itinere A. 1348 moriebatur, A. 1350 bellum eſt exortum, cum *Dominium maris* ſibi vindicare niterentur Hiſpani, ſed induciis mox A. 1351 finitum. Rerum quoque Scoticarum non parvæ ſunt hoc in Tomo partes. Eo res redierat, ut Scoti prope Dunelmum A. 1346 cæderentur, David autem Bruſſus, quem Eduardo Balliolo oppoſuerant quidam rebelles, caperetur & in Angliam deduceretur. Attamen ad Balliolum parum inde fructus redundabat; invenimus enim hunc Anglo A. 1356 Regnum Scotiæ plane cum omnibus juribus & titulis donaſſe, quod ſponte factum nemo credet, quin potius Scotorum in ſe odio videtur ad id adactus. Eduardus accipiens donationem ac *inveſtituram* per *traditionem coronæ aureæ, & liberationem corporalis poſſeſſionis ſoli Scotici* Balliolo bis mille libras Sterlingorum annuas, Scotis autem antiquarum legum pollicitus eſt obſervationem. Ad Germaniam quod attinet, prætetquam quod Vicarius Imperii ſociusque Imperatoris & aliorum hujus Regni Principum fuerit, ad Imperium etiam poſt

p. 452. 363, 371. 377, 385, 399. 433, 747. 499, 599. 612, 642. 679, 681. 720. 530. 832 ſqq. 845.

p. 622. Ludovici Bavari mortem A. 1348 vocatus eſt. Nominatim fuerunt, qui eum eligerent, Moguntinus, Rudolfus & Rupertus, Palatini, Ludovicus Brandeburgenſis & Saxoniæ Dux. Hos omnes in literis ſuis Eduardus Electores appellat, licet ex Palatinis Rudolphus ſolum eſſet in ea dignitate, Brandeburgenſem autem Luſatiæ Marchionem vocat, ut appareat, non omnino jura ſua tum adhuc deſeruiſſe Brandenburgenſes, licet poſt Wal-
689, 696. demari I mortem utraque Luſatia Bohemis ceſſerit. Diſſen-
701, 731, 735. ſionibus porro inter Margaretham Ludovici Bavari viduam & filium ejus Wilhelmum de Hollandiæ Selandiæque Comitatibus ortis immiſcuit ſe Eduardus. Rogatus nempe primum ab Imperatrice, ut ipſe in cuſtodiam acciperet Hollandiam, Selan-
656. diam & Friſiam, poſtremo per utramque partem arbiter controverſiæ factus eſt. Fuit deniqve tempus etiam, cum per Wilhelmum Juliacenſem de matrimonio inter Carolum IV & Iſabellam Eduardi filiam contrahendo tractaretur. Præter hæc duo ſatis curioſa ex hoc Tomo notamus; primum de Sigillo quo-
106. dam Regis ſecreto *Griffoun* dicto, qvod num a Gryphi forte figura, num ab alia quadam re duxerit originem, alii videant. Alterum eſt, quod aliquando in ſubſcriptione literarum Ludo-
p. 262. vicus Imperator annos *Imperii Regnique* diſtinguat, per Regnum Germaniam, per Imperium autem Imperatoriam dignitatem,
T. VI. quam ſerius eſt conſecutus, deſignans. Tomo VI Gallicæ res
p. 178-197. & pacantur & denuo quoque turbantur. Pax equidem vul-
119-901. go magna dicta Bretigniaci A. 1360 initur, qua Anglo Galli mul-
621, 626. tis regionibus cogebantur cedere, quarum Eduardus ita domi-
628, 643 ſq. nium accipiebat, ut ab alio nemine penderet. Satis præterea grandis pecuniæ ſumma poſtulabatur, & ut eo certiorem hæ conditiones ſortirentur effectum, proceres Regni Regisque præter Carolum majorem filii pro obſidibus dedebantur. Sed cum nihilominus ſubdole Gallus ageret, nec pacta ſatis obſervaret, reſumebat A. 1369 Eduardus titulum regis Franciæ, quem poſt pacem depoſuerat; curabatqve ſibi fieri duplex ſigillum, qvorum alteri *Rex Angliæ & Franciæ*, alteri *Rex Franciæ & Angliæ* erat inſcriptum. Inter acta his de rebus filios Regis
p. 396. excepto primogenito cum Burboniæ Duce vocatos invenimus

Sei-

Digitized by Google

Seigneurs de Flour de Lys item *les quatre flour de Lys*, liliorum Dominos vel liliatos, ut ita dicere liceat, quod non videtur nimis obvium. *Scotici* regiminis alia facta fuit forma, cum nempe Davidem Bruſſum Eduardus dimitteret Scotisque redderet A. 1357. Circa hoc tempus A. 1363 colloquium quoddam inter Eduardum & Davidem habitum *de Scotiæ cum Anglia unione* obſervamus, qua quidem de re nihil definitum, ſed deliberatum eſt modo, quid olim fieri poſſet. Ibi de Regno hoc poſt Davidis mortem ad Anglos tanquam hæreditatis jure devolvendo agitur, quod tamen ſi fiat, nomen Scotiæ in Regis titulo retinendum expreſſe judicatur, ne Angliæ forte connectatur. In *Hiſpania* cum Petro Crudeli Eduardus fœdus pepigit A. 1362, quo in fœdere Alphonſi primogeniti Petri fit mentio, qui non extat alias in Genealogiarum tabulis quas habemus obvias. Aſt idem in alio fœdere inter dictum Petrum, Carolum Navarræ Regem & Eduardum Walliæ Principem A. 1367 inito (ex quo fœdere Hiſpanicæ linguæ eo tempore ſpecimen poteſt ſumi) non extat, ut mortuus adeo tum eſſe videatur. Hoc autem in fœdere præter donationes alias primi belli jus conceſſum a Petro Regibus Angliæ eorumque primogenitis i. e. ut primum in caſtris vel acie locum haberent, quandocunque ipſimet Hiſpaniæ Regibus venirent in auxilium. Et tum quidem horum adjutus copiis profligavit Petrus Henricum Nothum fratrem ſuum, a quo Regno prius fuerat pulſus. Hinc vero cum Henricus Carolum Galliæ Regem ſocium eſſet nactus, ipſe Petrum viciſſim & Regno & vita ſpoliavit. Poſtea vero A. 1072 Johannes Eduardi III filius Lancaſtriæ Dux, qui Johannam Petri Crudelis filiam ex concubina duxerat, Caſtellæ Legionisque titulum uſurpaſſe obſervatur. Contra eos qui jura ſua Pontificis autoritate turbabant, pari ſeveritate ac ſupra vidimus, agere perrexit Eduardus. Quinimo, cum a Canonicis S. Pauli multa contra ſacrum ordinem fierent, jubebat Rex Londinenſem Epiſcopum, ut adverſus eos autoritate regia, nulla appellationum ratione habita, uteretur. Præter hæc, ut fœdus cum Portugalliæ Rege pactum taceamus, illud non eſt prætereundum, Wilhelmum

Julia-

p. 46 ſqq. 426. 369. 531. 728. ſqq. 572. 677. 754.

Digitized by Google

p. 507. Juliacenſem A. 1366 Eduardo fidelitatis præſtitiſſe jusjurandum. Ceterum præmiſſæ ſunt huic Tomo tabulæ quinque Sigilla Portugalliæ Regis, Eduardi Principis Walliæ, Wenceslai Imperatoris, Petri Crudelis Hiſpani & Johannis Lancaſtriæ Ducis repræſentantes, e quibus antiquitatis ſigna paſſim elucent.

LES RAISONS DES SCRIPTURAIRES &c.
hoc eſt,

RATIONES SCRIPTURARIORUM, Quibus demonſtrant, terminos Scripturæ ad explicandum dogma de Trinitate ſufficere. Liber ex Anglica lingua traductus.

Hamburgi, apud Caſparum Steiner, 1706, 8.
Pl. 8 $\frac{1}{2}$,

An vere titulus libelli hujus teſtetur, ipſum ex Anglicana traductum lingua eſſe & Hamburgi excuſum, Lectori relinquentes arbitrandum, argumentum ipſius pro ratione inſtituti noſtri perſequemur. Autor quidem ipſemet in præfatiuncula propoſitum ſuum indicat. Duplicem enim Proteſtantibus contradictionem tribuens, primum quod non contenti ſola Scriptura Sacra, unico illo reformationis ſuæ fundamento, nunc provocent quaſi certatim cum Papiſtis ad autoritatem Conciliorum: deinde quod diſſentientes a ſe hoſtili dum perſequuntur odio, amori primario & indispenſabili Chriſtianiſmi officio nuntium mittant; profitetur ſe ad tollendam ſpiritualem hanc tyrrannidem libellum hunc compoſuiſſe, in eoque expoſuiſſe & Orthodoxorum & Unitariorum rationes ſuper dogmate de Trinitate, ac demonſtratum iviſſe, hos ab illis non modo ferendos, verum etiam in communionem recipiendos eſſe. Totum autem opuſculum XIV Capitibus abſolvitur, quibus ſubnexa eſt paraphraſis priorum 14 commatum primi capitis Evangelii Johannei. Ac ſane in hoc Compendio præcipua exhibentur Socinianorum argumenta, eorundemque ad objecta reſponſiones, ita ut hinc ſimul

mul ſententiam eorum diſcere liceat ac ſententiæ fulcra. Ceterum eorum diſcuſſionem aliis relinquentes integram, pro more noſtro ſimplici enarratione defungamur. Capite I Autor exponit, quid intelligat per Scripturarios. Hi nimirum ipſi ſunt, quotquot Scripturam S. pro divina revelatione habent in tradendis iis, quæ ad voluntatem DEI, ad viam ſalutis, ad informandam fidem & pietatem ſpectant, perfecta, quique nil recipiunt tanquam creditu neceſſarium, niſi quod claris diſertisque verbis ibi tradatur. Unde exiſtimat, a nemine aliam confeſſionem poſſe exigi, quam generalem hanc, quod ſincere omnibus in Bibliis contentis fidem habeat, id eſt, quod quam fieri poteſt, optime intelligere Scripturam Sacram ſtudeat, ejusque præceptis morem gerere. Addit, qui aliam ſequantur methodum, ſuosque ad terminos alios adſtringant, eos opprimere libertatem conſcientiæ, & veros eſſe ſchiſmaticos. Denique ad melius capienda Scripturariorum dogmata legere jubet *Irenicum Magnum*, in Novellis Reipublicæ Litterariæ A. 1700 menſe Octobri recenſitum. Cur autem Scripturarii recuſent uti quibusdam terminis, qui non exſtant in S. Scriptura, ſed ſenſim in Eccleſiam irrepſere, duas ait eſſe cauſas potiores. Prior hæc eſt, quod illi termini non ſint ſimpliciter neceſſarii: poſterior, quod iidem locum faciant malis & incommodis multis. Priorem rationem perſequitur Capite II, ubi primum Trinitariorum Modaliſtarum, quos vocant, ſententiam, in libro, cui titulus: *Remontrance charitable aux Unitaires*, commendatam proponit, qua docetur, eſſentiam Dei eſſe unam, ſed tres eſſendi modos, Deumque unum eſſe ratione eſſentiæ, trinum ratione proprietatum, ita ut per Patrem Intellectus Divinus, per Filium Sapientia, per Spiritum S. Voluntas aut Potentia Divina intelligatur. De hac ſententia judicat, eam ab Unitariorum placitis non niſi verbis diſcrepare, ceterum non eſſe, cur id adpelletur Trinitas aut tres perſonæ. Citat hinc principes quosdam orthodoxorum, qui faſſi ſint, terminos illos neque Biblicos eſſe neque neceſſarios. Hi ſunt Auguſtinus, Hieronymus, Calvinus, Lutherus, Caſaubonus, Forbeſius. Poſt ad eorum ſententi-

Digitized by Google

am progreſſus, qui per tres perſonas capiunt tres ſubſtantias infinitas realiter diſtinctas, (quos deinceps Realiſtas appellat,) ne ſic quidem iſtos terminos neceſſarios eſſe ſtatuit. Quia nimirum doctrina illa non ſit revelata in Scriptura S. & quia ipſis Orthodoxis fatendum ſit, unum infinitum ſpiritum ſufficere, nec plures ſtatui debere. Tandem iis, qui dicunt, Trinitatem perſonarum licet non intellectam eſſe credendam, non autem ſubtiliter rimandam, reſpondet, hoc eſſe refugium ignorantium vel ſuperſtitioſorum. Unde concludit, neminem adſtringi debere ad adhibendos terminos nec ſibi intellectos, nec in S. Scriptura uſitatos. Ad id probandum porro alteram exponit rationem Capite III, quod ſcilicet ex illis terminis multa oriantur mala. Nimirum, primo, inquit, impeditur unio & communio Unitariorum cum Modaliſtis, qui tamen verbis tantum diſſentiunt, re plane concordes. Deinde & Judæis ac Muhametanis impedimentum graviſſimum objicitur, quo minus ad Chriſtianiſmum ſe convertant. Multo magis ſic ſufflaminatur concordia Unitariorum cum Trinitariis Realiſtis. Capite IV graviter docet, fas eſſe in dogma Trinitatis curate inquirere, ſecusque ſentientes Judaicæ ſuperſtitionis accuſat. Hinc progreditur ad contemplationem argumentorum, quæ Unitariis ſolent objici. Et quidem Capite V primum Orthodoxorum argumentum proponitur, nempe hoc: eſſe plura S. Scripturæ loca, quæ litteraliter intellecta confirment doctrinam de Trinitate & de tribus perſonis, quos terminos Eccleſia receperit ad clarius proponendum dogma in S. Scriptura exſtans; reſpondet: Trinitatem ſenſu Modaliſtarum intellectam nullam habere in Scriptura S. fundamentum, immo eos obſcurare magis, quam illuſtrare hoc dogma. Quodſi Trinitas capiatur ſenſu Realiſtarum, negat, ejusmodi loca in Bibliis occurrere, quia eo modo intellecta naturales ideas conturbent, lumini Rationis repugnent, nec denique cum reliqua Scriptura concordent. Confugit etiam ad ſtylum Scripturæ S. hyperbolis & metaphoris refertiſſimum, cujus intuitu ſæpius rationalis ſenſus litterali ſit præferendus. Nec quicquam ait magis

gis

Digitized by Google

gis eſſe contradictorium, aut manifeſtius abſurdum, quam ſtatuere tres Spiritus infinitos, nec tamen admittere, niſi unum Deum. Quod ſi dicatur, eſſe hoc dogma incomprehenſibile & ſupra rationem, mirum ſibi videri dicit, affirmari vel negari doctrinam, cujus nulla ſuppetet idea. Immo addit, diſtincte concipi, unum Spiritum infinitum eundemque perfectum non poſſe niſi unum eſſe. Unde ſi vel maxime in Scriptura occurrant loca, quibus duæ aliæ perſonæ divinæ ei adjungi videantur, ſenſum communem dictitare, ut illa explicentur eo modo, qui cum unitate entis perfectiſſimi congruat nec rationi e diametro adverſetur: ac melius eſſe, fateri, ea loca nos non intelligere, quam tribuere iis ſenſum & rationi & Scripturæ contrarium. Capite VI altera objectio orthodoxorum proponitur, quæ hæc eſt: Jeſum Chriſtum adpellari Deum & filium Dei, Scriptura teſte eum creaſſe mundum, omnia ſcire & poſſe, remittere peccata, adorandum & invocandum eſſe: porro neceſſario Salvatorem noſtrum eſſe debuisſe Deum, ut ſcilicet ſanguis ejus pretium haberet infinitum, quo ſatis fieri poſſet Dei patris juſtitiæ. Reſpondet, (1) ſe concedere, Jeſum eſſe Deum in ſenſu Modaliſtarum, nempe, quo Deus cum Jeſu ſe univerit ineffabili modo ad manifeſtandam in opere redemtionis infinitam ſuam ſapientiam, bonitatem ac juſtitiam, quodque adeo Deus habitaverit, id eſt operatus ſit in ipſo, ei adſtiterit, & modo plane extraordinario eum illuminarit. (2) Chriſtum propterea dici poſſe unicum Dei filium, quod ex virgine natus ſit per infinitam Dei potentiam: hancque rationem illius nominis reddi a Luca *Cap. I, 35*: item quod officio functus ſit reconciliandi genus humanum cum ſuo patre, futurus Rex totius orbis. (3) Nunquam Jeſum Chriſtum appellari Deum, præterquam per accommodationem Hebr. I, 8. Dici quidem, eum hoc nomine inſigniri Rom. IX, 5, Tit. II, 13, 1 Joan. V, 20, Matth. I, 23, Phil. II, 6. Quæ loca omnia eum in modum explicat, ut Deitati Chriſti probandæ nullum adferant firmamentum. Reſpondet etiam ad loca Ioan. VIII, 58 & Heb. I, 2. Speciatim vero loco *Joan. I, 1* ſuo ſenſu explicando totum caput

Digitized by Google

VII impendit. Capite VIII explicat doctrinam de Chriſto Salvatore & Redemtore noſtro ita, ut ſolo exemplo ſingularis virtutis nos ad Deum adduxerit. Cap. IX tertiam exhibet Orthodoxorum contra Unitarios objectionem, inde ſumtam, quod Deitas Spiritus S. ex multis Spirituræ locis clareſcat. Sed reſpondet, per Spiritum Sanctum intelligi modo potentiam ac virtutem Dei, modo angelum aliquem vel etiam angelos, modo ipſum Deum. Capite X proponitur & labefactatur quarta objectio Orthodoxorum, deſumta ex iis locis, in quibus fit mentio Trium Trinitatis perſonarum, nempe Matth. XXVIII, 19, 2 Cor. XIII, 14, 1 Joan. V, 7. Capite XI quinta objectio refertur, quod nimirum dogma de Trinitate ſit perpetuo in Eccleſia creditum, quodque non ſit vero ſimile, Chriſtianos ſemper ea in re erraſſe: e contrario quod opinio Unitariorum ſit nova & a paucis probata. Reſpondet, non longe poſt Apoſtolorum ætatem occaſione Philoſophiæ Platonicæ in Eccleſiam invectas eſſe multas doctrinas antea incognitas. Petavium etiam fateri, antiquiſſimæ Eccleſiæ Patres in ſuis libris eodem modo loqui, quo nunc loquantur Unitarii. Addit, ſub perſecutionibus invaluiſſe inter Chriſtianos ignorantiam, atque ſic tandem Platonicam Philoſophiam caput in Eccleſia extuliſſe: ſemper vero ab omni ævo fuiſſe, qui Unitariorum doctrinam propugnarent. Hoc argamentum copioſe tractat, eique & caput XII dicavit. Remotis, ut ſibi quidem videtur, Orthodoxorum argumentis, jam præcipua Unitariorum argumenta capite XIII producit. Primum itaque hi illud urgent, quod dogma de Trinitate, ſi quidem adeo neceſſarium eſſet creditu, clarius in S. Sriptura fuiſſet proponendum. Secundo contendunt, Trinitariorum Realiſtarum ſententiam manifeſte Rationi eſſe oppoſitam & contradictionibus refertam: cum e contrario ſyſtema Unitariorum ſit undiquaque rationale, intelligibile, Deoque dignum. Tertio loco afferunt, quod Realiſtarum opinio omnibus illis dictis refellatur, quibus DEUS tantum unus dicatur eſſe, & quibus Deus a Jeſu Chriſto & S. Spiritu diſtinguatur. Capite XIV totum libellum concludit repetens rationes, quibus Tri-

nitarii

Digitized by Google

nitarii permoveri debeant ad Unitarios in ſocietatem ſuam recipiendos.

Subjungitur. Paraphraſis 14 primorum verſuum primi Capitis Evangelii Ioannis, quam omiſſis probationibus Lectori repræſentabimus. *V. 1.* Jeſus Chriſtus, verbum Dei, id eſt, ille qui annuntiavit verbum ac mandata Dei, erat in mundo initio Evangelii, & cum Joannes Baptiſta profiteretur apud Judæos, regnum Dei prope adeſſe, hic Dei nuntius extraordinarius erat apud Deum, id eſt, erat Deo cariſſimus, & ope perpetua inſpirationis Sancti Spiritus perpetuum habebat cum Deo commercium, adeoque erat hoc reſpectu quaſi Deus, Dei vicem gerens. *V. 2.* Ille erat ab initio apud Deum, id eſt, Jeſus erat Deo cariſſimus, qui ipſum inſtruxit de omni ſua voluntate. *V. 3.* Omnia, quæ fieri debuerunt ad hominum ſalutem, & quæ prædicta erant de Meſſia, plane ſunt impleta per Jeſum hunc, ita ut ſine eo nihil eorum, quæ fieri debuerunt, factum ſit. *V. 4.* Idem Jeſus promiſit hominibus vitam æternam, viamque eo perveniendi monſtravit. Ejus doctrina ſancta & luminoſa eos illuminabat in hac via. *V. 5.* Sed ille prædicabat doctrinam ſuam, quæ debebat illuminare omnes homines, perverſæ generationi & tenebris errorum, & ignorantiæ & vitiorum obſitæ. Ejusmodi homines igitur claudebant oculos ad hanc lucem ipſis oblatam. *V. 7.* Impii illi homines facile ſcire potuiſſent, Jeſum eſſe Meſſiam, ſi inter alias circumſtantias advertiſſent animum ad Joannem ejus præcurſorem, qui a Deo miſſus erat, ut teſtaretur, Jeſum eſſe lumen mundi, id eſt, doctorem Judæorum & Gentilium, & ut ſuo teſtimonio homines perduceret ad obedientiam Jeſu. *V. 8.* Joannes non erat Meſſias ille mundo promiſſus, ſed ipſe tantum teſtari debebat, Jeſum eſſe illum. *V. 9.* Hic Jeſus erat verus doctor a Deo miſſus, ut illuminaret ſua doctrina, ſuo exemplo, ſuisque miraculis omnes homines, ſive Judæos, ſive Gentiles. *V. 10.* Ille jam multis annis erat in mundo, quo venerat homines perducturus ad æternam ſalutem: ſed maxima pars eum nolebat pro Meſſia agnoſcere. *V. 11.* Manifeſtavit ſe ſtatim Judæis, fratribus & conterraneis ſuis, prædicans iis pœni-

Digitized by Google

tentiam & remiſſionem peccatorum. Sed plerique eum rejiciebant pro impoſtore. *V. 12.* Sed quotquot eum pro vero Meſſia recepere, ejusque doctrinam amplexi ſunt, ſive Judæi ſive Gentiles, iis dedit jus vitæ æternæ & privilegium, ut eſſent Deo cariſſimi. *V. 13.* Qui non nitebantur origine ſua Abrahamica, nec adoptione in Rempublicam Iſraelis, ut proſelyti, ſed qui ſincere amarent Deum, eumque humillime reverentur. *V. 14.* Divinus hic Salvator erat ex carne & oſſibus æque ut alii homines compoſitus, & infirmitatibus humanis obnoxius, atque erat nobiscum tanquam diſcipulis ſuis ad docendos nos Evangelium gratiæ & veritates cœleſtes a Patre acceptas. Nosque vidimus gloriam ejus per tot tantaque miracula demonſtratam, quæ probant, eum fuiſſe filium Dei unicum & promiſſum illum mundo Meſſiam.

DE TEMPORALI, HUMANA ET MYSTICA D. N. Jeſu Chriſti generatione Obſervatio genealogica, panegyrica, myſtica, dogmatica & moralis, ſuper primum caput S. Matthæi, Autore FR. ISIDORO a S. MICHAELE, S. Theol. Profeſſore, Minorum Excalceatorum S. Petri de Alcantara Granatenſis Provinciæ Alumno, Ex-Diffinitore, & Regii S. Luciæ de Monte Neapolis Conventus actualiter Guardiano, nec non & Commiſſario Provinciali.

Neapoli, in typographia Dominici Antonii Parrino, 1704, fol. Alph. 8 pl. 16.

QUi mirati adhuc ſunt, Alphonſum Toſtatum, Abulenſem Epiſcopum, ſeptem volumina ad illuſtrandum Matthæi Evangelium compoſita evulgaſſe, multo magis fortaſſe commovebuntur, ſi relatum hic legent, Autorem modo nominatum, nempe Iſidorum a S. Michaele, ſenſui unius primi capitis Matthæi exhauriendo integrum, idque haud exiguum, tribuiſſe volumen. Verum quod judicium Rich. Simon in Hiſt. Crit. V. T. de Alphonſi illius commentariis tulit, eos nempe multis referto eſſe inutilibus, id merito veremur, ne

æque

Digitized by Google

æque ac fortaſſe etiam magis conveniat in Iſidori noſtri ſive commenta ſive commentarios. Quippe ſenſu litterali & critica cura prorſus neglecta, Lectori nil apponit, præter Cabbaliſticas Myſticasq; interpretationes, & mera, licet pia, ſomnia. Non ignoramus equidem, eandem ſacras litteras interpretandi rationem compluribus Eccleſiæ Patribus arriſiſſe: ſed præſentis ſæculi palatus ſolidioribus cibis adſuetus ab ingenioſa hac pietate valde abhorret. Quanquam enim nil obſtet, quo minus ſimilitudines ex Vet. Teſt. petitæ applicentur ad illuſtrandam moralem vel theoreticam aliquam doctrinam, tamen extra oleas ii vagari cenſendi ſunt, qui ejusmodi meditationes præclaro Interpretationis titulo præſcribunt. Quare hic vel maxime locum habet illud Enniani Neoptolemi : *Philoſophandum eſt, ſed paucis.*

Verum ut Autoris noſtri Opus propius contemplemur, ipſe in Præfatione fatetur, ante ſe in eodem Matthæi capite eadem methodo verſatos eſſe *Bonaventuram* atque *Antonium Florentinum*, ſed breviter: copioſius idem feciſſe & uberius Hiſpanica quidem lingua *Emanuelem Ramireſium.* Noſter opus ſuum in quatuor partitus libros eſt, quorum tamen poſteriores duo magnitudine a prioribus longe vincuntur. Libro I cap. 1 §. 2 poſſibilitatem ſpiritualis & myſticæ conceptionis generationisque Chriſti probat ex Matth. XII, 49, 50. Et §. 7 item cap. II §. 12 tradit, ſpiritualiter concipere Chriſtum eſſe eum in mente habere, ſanctasque fovere meditationes: parere vero eum eſſe Chriſtum perfectis imitari operibus. Cap. II §. 3 exponit primam Matthæi teſſeradecadem de Virtute Fidei & articulis ejus: quia incipiat ab Abrahamo, patre credentium, & quia Scotus, Doctor ſubtilis, Hiſpanique omnes ſtatuunt 14 fidei articulos. §. 4 contendit, in ſecunda teſſeradecade adumbrari Virtutem Spei: cum incipiat a Davide, *cujus ſpes Deus fuerit ab uberibus matris ſuæ,* Pſal. XXII, 9. Unde §. 7 ad hanc teſſeradecadem reducuntur decem decalogi præcepta & quatuor virtutes Cardinales. §. 10 & 11 tertia teſſeradecas exponitur de Virtute Caritatis & operibus miſericordiæ: quia ſcilicet exordium capiat a captivitate Babylo-

Digitized by Google

Babylonica, in cujus miſero ſtatu occaſio fuerit ſublevandi inopes afflictosque conſolandi: & quia deſinat in Chriſto, qui primarium ſit caritatis objectum, & cum quo per amorem conjungamur. Cap. III & ſequentibus ad finem usque myſtice explicantur Matthæi I verſus 18 & ſequentes hujus capitis omnes, ac ſubinde inſeruntur digreſſiones in laudem Franciſci, Mariæ, Petri de Alcantara. Quæ methodus & in ſequentibus libris ſervatur, ac haud dubie huc animum retulit Autor, cum in titulo Operis obſervationum *panegyricarum* mentionem fecit. Ita primo libro VIII capitibus abſoluto, libro altero Symbolum Apoſtolicum, a Scoto & in Catechiſmo Hiſpano in 14 articulos fidei diviſum, myſtice illuſtrat ex prima Matthæi teſſeradecade, ſimulque ex primis 14 manſionibus Hebræorum in deſerto Numer. XXXIII, 3-18. Enimvero in catechiſmo Romano ſymbolum memoratum duodecim tantum habet articulos, pro numero Apoſtolorum, a quibus id conſarcinatum eſſe ſibi perſuadet Pontificiorum credulum vulgus: ſed Scotus, ratus, Petrum tanquam Principem Apoſtolorum tres articulos ſub uno complexum eſſe, quando dixit: (1) *Credo in unum Deum*, (2) *Patrem omnipotentem*, (3) *creatorem cœli & terræ;* quatuordecim conſtituit fidei articulos. In hac tractatione noſter Abrahamum facit typum DEI Patris, Iſaacum Filii, & Jacobum Spiritus Sancti.

Speciminis loco myſticam interpretationem articuli de Chriſti ad inferos deſcenſu repetemus ex *Capite XI.* Hunc enim §. 2 præſignificatum eſſe docet a Matthæo I, 5 hiſce verbis: *Salmon genuit Booz de Rahab.* Quemadmodum (inquit) Rex Jericho ægre ferebat, exploratores Iſraeliticos latere in domo Rahab: ita Diabolus ſemper fremebat, ac furebat, quoties Patrum aliquis ad limbum deſcendebat, ibique extra ſuum dominium latitabat. Porro ait, Rahab Hebraice notare *vas electionis*: ſic limbum Patrum fuiſſe vas, in quod ſancti & electi recepti ſint incolumes. Eundem articulum §. 3 præſignatum eſſe monſtrat manſione illa Hebræorum Numer. XXXIII, 15, quando caſtra metati ſunt in deſerto Sinai. Nimirum (en acumen!) eo tempore, quo Chriſtus deſcendit ad inferos

Digitized by Google

ſeros, Mater & diſcipuli Chriſti fuerunt ob ariditatis anguſtiam in via deſerta. Libro III perſequitur myſticam repræſentationem quatuor virtutum Cardinalium & decem præceptorum Decalogi, factam (niſi fallitur) in ſecunda Matthæi tesseradecade, pariterque in ſecunda teſſeradecade manſionum Hebræorum, Numer. XXXIII. Sic, e. g. *Capite IX* quintum præceptum explicat ex *Num. XXXIII*, 27, ex nomine Thare. Hoc ait ſignificare *ſtuporem:* jam vero mortem omnibus hominibus *ſtupori* eſſe. Idem præceptum deducit ex *Matth. I*, *9*, ubi Joatham dicitur genuiſſe Achaz. Nimirum occiſionis oppoſitum eſt Amor proximi, maxime inimici. Jam vero Joatham noſtro Auctori ſignificat *perfectus*, quia inimicorum dilectio perfectiſſimus amor eſt. *Ab una* interpretatione, Lector benevole, *diſce omnes.* Libro IV tertia & ultima generationum apud Matthæum & manſionum populi in deſerto teſſeradecas reducitur ad 14 opera miſericordiæ, hoc verſu comprehenſa:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora,
Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Cum vero hic tredecim tantum opera miſericordiæ enumerentur, Lyranum ducem ſecutus ſub vocabulo *conſule* duo complectitur opera miſericordiæ, nempe ut (1) *dirigantur* dubitantes, & (2) *doceantur* ignorantes. Appendicis loco capite XIV eodemque poſtremo oſtendere conatur, Mariam Virginem Deiparam eſſe Jordanem myſticum. Hæc ex iſto Opere recenſuiſſe ſatis videtur. Non poſſumus tamen non addere egregium myſterium in Mariæ nomine latens, quod lib. I cap. 1 §. 6 p. 18 exponitur. Putat enim Noſter, Mariam nomen accepiſſe ex verbis Geneſ. I, 10: *Congregationes aquarum vocavit Maria:* quia ſcilicet Deus fluenta, quæ per partes ceteri receperunt, in Deiparam congregavit uberius. Eodem §. probare annititur, Mariam habuiſſe a primo conceptionis ſuæ paſſivæ inſtanti rationis uſum, ut ex eo jam tempore facere poſſet voluntatem DEI. Qua in re Noſter non multum abludit a Caramuele, qui in libro ſuo *de ſeptem argumentandi methodo p. 71 ſqq.* integram *Metaphyſicam*

Digitized by Google

Marianam difficillimas nugas ſectando propoſuit. Denique inter alia immaculatam Mariæ conceptionem propugnans adducit *lib. I cap. 1 num. 38* Diploma Sixti IV A. 1480. d. 4 Octobris ad hanc confirmandam editum. Quod cum rejecerit Natalis Alexander, in ſuis ad Hiſt. Eccleſiaſticam Diſſertationibus, Autor noſter commemorat, illam ſe traditionem ſingulari opuſculo probaſſe ac oſtendiſſe, Natalis argumenta eſſe mere nugatoria. Sed cum hic libellus in manus noſtras non pervenerit, guſtum ejus Lectori dare non poſſumus.

T HEILIGDOM DEN HEIDENEN GEOpent &c.

h. e.

SACRA GENTILIBUS PATEFACTA IN Epiſtola Pauli ad Epheſios, explicata ab HERMANMO GERBADEN V. D. M. Rosmalenſi.

Ultrajecti, apud Thomam Appels, 1707, 4.

Alph. 3. pl. 22½

IN Dedicatione Cl. Autor magnam converſionem Judæorum & Regnum millenarium ante conſummationem ſeculi expectandum variis argumentis ex Sacro Codice conquiſitis defendit. In Præfatione ad Auditores ſuos graviter deteſtatur ſcandalum a Friderico Leenhofio ante aliquot annos datum, cujus libris non ſolum majeſtatem Divinam, ſed etiam Rempublicam atque autoritatem Magiſtratuum impugnari conqueritur. Dictum Pauli cap. IV v. 3: *ſtudete ſervare uni-*
p. 405. *tatem ſpiritus*, ſtatuit explicari poſſe tam de ſpiritu hominis quam de ſpiritu Dei, qui eſt tertia perſona Divinitatis & in ſpiritu hominis operatur. Intelligit autem per ſpiritum hominis intimum aliquid & maxime intrinſecum in ipſo, ad quod probandum adducit verba Eſaiæ XXVI, 9: *Anima mea deſideravi te noctu, ſpiritu etiam meo, qui in intimo mei eſt, mane te quæram.* Eodemque modo verba Pauli cap.
476. eod. v. 23: *Renovari ſpiritu mentis*, de ſpiritu hominis interpretanda eſſe exiſtimat. Locum cap. IV, 9, ubi dicitur, *Chri-*

Digitized by Google

Chriſtum deſcendiſſe in inferiores partes terræ, exponit de planitie terræ in qua Chriſtus commoratus eſt. Huc pertinere ipſi videntur verba Davidis Pſ. CXXXIX, 15, cum dicit, ſe fuiſſe formatum in inferioribus partibus terræ. Neque tamen rejicit ſententiam illorum, qui per verba Pauli intelligunt ſepulcrum, aut uterum matris, quæ poſterior explicatio etiam ad locum allegatum Davidis quadrat. In commentario ad dictum cap. V, 5, *nullum fornicatorem aut impurum aut avarum habere hereditatem in regno Chriſti & Dei*, fuſe agit de regno millenario, quod jam in Dedicatione defenderat, duplicemque hereditatem expectandam eſſe fidelibus ſtatuit, alteram in regno Chriſti, alteram in regno Dei, quando nimirum Chriſtus tradet regnum Deo & Patri, 1 Cor. XV, 24. Ad cap. VI, 12, quo *pugna nobis eſſe* dicitur, *non cum carne & ſanguine, ſed cum principatibus, cum potentiis, cum imperantibus tenebrarum hujus ſeculi, cum ſpiritibus malitiæ etiam ſupra cœleſtibus*, Autor monet, carne & ſanguine homines humilis ſortis viribusque carentes ſignificari, principatibus vero Præſides provinciarum Romanarum, potentiis Proconſules, quorum mentio fit in cauſa aurifabrorum, Epheſiorum contra Paulum Apoſtolum Act. XIX, 38, aliosque magiſtratus inferiores, imperantibus deniq; imperatores ac duces bellicos. Vocabulum *πνευματικὰ*, quod eſt in ſermone Græco, non interpretatur ſpiritus, ſed *ſpiritualia*, ſuppletque cum Coccejo, *artificia fallendi in rebus ſupra cœleſtibus* a ſacerdotibus Gentilium cumprimis uſurpata.

p. 405

529, 531 ſqq.

628 ſqq.

CHRISTOLOGY, A DISCOURSE CONcerning Chriſt.

h. e.

CHRISTOLOGIA, SIVE COMMENTATIO DE CHRIſto, conſiderato partim in ſe ipſo, partim ratione ſui regiminis, partim ratione ſubditorum & quæ ab illis ipſi debentur, officiorum. Acceſſit Diſſertatio de priori Reſurrectione,

quæ cum Millennio incboabitur. Autore ROBERTO FLEMINGIO.

Volumen I.

Londini, apud Andream Bell, 1705, 8.

Volumen II.

Ibid. apud Jo. Humfreys, 1708, 8.

Conſtant Alph. 3 pl. 14.

CL. Autor ſpecimen, quod ipſe vocat, Theologiæ primitivæ Scripturariæ editurus illud doctrinæ divinioris caput tractare aggreſſus eſt, quod ad Chriſtum pertinet. Inſtituti ſui rationem partim in Præfatione generali, partim in Introductione expoſuit, ex qua intelligas, tribus omnino Voluminibus totam hanc tractationem abſolutum iri, quorum ſingula binis Libris conſtent. Voluminis primi Liber I continet ſummariam Chriſtologiæ conſiderationem ex locis Jo. V, 21, 22 & Matth. XVII, 5 diligentius explicatis. Liber II, qui inſcribitur λόγος, de Chriſto in ſe conſiderato diſſerit. Volumen II ex primo Autoris conſilio duobus Libris abſolvendum ob argumenti amplitudinem tertium tantum Librum ſub inſcriptione λογάνθρωπος exhibet, quippe qui Chriſtum ſub ea ratione contemplandum ſiſtit, qua eſt λόγος, qui humanam induit naturam. Atque iſta quidem hactenus exſtant, impoſterum autem reliqui Libri fuerint exſpectandi, quorum quartus ſub tit. λογοκρατία ediſſeret Chriſti ut λόγου in mundum & Eccleſiam Vet. dominium; quintus autem ſub tit. *Chriſtocratia* Chriſti ut λογανθρώπȣ dominium, partim in mundum partim in Eccleſiam, poſt aſſumtam humanam Naturam exercitum, ob oculos ponet: ſextus denique ſub tit. χριστιανόκλησις de officiis Chriſtiani, tanquam ſervi Chriſti, præcipiet. Totum negotium Cl. Autor p. 1 ſtrictim ſic proponit, ut dicat, Deum non immediate, ſed mediate in & per Filium humanum genus gubernare & regere, hunc vero Filium ſive λόγον eum eſſe, qui nobis ſub nomine Jeſu Chriſti cognitus & a Patre ſummus hominum Monarcha conſtitutus ſit. Fundamentum hujus ſententiæ inprimis quærit in duobus locis Jo. V, 21 & 22, ubi Servator ipſe hoc dominium ſibi

Digitized by Google

bi tribuit, & Matth. XVII, 5, ubi Pater id Filio vindicare legitur. Hinc totus Liber I in illis locis explicandis verſatur. Et quod ad priorem quidem locum attinet, totum caput paraphraſi quadam illuſtratur ac obiter quoque v. 4 νοθείας poſtulatur autoritate Cantabrigienſis & Regii in Gallia Codicis, quorum neuter illum agnoſcit. Hinc vero ad ipſos hos verſus delatus Cl. Autor, vocem κρίνειν & κρίσις latiori ſignificatu accipi vult, ut non ſolum pronuntiationem ſententiæ judicialis cujuscunque vel ejus etiam, quæ extremo die eveniet, denotet, ſed generatim dominium rerumque adminiſtrationem deſignet: quam ſignificationem locum etiam habere putat Matth. XII, 18 (καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ, h. e. totam Oeconomiam N. T. exponet,) nec minus Matth. XIX, 28 & 1 Theſſ. I, 4, 5. Quemadmodum itaque ex v. 21 & 22 hac ratione evincit, Chriſtum tanquam filium Dei & hominum eſſe Dominum & Gubernatorem Mundi æque ac Eccleſiæ; ita ex v. 23 apparere ait, officia illi tanquam Domino ab ipſi ſubjectis præſtanda. Eadem ratione perſequitur locum Matth XVII, 5, & cum ipſa Transfigurationis hiſtoria fuſius illuſtrata eſſet, tandem id, quod inſtituto propius eſt, urget, ac verbis οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς Chriſti perſonam, ſequentibus autem ἐν ᾧ εὐδόκησα ejus dominium, extremis denique αὐτοῦ ἀκούετε noſtram obedientiam illi debitam deſignari ait. Hinc Lib. II conſiderat λόγον partim verbaliter, & capite quidem I nomina varia, quæ ipſi tribuuntur, affert, quæ ſunt filius Dei, λόγος ſive מימרא, δύναμις Θεοῦ & σοφία Θεοῦ. Speciatim evincit, מימרא in Chaldaicis Paraphraſibus nec ſemper, nec nunquam, quod Autor Bilibræ Veritatis temere affirmat, denotare λόγον ſive ſecundam Trinitatis perſonam. Cap. II. oſtenditur, quomodo & ſub quibus nominibus ſe Chriſtus Patriarchis & Prophetis N. T. manifeſtaverit, ubi de nominibus Tropicis *lucis*, *viæ*, *veritatis*, *vitæ* &c. nonnulla in medium afferuntur, ac tandem de voce λόγος affirmatur, eam non ex Platonicis, quod poſt alios Clericus voluerit, ſed Judæorum ſcholis derivandam. Hinc cap. III. recenſet loca N. T. in quibus λόγος de Meſſia adhibetur, quod

p. 25. 103. 135. 138. 149. 155.

Digitized by Google

quod in nonnullis etiam fieri exiſtimat, quæ ab aliis aliter accipi-
untur. Sic per λόγον Meſſiam ſpeciatim indicari putat Luc. I, 2,
Act. VIII, 4, 5, 14, 20, 21, XX, 32, Col. I, 24, 27 &c. imo e-
tiam ῥῆμα de Chriſto interpretandum cenſet Hebr. I, 3, VI,
p. 163. 4, 5, 1 Pet. II, 3, Hebr. XI, 3, Rom. X, 17. Cap. IV præexi-
ſtentiam λόγυ demonſtrat ex Jo. I, 15, VI, 32, XVI, 28, quæ a
Socinianorum objectionibus præ ceteris Scripturæ locis cum cura
187. vindicantur. Cap. V Deitatem Chriſti aſſerit ex Heb. I, 6,
209. 7, 1 Jo. V, 20 &c. Cap. VI Chriſtum creaſſe mundum ex Jo.
I, 1, eundemque rexiſſe, partim ex Scripturæ dictis partim ex
libro Sohar & Philonis ſcriptis manifeſtum facit. Cap. VII
Chriſtum ut λόγον rexiſſe Eccleſiam, ex eo deducit, quod ap
pelletur εἰκὼν τῦ Θεῦ, Col. 1, 15, & ἀπαύγασμα τῆς δόξης, Heb. I,
3, ulteriusque confirmat ex iis, quæ Judæi de igne cœleſti ſiv,
Schechinah tradiderunt, ſub qua Chriſtum deſignari diligentie
327. us Autor probat. Tandem ultimo capite obſervatione-
quædam practicæ ex ſuperiori tractatione deductæ inculcaus
tur. In Præfatione ad Vol. II ſive Librum III inter alia id-
quod Whiſtonus ſingulari Diſſertatione nuper repetita vice,
probare anniſus eſt, obiter aſſeritur, Chriſtum ſcilicet ante,
quam cuiquam Apoſtolorum conſpiciendum ſe præberet, in cœ-
lum adſcendiſſe. In ipſa tractatione tria potiſſimum Sapien-
tiæ, in incarnatione & vita Chriſti λογανθρώπυ conſpicuæ,
13 ſq. genera perſequitur Cl. Autor, quorum primum cap. I more
dialogiſtico *divinam ſapientiam* oſtendit in circumſtantiis illis
manifeſtam, quæ circa ἐνανθρώπησιν obſervantur. Hanc
ſapientiam autem Politicæ, quæ inter homines dominatur, pru-
dentiæ adverſam eſſe diligenter evincit Autor, nec omittit af-
ferre rationes, quæ Chriſtum, ita ut ageret, permoverint. Al-
132. terum Sapientiæ genus idque *prudentiæ plenum* cap. II de-
monſtratur in moribus ac inſtitutis, quibus Chriſtus vitam ſu-
am omnem adverſus quodcunque hominum genus tempera-
vit. Atque hic quidem varia de Apoſtolis, eorum electio-
ne, nominibus, officiis & characteribus non vulgaria mo-
237. nentur, iisque ſubjicitur catalogus LXX Seniorum, quorum
quidem nomina in Scriptura commemorantur; quæ p. 238
exci-

Digitized by Google

excipiunt nomina Evangeliſtarum, Paſtorum aut Diaconorum poſtea electorum, ac denique nomina illorum, qui ex utroque ſexu privata ſorte viventes Chriſti ſacris nomen dederunt. Hinc cap. III conſideratur *ſpiritualis* ſive *cœleſtis ſapientia*, p. 241.
quam Chriſtus in vita ſua Deo, Angelis & Diabolis probavit. Cap. IV de tempore Nativitatis Chriſti, quod plenitudo temporis Gal. IV, 4 ἐμφατικῶς appellatur, ita diſſeritur, ut tempore maxime idoneo Meſſiam hominem induiſſe appareat, 351-371.
quod Jacobus Gen. XLIX, 10, Haggai II, 6, 7 & Daniel IX, 24,27, quæ vaticinia diſtincte conſiderantur, exacte ſignificarint. Qua quidem occaſione de anno & die Natali nonnihil commentatur Cl. Autor, ac propoſitis præſtantiſſimorum Chronologorum ſententiis ipſe Henr. Harvillæi & Jac. Ca- 382.
pelli, ad An. M. 4000 nativitatem Chriſti referentium, calculum approbat, diem vero Octobris quintum natalem arbitratur, cujus ſententiæ rationem usque ad p. 405 reddit, ac tandem p. 406 ſummatim pronuntiat, Chriſtum & natum & miniſterium auſpicatum eſſe Oct. V, mortuum autem V A- 437.
prilis. Cap. V incarnationem λόγου, paſſionem item, &, quæ hanc ſecuta eſt, exaltationem contemplatur, ſingulaque hæc momenta obſervationibus & explicationibus locorum Scripturæ minus obviis & examine dignis munit. Cap. VI de offici- 538.
is λογανθρώπου diſpicit, ac vulgarem illam τριχοτομίαν, quæ minus adæquata ipſi videtur, cum nova quadam permutat, quæ Chriſtum ſiſtit ut Patriarcham, ut Legislatorem ac deniq; 619.
ut Paternæ voluntatis executorem. Cap. VII conſiderat Chriſtum reſpectu ad nos habito, eumque ita repræſentat, ut primo theſaurus omnium bonorum, deinde medium unicum, in quo & per quod homo cum Deo uniatur, ex 1 Cor. III, 21 23, ac denique Miniſter ſtatus intimus, qui conſilia & negotia di- 665.
vina adminiſtrat, habeatur, ex Hebr. XII, 2. Denique capite ultimo exponuntur officia cultus & obſequii, quæ Chriſtiani Chriſto ob beneficia in ipſos collata præſtare tenentur, cujus rei cauſa fuſe explicatur 1 Cor. VI, 19, 20. Atque ex his quidem facile intelligitur tum inſtituti ſumma, tum tractandi ratio Cl. Autori recepta, quæ quod ad ſpecialia momenta ac im-

primis

Digitized by Google

primis ſingulares locorum plurimorum interpretationes, inge-
nio quidem non deſtitutas, a nobis diffuſius exponi hoc lo-
co nequit, inprimis cum de Diſſertatione Volumini huic II
annexa nonnulla dicenda ſuperſint. Inſcripta illa eſt de Reſurre-
ctione prima, ſive de ſpeciali reſurrectione, qua tanquam præ-
mio gaviſuri ſunt principes ex Chriſtianis, Martyres, ipſo Pa-
ganiſmo & Anti-Chriſtianiſmo adhuc durante. Statuit ſcili-
cet Cl. Autor, quibusdam iisque præcipuis Chriſti miniſtris &
ſalutaris doctrinæ teſtibus id felicitatis genus eventurum, ut
longo tempore ante univerſalem & ultimam reſurrectionem,
ſpecialem quandam experiantur, atque hujus quidem veſtigia
cum in aliis Scripturæ dictis tum imprimis in Philipp. III, 11 in-
venire ſibi videtur. Cui ſuæ interpretationi ut veri ſpeciem conci-
liet, primo quidem verſus, qui undecimum hunc antecedunt,
p. 21: paraphraſi quadam illuſtrat, hinc autem propius ad ſuum inſti-
tutum accedens, opinatur, v. 11 per *ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν* & v.
14 per *τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως* iſtam ſpecialis reſurrectio-
nis prærogativam intelligendam eſſe, cum per *βραβεῖον* illud pe-
culiare quoddam præmium, ſicut per *σκοπὸν* felicitatem in ge-
nere, denotet Apoſtolus, nec obſcure ſignificet, ſe non prorſus
de ſpeciali iſto præmio obtinendo certum eſſe, quod tanto pretio
locoq; habet, ut omnes, quas perferat, aut perferre Evangelii cau-
ſa moleſtias poſſit, iſto longe inferiores judicet. Accedit, quod
Apoſtolus hoc momentum non ut neceſſarium doctrinæ
Chriſtianæ caput, ſed ut propriam ſibi opinionem tradit, ceu
apparet ex v. 15, ubi alios aliter hic ſentire pronuntiat, atque
adeo jubet, ut cum Philippenſes de reſurrectione univerſali,
æque ac ipſe, certi ſint, in eo perſiſtant, idque teneant, quod
jam aſſecuti ſint, cum alterum illud momentum Deus juſto tem-
pore per Johannem cum Eccleſia conceptis & perſpicuis ver-
bis ſit communicaturus. Hanc eſſe Pauli mentem, ex eo quo-
22. que evincere conatur, quod nullus alioquin ſenſus commodus
ex ejus verbis exſculpi poſſit. Cum enim v. 12 ait *οὐχ ὅτι
ἤδη ἔλαβον*, id de poſſeſſione vitæ æternæ accipi non poteſt,
cum id Philippenſibus non eſſet obſcurum, Paulum in vitæ
cœleſtis conſortium nondum receptum eſſe. Non magis dici
poteſt

poteſt Paulus de Reſurrectione Univerſali hic cogitaſſe, cum de ea nunquam dubitarit, quemadmodum nec incertus fuit de reſurrectione ad gloriam cœleſtem reportandam, quod patet ex Rom. VIII, 25. Hinc itaque conſequi putat, longe alia & quidem ea quam modo expoſuimus, ratione verba Paulina accipienda eſſe. Hoc autem dogma putat numerandum inter ἄῤῥητα ῥήματα, quorum mentio fit 2 Cor. XII, 4. His ita de p. 26.
loco Paulino ſpeciatim diſputatis, Cl. Auctor ex aliis Scripturæ dictis Specialis illius Reſurrectionis fundamentum oſtendere allaborat, provocatque hoc conſilio ad reſurrectionem ſpecialem, quæ præcipuis Sanctis ex V. T. poſt perpeſſionem Chriſti ſalutarem contigiſſe legitur Matth. XXVII, 50 ſſ. 29.
quam quidem partim a Jeſaia XXVI, 19, partim a Chriſto ipſo Jo. V, 25 prædictam eſſe exiſtimat. Specialis ejusmodi reſurrectionis mentionem fieri putat Dan. XII, 5. Iſta deinde ad inſtitutum ſuum accommodaturus Auctor profitetur, illos, qui tempore Chriſti reſurgentis tumulos ſuos re- 37.
liquerunt, fuiſſe Sanctos V. T. v. gr. Abelem, Noachum, Semum aliosque magni nominis, ad quorum ſimilitudinem cum proxime accedant Sancti N. T. Viri, qui doctrinam ſalutarem præ ceteris promoverint, conjecturam hanc facit, eos quoque ad iſtorum exemplum ante tempus milennii, quo pax Eccleſiæ ſit reſtituenda, ſpeciali ejusmodi reſurrectione gaviſuros eſſe. Ne autem videatur hic aliquid præſtruxiſſe, quod confirmari ante debeat, id ſibi ipſe negotii imponit, ut Millennii ſive Chiliaſmi veritatem demonſtret. De iſto autem ita ſtatuit, quod aliquando Satanas per 1000 annos ſit prohibendus, quo minus 40.
hominibus a veritate deducendis operam dare poſſit; quod intra illud temporis ſpatium Eccleſia, tranquilla, & pace beata, magnam converſorum acceſſionem ſit expertura; quod nihilominus ante Millennium multi veritatem agnitam ſint ejuraturi, qui deinde de Sanctis & fidelibus exſtirpandis laborent, adeo ut Eccleſia ad incitas redigatur, quo tempore Chriſtus ſit appariturus & extremum advecturus diem æque ac judicium. Hæc momenta ſingula latere putat partim Apocal. VI, 9-11, partim XX, 4, 5, quem utrumque locum illuſtrat usque ad p.

52. Cum autem intelligeret Autor, Cl. Whitbyum ſingulari
diſſertatione ſententiam ſuam in dubium vocaſſe, qua veram
& viſibilem Sanctorum reſurrectionem ipſum Millennium
præceſſuram eſſe pronunciaverat, eam contra hujus argumenta
vindicare inſtituit usque ad p. 60, deinde autem peculiarem
Staynoyi opinionem examinat. Poſtea eundem Pauli ep. ad
Philippenſes locum, de quo antea dixerat, huc ſpectare fuſe
probare annititur, ac denique de tempore ad quod Millennii
p. 101. initium videatur referendum, commentatur. Summa huc redit,
quod Æra dominatus Papalis conſtituenda ſit in A. 758
poſt C. N. quo dignitas Pontificis Romani a Pipino ac deinde
a Carolo M. fuit confirmata: huic autem dominatui cum anni
1260 in Scriptura ſint definiti, conficitur ex Auctoris mente,
finem hujus atque adeo initium Millennii ad annum 2018
ſpectare, qui ſi ad calculum annorum Propheticorum revocetur,
cadet in annum poſt C. N. 2000. Hac Millennii Æra conſtituta,
cum Epiſcopi Vigornienſis tum Whiſtoni Schema Apocalypticum
fundamento minus ſolido ſuperſtructum eſſe, in
ſequentibus oſtendendum ſibi ſumit Autor, totique diſſerta-
163. tioni obſervationibus practicis finem imponit.

DOMINICI LAZZARINI, EX NOBILIBUS de Murro, Defenſio in P. Bartholomæum Germonium, edita ſtudio CAJETANI LOMBARDI, Philoſophi & Medici Neapolitani.

Venetiis, per Nicol. Pezzanam, 1708, 8.
Pl. $3\frac{1}{2}$.

SCIPIONIS MARANTÆ MESSANENSIS Expoſtulatio in Barthol. Germonium, pro antiquis diplomatibus & codicibus manuſcriptis.

Meſſanæ, apud Dominicum Tarinum, 8. Pl. $3\frac{1}{2}$.

JO. Mabillonii ſex de Re Diplomatica libros, primum Pariſiis
129. A. 1681 editos, & a nobis Anno 1682 recenſitos, poſteaquam
per complures annos ſingulari eruditus orbis applauſu
dignatus eſſet, tandem e Societate Jeſu quidam Gallus repertus
eſt.

Digitized by Google

eſt, Bartholomæus Germonius, qui duobus libris Pariſiis 1703 evulgatis (vide Acta noſtra Anni 1706 pag. 284) omnem Artem Diplomaticam conatus eſt evertere. Huic ſuo adverſario ſequenti anno Mabillonius oppoſuit Supplementum librorum ſuorum elegantiſſimum, a nobis Anno 1706 laudatum. P 358.
In quo cum non refutaſſet nominatim Germonium, ſed argumenta tantum argumentis oppugnaſſet, anno 1705 Romæ Cl. Juſtus Fontaninius Vindicias antiquorum diplomatum adverſus Germonium edidit, nec nobis tacitas in his Actis A. 1706.
Non diſtulit diu Germonius reſponſionem, quam ſe Fontaninio 422.
debere credebat, adeoque Pariſiis A. 1705 Diſceptationem ſecundam publicavit, de qua vide Acta Anni 1707. Poſtea plures in Germonium inſurrexere. Edidit enim Dominicus Lazzarinus 290.
Epiſtolas pro Mabillonio contra Germonium, Petrus Couſtant Vindicias MSS. codicum a Germonio impugnatorum, Theodoricus Ruinartus Eccleſiam Pariſienſem vindicatam adverſus Germonii duas Diſceptiones de antiquis Regum Francorum diplomatibus. In contrariam quoque partem Anonymus quidam (qui haud dubie ipſemet eſt Germonius) Diſceptationes publicavit de arte ſecernendi vera diplomata a falſis contra Ruinartum, Fontaninium, Lazzarinum, & Gattum. Ac fortaſſe alia quoque ſcripta de hoc argumento prodierunt, quæ non pervenere noſtram ad notitiam. Notum etiam eſt vel ex 273.
his Actis ſuperioris anni, Mabillonii Opus diplomaticum cum nonnullis Ruinarti additamentis A. 1709 fuiſſe Pariſiis recuſum. Venimus nunc ad eos, quorum titulos recenſuimus, libellos, quorum alter, ab Abbate Lazzarino, ex Murri Toparchis, confectus, eſt Oratio coram Auditorio Maceratæ habita, quam Editor Germonianam in frontibus ſingularum paginarum vocat, imitatione Verrinarum Ciceronis, & Philippicarum Demoſthenis. Eſt igitur hæc invectiva & ſatyrica Oratio politiſſimo dicendi genere conſcripta, in qua Lazzarinus ſingula Germonii in ſe ſcripta verba repetit, & ab ejus accuſationibus ſatis acri adhibito ſale defendit. Cum autem Germonius caſtiſſimæ Latinitatis ſtudioſus velit videri, & Lazzarino, diligentiſſimo certe Ciceronis æmulo, quædam ſtyli vitia

 obje-

Digitized by Google

objecerit,hic non ſua ſolum verba vindicat,verum etiam Ger-
p. 29. monium reprehendit,quod ſcripſerit, *Suppono,quod-in ea ſum*
opinione, quod-negatum eſt, quod-putandum, quod-ſolum-
modo-quæ in una pagina Germonii ſe notaſſe ait : & cum
Germonius ſcripſiſſet, *Romæ nihil quicquam typis mandari*
19 *ſine licentia; immo vero,* inquit Lazzarinus, *nihil pror-*
ſus cum licentia. Quis ſic loquitur homo Latine? Poſtea vero,
quam adverſarii ſui objectiones diluiſſet,ita infit : *Cave ita-*
que tibi,moneo: receptui canas: rem feceris homine docto atque
prudente dignam. Quid enim ſperas? Neſcis, eos omnes, qui
22 *tuum librum legerunt, non modo in Italia, ſed in Gallia, Ger-*
mania, Belgio, idem omnino de eo ſentire, quod ego ſentio, at-
que adeo omnes ridere conatum & conſilium tuum? Nec im-
pune ferunt ſodales Germonii Trevoltienſes, qui ipſum lauda-
rant, maleque ſenſerant de ejus adverſariis. Nam ad illos
34 pertinet, quæ p. 34 diſſerit: *Plurimis*, inquiens, *noſtra illæ lit-*
teræ (contra Germonium editæ) *placuerunt: in quibus alius*
aliud probavit, illud vero omnibus gratiſſimum fuit, Trevoltia-
nos a me fuiſſe reprehenſos. Quis illa ſecli incommoda *non*
oderit? qui ſibi illud primum arrogarunt, ut de quocunque li-
bro, qui in illorum manus miſere incidiſſet, judicium ferrent?
Quis non faſtidiat audaciam? Quis illos cenſores in Republica
literaria creavit? homines crudæ cujusdam eruditionis, quam
neq; concoquere, neq; vomere didicerunt. Cujus quidem rei illuſtria
quædam proferam teſtimonia. Hæcce nos omittentes ad finem O-
rationis properamus, ex quo hæc adhuc repetimus. *Ego, Ger-*
37 *moni, ut candide loquar, Pyrrhonæam iſtam ſcholam, quam nu-*
per aperuiſtis, ferre non poſſum. Vix defenderamus ab Har-
duini manibus Thucydidem, ceteroſque hiſtoricos & poetas,
Latinos & Græcos, ut nihil jam dicam de SS. Patribus,
quos ille falſos eſſe diceret : cum a te literæ Principum vetuſtiſ-
ſima defendenda ſunt. - - Et ſane vos, ut critici maxime in
hiſtoria habeamini, ſceptici iidemque ridiculi evaſiſtis: niſi for-
taſſe aliqua veſtra ſit machinatio in antiquitatem. Rumor
eſt Romæ, non defuturum inter vos, qui ſigna omnia marmo-
rea, quæ vetuſta ſint, neget vetuſta eſſe. Certe non deſunt
graviſſi-

Digitized by Google

graviſſimi teſtes, qui unum aliquem ex Trevoltianis heroibus dixiſſe meminerint, cum Romæ ille degeret, columnas Antonini & Trajani non eſſe vetuſtas. Sed quid teſtes adhibeo? Annon litteris mandavit Harduinis, marmora illa Piſana a ſtrenuo quodam artifice confiſta eſſe: *atque adeo nullum operæ pretium feciſſe Cardinalem Noriſium, qui illa eadem marmora ſuis diſſertationibus illuſtraverit.* Sed ſatis dictum eſto de hac oratione. Ipſum controverſiæ cardinem non movemus, memores, nos duntaxat recenſentium munere jam fungi.

Progredimur ad Marantæ libellum, cui præmiſſa eſt Claudii Monterchii, Tarentini, Epiſtola Anno 1708 III Kal. Julii ſcripta ad Autorem, in qua itidem conatus Germonii cum auſibus Harduini comparatur. *Germonius*, inquit, *alter plane Harduinus eſt, ſi dementiam & faſtum hominis ſpectes; ſi vero eruditionem, Harduino longe quidem diſſimillimus.* Nec hic dubitat, quin *lateat multorum conjuratio ad omnem antiquitatem evertendam*, ſcilicet ut veterum ſcriptis omnino contemtis, recentioribus tantum Jeſuitarum libris opera detur. Promittit quoque, ſe brevi editurum *Commonitorium in Germonium*, cujus argumenta & capita recitat. Ipſe Maranta acerrime quoque hic cum Germanio congreditur, nec verborum parcit p. 4.
acerbitati. Primum ait, Jeſuitas monachorum Benedictinorum, inter quos eminuit Mabillonius, gloriæ invidere, ex quo
illi Patres Eccleſiæ, cum Græcos tum Latinos, emendatiores 5.
edere inſtituerint. Unde eos Romæ, quanquam fruſtra, laboraſſe, ut Opera S. Auguſtini a Benedictinis edita proſcriberen- 12 ſqq.
tur. Deinde oſtendere aggreditur, omnia criteria ſophiſtæ ab Ariſtotele prolata in Germonium convenire. E- 15 ſeqq.
undem poſtea Pyrrhoniſmi poſtulat. Trevoltianos vero,
quorum paulo ante meminimus, εἰρωνικῶς vocat *probos* 20.
homines, quibus ſit theſaurus in lingua ſitus, ut quæſtum
habeant male loqui melioribus, ſtultis vero benedicere. Ab 21 ſeqq.
his ad Germonium rediens, eum ait conſpirare cum hæreticis, qui & ipſi antiqua ſcripta in dubium vocare ſoleant: item 24.
cum Rich. Simonio, quem ait *ab hereticis juxta & Catholicis*
damnari & totum plenum eſſe calumniarum in ordinem mona- 25 ſeq.
ſticum, nec non cum Harduino, cujus paradoxas ſententias e-

numerat. In ſequentibus tantum conſectaria ducit ex Germonii ſententia, quod ſcilicet per eam labefactetur omnis hiſtoria mediæ ætatis, jus publicum & privatum, antiquitas omnium familiarum. Tandem jubet eum Papebrochii exemplo palinodiam canere, ac diplomatum γνησιότητα agnoſcere.

MEMORIA THEOLOGORUM WIRTEMbergenſium reſuſcitata; Autore M. LUD. MELCHIORE FISCHLINO. Partes II.

Ulmæ, ſumptibus Georgii Wilhelmi Kühn, 1709, 1710, 8. Alph. 2 plag. 5.

CL. Autor, Miniſter verbi Stuttgardianus, in Præfatione vehementer dolet, integrum effluxiſſe ſeculum, ex quo præter Martini Cruſii Annales nullum de rebus Sueviæ, vel ſaltim Wirtembergici Ducatus, Commentarium orbis litteratus viderit. Ipſa etiam MSta, a poſſeſſioribus velut cimelia clanculum aſſervata, plerumque ultra res ſeculi XVI non aſſurgere ait, quæ jamdum compilarit Cruſius. Huc refert ſex vel ſeptem Tomos ab Oswaldo & Wolffgango Gabelcoveris, Patre & Filio, Archiatris & Hiſtoriographis in Aula Ducali celeberrimis congeſtos, & in Tabulario, tum Ducali tum Provinciali, extantes, quorum aliquos affectos potius quam perfectos, ex iisque vix unicum ita comparatum eſſe cenſet, ut typis exſcribi poſſit. Notæ haut multo melioris eſſe monet, quæ Viri emunctioris naris, Jo. Georgius Walzius, Jo. Martinus Rauſcherus, Magnus Heſſenthalerus, & ipſe Jo. Ulricus Pregizerus, edere pararint, cum a plerisque res civiles magis & militares, fundorum reditus, locorumque ſitus, nec non vini & frumenti pretia in ſingulos annos, quam res in Eccleſia geſtæ, deſcribantur. Hunc igitur laborem ab aliis neglectum in ſe ſuſcepit Plur. Reverendus Autor, & Parte I Wirtembergenſium Theologorum memorias deſcripſit, qui a tempore religionis repurgatæ ad finem usque ſeculi XVI vixerunt, e quibus unum alterumque ſpecimen daturi ſumus. De Erhardo Sneпſio, Heilbronnæ ad Nicrum 1495 nato, memorat, quod Heidelber-

delbergæ Jurisprudentiæ dederit operam & emendata per Lutherum religione, ægre tandem a matre ad ſtudium Theologicum revocatus ſit. In quo brevi tempore tantos fecit progreſſus, ut primum Weinsbergæ, & inde pulſus Guttenbergæ, poſtea Weilburgi in Comitatu Naſſovico Evangelium magno auditorum fructu doceret, & inde ad Profeſſionem Theologiæ Marburgenſem, nec multo poſt 1535 Stuttgardiam, ad generalem totius Ducatus Wirtembergici Ephoriam evocaretur, inferioremque illius regionis tractum a Romanenſi ſuperſtitione purgaret. Anno 1543 conſtitutus Theologiæ Profeſſor in Academia Tubingenſi ſummos Doctoris Theologi honores impetravit. Quo tamen munere poſt aliquot annos cum formulæ Interimiſticæ ſubſcribere nollet, ſe abdicavit, & civibus illius loci magno numero, multisque lacrymis, tanto tamen metu eum proſequentibus, ut nemo, præter Anaſtaſium Demlerum JCtum, libros ejus hoſpitari auderet, deceſſit in Academiam Jenenſem, quam eodem Doctoris Theologi officio ad mortem usque illuſtravit, quæ ei contigit ipſo die natali Calend. Novembr. A. 1558 ætatis 63. Ex diſcipulis ejus præ aliis in Ducatu Wirtembergico inclaruit Jacobus Andreæ, quem cum Dux Ulricus in arce ſua concionantem audiviſſet, dixiſſe fertur ad ſuos: *Undecunque hic pullus progrediatur, certum eſt, quod Snepfius illum excluſerit.* Lucem vidit Waiblingæ 1528 d. XXV Mart. patre natus Jacobo Endriß/ fabro ferrario, qui filium arti Mechanicæ mancipare volebat, cum fabro lignario pactus, unde per cavillum ab adverſariis Fabricius & Schmidlinus fuit vocatus, ejusque libri in Indice Expurgatorio Romano ſub quatuor nominibus *Jacobi*, *Andreæ*, *Fabricii*, & *Schmidlini* prohibentur. Varia uſus fortuna ac ſtatione, tandem anno 1553, ætatis XXV, Theologiæ Doctor renunciatus, Antiſtitis Gœppingenſis munus adiit, ubi primo ſtatim anno Judæum quendam ob criminum atrocitatem de furca inter duos canes pedibus ſuſpenſum, ad Chriſtianam religionem adduxit. Hinc in Academiam Tubingenſem ad munus Theologicum revocatus, poſt Beurlini fata Concellarius & Præpoſitus factus eſt A. 1662. Cum itaque maxima in Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia ejus eſſet autoritas, XI colloquiis religionis cauſa inſtitutis interfuit, potioresque collocutoris partes ſuſtinuit in plerisque. Amœbeo quoq; literarum commercio, Tubingenſes inter & Græcos 1574 cœpto, anſam dedit, cum Stephanum Gerlachium Baroni Ungnadio, Cæſareo ad aulam Turcicam legato, præconem aulicum adjungeret, cujus rei fructus poſtea inſignes fuerunt. Variis itineribus, religionis cauſa, in Saxoniam, Thuringiam, Daniamque ac Helvetiam factis, imprimis autem admirabili illo Concordiæ opere, cujus cum Chemnitio præcipuus autor fuit, magnam ac immortalem quidem nominis gloriam conſecutus eſt, adverſariorum tamen invidiam declinare non potuit, quorum obtrectationes poſt cineres etiam expertus eſt, ſigillatim Hoſpiniani, Hornbeckii, Hornii aliorumque, quas autem omnes leves eſſe cenſet Autor noſter præ illis conviciis, quæ Gottfr. Arnoldus nuper in eum conjecit. Collaudarunt tamen D. Andreæ virtutes non ſolum Elector Saxoniæ D. Auguſtus, ſed ex Pontificiis etiam Florimundus Raymundus & ipſe Romanorum Imperator Maximilianus II, cujus ipſiſſima verba hæc fuerunt: *Chare Domine Jacobe, ne cogites, magnam ab omnibus gratiam te reportaturum, complures enim Tibi tuoque nomini infenſos habes. Memento tamen verborum Chriſti in Evangelio: Beati eſtis, cum omne malum contra vos propter me dixerint, mentientes, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Merces veſtra non in terris, ſed in cœlis repoſita eſt.* Tandem 1590 d. 7 Januarii, æt. 63, mens. 9, Miniſterii 44, ex pleuritide in Domino placide obdormivit.

Altera harum *Memoriarum* Parte vitæ Theologorum, qui ab anno 1600 usque ad 1700 floruerunt, enarrantur, e quibus de Jo. Bartholomæo Haagio, Conſiliario & Antiſtite Generali, ac Monaſterii Adelbergenſis Abbate, nonnulla excerpemus. Natus eſt Guſſenſtadii, Wirtembergicæ ditionis pago in tractu Heidenheimenſi, d. 6 Aug. 1633 parentibus ruſticanis, a quibus, baptismo initiatus, Bartholomæi nomen accepit. Amiſſo autem prope Nordlingam 1634 prælio & infuſis in Ducatum, velut cataclysmo quodam, Cæſareanorum

copiis

copiis, patriaque peſte, bello, fame miſere devaſtata, parentes ejus A. 1636 occubuerunt. Infantem itaque nondum trimum ſoror 16 annorum puella in ſylvis & antris circumtulit errabunda, herbis, urticis & radicibus ſuſtentatum, donec peritura fame amicorum conſilio puerum pulvinari involutum in longo ſedili, quod Ulmæ ante Xenodochium eo fine ſtatutum cernitur, mane exponeret. Repertum a portitore inſpector Noſocomii ſuſcepit, cumque de baptismo illius nil omnino conſtaret, M. Balthaſar Gockelius puerulo, altera vice aqua luſtrali adſperſo, Joannis nomen ſuperaddidit, de quo caſu Celeberr. Ulmenſium Antiſtes D. Conradus Dietericus peculiare conſilium de infante reperto, de cujus baptizatione dubitaretur, num baptizandus eſſet? formavit, quæſtionemque ex hoc regulæ Theologicæ fundamento affirmavit: *non poteſt dici iteratum, quod non creditur eſſe factum.* Facta eſt altera hæc adſperſio d. 3 Maji 1636. Poſtea Roſina Hämmerlina in Xenodochio ejus curam geſſit, a qua poſtea Barbaræ Eckhardi, L annorum virgini, quæ cum epileptico morbo diu conflictata, abſque externis remediis convaluit, traditus. Hæc velut Thermutis aliqua Moſen hunc ex calamitatum Nilo extractum per omnem vitam materno amore complexa tenerrime fovit, & pietatis literarumq; rudimentis in ſcholis Ulmenſibus imbui curavit, & ſumtus liberaliter ſuppeditavit. Ignotis autem parentibus, Fundii nomen adſcivit, usque ad annum 1646, quo frater natu major, Egloshemii prope fortalitium Aſperg incola, quæſitum puerum, & repertum, idoneis documentis ſuo ſanguini aſſeruit. Ab eo tempore cognomen Fundii abjecit, retento tamen ad perpetuam rei memoriam nomine Joannis Bartholomæi. Poſtea pace per Germaniam reſtaurata, Tubingam ſe contulit, adjutusque ſtipendio Ducali tantos in ſtudio Theologico fecit progreſſus, ut muneri ſacro præficeretur 1652, & per varios gradus ad ſplendidam Antiſtitis Generalis, Abbatis & Conſiliarii dignitatem eveheretur. Obdormivit anno 1709 d. 11 Junii, non tam maraſmo ſenili, quam podagricis doloribus ſenſim exhauſtus, ætatis 76, miniſterii 57. Ceterum utrique harum *Memoriarum* Parti ampla & luculenta ſubjecta

 ſunt

Digitized by Google

ſunt ſupplementa, in quibus multa ad Hiſtoriam Ducatus Wirtembergici Eccleſiaſticam ſpectantia ſublegit Cl. Autor & innocentiam Wirtembergicam, ab A. D. Carolo adverſus Godofredum Arnoldum defenſam, ſed a nupero Arnoldi cliente oppugnatam, in tranſitu vindicavit.

THE PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS and Collections to the End of 1700 &c.

h. e.

TRANSACTIONES ET COLLECTIONES Philoſophicæ usque ad annum 1700, in epitomen redactæ, & per generalia capite diſpoſita a JOHANNE LOWTHORP, A. M. & S. R. S.

Volumen II.

Londini, apud Thomam Bennet, 1705, 4.

Conſtat 5 Alph. & Tabb. æn. 14.

CUm primum operis hujus Volumen nuper Sect. VII p. 290 recenſeremus, quænam in ſecundo continerentur, jam p. 291 indicavimus. Verum opus eſt, ut ſingula argumenta nunc ſpecialius ediſſerantur. Sub initium itaque *Godofredus* ſtatum Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſinæ breviter delineat; *Leibnitius* de præſenti languido Philoſophiæ ſtatu conqueritur, & hac occaſione *Walliſius* in ejus cauſas inquirit; Anonymus vero cellam profundam in Obſervatorio Pariſienſi deſcribit. Fiſtulæ *Torricellianæ* uſum in metienda gravitate aeris primus obſervaſſe dicitur *Boylius*, utpote qui A. 1659 & 1660 obſervationes barometricas annotaverit. Reperies ibi largam phænomenorum barometricorum ſegetem, variorum ſolertia obſervatorum, nec deſunt varia de eorum cauſis meditata. *Liſterus* minus recte cauſam in aerem ſupra Mercurio reſiduum conjicit; Hallejus vero eam a ventorum inconſtantia & vaporum elevatione ac præcipitatione petit. Quod Mercurius ab aere purgatus in tubo *Torricelliano* ad 75 digitorum altitudinem ſuſpenſus hæſerit, a preſſione fluidi cujusdam ſubtilis, quod vitrum & Mercurium difficulter pervadit, *Hugenius* derivat; quæ tamen hypotheſis non prorſus ſatisfacit *Walliſio*, ad elaterem aeris per Mercurium diſperſi confugienti. Sunt etiam, qui accuratæ

ſcalæ

Scalæ barometricæ in partes minutiſſimas diviſioni ſtudent. Hos inter *Hookius* & *Derhamus* eminent, quorum hic inſuper barometrum portatile conſtruere docet, *Boylio* baroſcopium hydroſtaticum proferente. Simili induſtria thermoſcopiorum phænomena recenſentur, & ad ſcalæ thermoſcopicæ diviſionem felicius abſolvendam *Hallejus* expanſionem diverſorum fluidorum vi caloris factam experitur. Hygroſcopiorum genera varia occurrunt, maximam partem in his quoque Actis paſſim deſcripta: quibus anemometron ſuperadditur, ſed imperfectioris ſtructuræ *Wolfiano*, in Actis A. 1709 menſe Januario repræſentato. Obſervationum Meteorologicarum de tempeſtatis mutationibus & ordinariis & rarioribus, de ventis, rore, pluviis extraordinariis cineres, piſciculos aliaque ſecum deferentibus, de grandine, nive, glacie, frigore hiemali, tonitru ac fulgure, halonibus, parheliis, iride aliisque meteoris inuſitatis ingens habetur numerus. Earundem vero occaſione *Gillius* & *Langfordius* quædam ventorum prognoſtica exponunt. *Hallejus* calculum vaporum ex mari quotidie emittendorum experimentis præviis init & eorum circulationem explicat; *Gardenius* & *Wallisius* mutationes tempeſtatis ab alterationibus ponderis atmoſphærici pendentes expendunt. *Liſterus* cauſas ventorum ſub tropicis, *Gardenius*, *Molyneux* & *Hallejus* eorundem cauſas in genere detegere allaborant; *Nehemias Grew* in naturam nivis inquirit, & *Ballius* ejus conſervandæ modum proponit; *Boylius*, *Renaldinus*, *Liſterus* & *Maſterſius* de frigore & glacie artificiali experimenta proferunt; *Hallejus* gradus caloris ſolaris latitudinibus locorum reſpondentes determinat, & diametrum iridis calculo accurato ſubjicit; *Hugenius* cauſas halonum & parheliorum, *Linus* cauſas iridis conſiderat. Varia quoque variorum, præſertim *Boylii*, experimenta occurrunt ope antliæ pnevmaticæ inſtituta, quæ inter Anonymi nonnulla de aeris ſub aqua compreſſione leguntur.

In *Hydrologia* phænomena fluxus & refluxus maris, fontes intermittentes, lacus curioſi rivique nonnulli, aquæ petrificantes, inundationes, aquæ minerales, thermæ, fontes

Digitized by Google

ſalſi aliaque naturæ myſteria deſcribuntur. Præterea vero *Hookius* profunditatem maris explorare docet; *Anonymus* gravitatem ſpecificam aquæ marinæ in diverſis climatibus examinat; aquam marinam in dulcem convertendi methodum tradunt *Hauton* & *Liſterus*, examen aquarum quarumlibet *Boylius*. Deſcribuntur & variæ methodi, quibus paſſim in parando ſale utuntur. *Walliſius* de cauſa fluxus & refluxus maris diſquirit, & *Hallejus* theoriam *Newtoni* explicat, æſtum maris a mutua Lunæ ac Telluris in ſe invicem gravitatione cum *Keplero* noſtro derivantis.

In *Minerologia* hiſtoria naturalis egregie illuſtratur variis cavernarum ſubterranearum, metallifodinarum, ignium ſubterraneorum, montium ignivomorum, terræ motuum, lignorum foſſilium, conchiliorum foſſilium, fungorum ſubterraneorum, ſuccorum & balſamorum mineralium, lapidum, marmorum, ſuccini, coralliorum, ſalis foſſilis, pyritum & lapidum calcariorum, ſulphuris vitrioli, aluminis, minii, amianthi, lapidis calminaris, antimonii, arenarum, ferri, chalybis, ſtanni, Mercurii, argenti, auri &c. deſcriptionibus. Ubi ſimul *Beaumont* & *Du Sons* methodum cædendi lapides deſcribunt; *Liſterus* cauſam materialem terræ motuum & montium ignivomorum exhalationes inflammabiles pyritum, ex tota ſubſtantia ſulphur, eſſe contendit; *Hartmannus* geneſin ſuccini Pruſſici accurate exponit; *Carolus Leigh* aquas Nili nitroſas examinat; *Liſterus* in originem nitri Ægyptiaci inquirit; *Wilhelmus Gould* pondus olei vitrioli per aeris acceſſum augeri obſervat; *Anonymus* circa vitriolum, ſulphur & alumen experimentatur; *Waite*, *Plot* & *Anonymus* veſtes incombuſtibiles narrant. *Philibertus Vernatti* modum conficiendi ceruſſam explicat; *Hallejus* ductilitatem auri examinat, aliaque curioſa hinc inde commemorantur.

In *Magnetologia* magnetes deſcribuntur, obſervationes magneticæ recenſentur, eorum vis attractiva, acus magneticæ declinatio & declinationis mutabilitas variorum experientiis confirmantur & illuſtrantur, imo variationes declinationis prædicit *Henricus Bond*, & theoriam eorundem tradit *Hallejus*, tantopere ab eruditis approbatam; pyxidem vero nauticam invariabilem commemorat *de la Hire*. In

In *Botanica* multa habentur notatu digna de variis plantis, arboribus ac fructibus, præſertim exoticis e. gr. de fungis rarioribus, ſecali, frumento Indico, croco, Laudano Helmontiano, opio, aloe Americana, faba S. Ignatii, ſorbo pyriformi &c. *Robertus Southwel* herbariorum vivorum conſtructionem; *Robertus Murray* modum præparandi polentam edocet. *Merret* granaria Londinenſia, *Pellius* Tigurina, *Anonymus* Dantiſcana & Moſcovitica deſcribit. *Richardus Reed* & *Samuel Colepreſſius* varios modos ſiceram conficiendi exponunt: quibus additur *Martelli* modus parandi vinum aromaticum & alius *Anonymi* parandi acetum. Leguntur quoque ibi obſervationes & experimenta *Balii*, *Tongii*, *Woodwardi*, *Willoughbai*, *Wrai*, *Liſteri*, de vegetatione & ſucco nutritio plantarum; aliæ ejusdem Liſteri de circulatione ſucci nutritii & venis plantarum a *Walliſio* etiam obſervatis, itemq; de natura & differentia ſuccorum in diverſis plantis, & adhuc aliæ *Richardi Reed* atque *Balii* de deſcenſu ſucci nutritii tempore hiemali. Ad agriculturam & horti culturam referri poſſunt, quæ de modo inuſitato propagandi moros, de modo facili progignendi arbores frugiferas & de convenientiſſimo transplantationis tempore, de fertilitate agris concilianda, cum aliis obſervationibus agreſtibus & hortenſibus proferuntur. Huc etiam pertinent, quæ *Robertus Southwell* de fructibus & floribus per hiemem producendis atque per integrum annum conſervandis meditatur.

In *Zoologia* obſervationes bene multæ de variis inſectis, piſcibus, avibus & quadrupedibus exoticis atque conchyliis occurrunt, quæ ſigillatim recenſere prolixum nimis foret. Præterea *Chriſtophorus Sandius* de origine unionum & *Georgius Garden* cum *J. Floyero* de theoria generationis diſcurrit.

PHÆDRI FABULÆ, AD FIDEM OPTIMARUM editionum, una auctiores, recuſæ cum brevibus Notis. Accedunt Vindiciæ Cl. Gudii ab acerbioribus cenſuris V. C. Jac. Gronovii; editore JO. CHRISTOPHORO WOLFIO.

Digitized by Google

Flensburgi, ſumtibus Jo. Chriſt. Schumanni, 1709, 8.
Pl. 6.

CUm Cl. Editor, Collega noſter honoratiſſimus, in ea eſſet ſententia, Phædrum, idoneum maxime inter Latinos ſcriptorem, tironibus hujus linguæ merito commendatiſſimum eſſe debere, operæ pretium ſe facturum arbitratus eſt, ſi ejus Fabulas ad optimarum editionum, Burmannianæ ſpeciatim & Hoogſtratianæ, fidem recudi curaret. Illis enim ita uſus eſt, ut nulli addictus ex ſingulis ea ſeligeret, quæ & ratio & metrum in contextum recipi ſuaderent. In notis vero brevibus, quæ ad calcem comparent, id ſpectavit, ut obſcuriora ſtrictim illuſtrarentur, præterea vero lectionum, in contextum receptarum, ratio redderetur. In nonnullis tamen prolixior eſt, v. c. in ea, quæ extat p. 96, ubi vulgatam & communi MSS. conſenſione receptam lectionem Lib. I Fab. V, *nominor quia Leo*, adſtruit & variis rationibus vindicat, quam B. Gudius ingenioſe quidem ſed forte minus recte loco movendam & cum altera, *nominor quia Creon*, permutandam ſtatuerat. Sic p. 102 oſtendit, Lib. III Fab. XX non *Cybeles*, ſed, quod Gudius itidem primus vidit, *Cybebes* eſſe legendum. Notas has proxime antecedunt vindiciæ Cl. Gudii, quem iniquis modis Cl. Jac. Gronovius in nupera Fabularum Phædri editione, Amſtelodami, 1703, in 8 curata tractaſſe ipſi viſus eſt. Cum autem ab eo duo criminationum genera in Gudium ſint conjecta, quorum aliud ad mores Viri in contemtum adducendos, alterum ad doctrinam dubiam reddendam pertinet, hanc imprimis ut vindicaret, operam dedit Cl. Editor, quod quidem in opere ipſo rectius perſpicietur. Appendicis loco accedit Fabula una, hactenus inedita, quam ſub Phædri nomine invenit Cl. Crenius, & cum Editore liberaliter communicavit.

LEHMANNUS SUPPLETUS ET CONTINUATUS h. e. Acta Publica Imperii Romano-Germanici de Pace religionis, &c.

Fran-

Digitized by Google

Francof. ad Mœnum, ex officina Groſſiana, 1709, fol. Alph. 12 pl. 8 cum Fig. æn.

Acta publica & originalia de pace religionis, quæ Chriſtophorus Lehmannus olim collegit, quæque a Conſultiſſ. Cortrejo Corporis Juris Publici Tomo II inſerta notavimus in Actis A. 1708 p. 24, ab Editore hujus voluminis ita ſupplentur & continuantur, ut & tractatus variorum Autorum de illa pace, & Acta nonnulla & originalia circa negotia religionis recentiora exhibeat. Nos, cum omnia fere jam ſeorſim impreſſa comparuerint, breviter tantum titulos recenſebimus. *Henrici Andreæ Cranii Diſſertationes Juridico-Politicæ de pace religionis. Jacobi Schulteſii Tractatus de fide hæreticis religioſe ſervanda. Conſultationum forenſium liber I, conſultationem unicam de pace civili, religioni Germanorum in Inſtrumento pacis Monaſterienſis & Osnabrugenſis data, exhibens. Manuale pacificum Guilielmi Ignatii Schutzii cum notis Heydeni Borromæi Riccrunti. Johannis Schilteri de pace religioſa liber. Diſſertatio de pacis religioſæ conſtantia ſub præſidio Gabrielis Schwederi habita a Johanne Alexandro Chriſtio. Viti Breitſchwerd Conſilium de jure immediati ordinis equeſtris S. Rom. Imperii circa exercitium religionis. Erneſti Gokelii Tractatus de majeſtatico religionis jure. Acta commiſſionis Cæſareæ & mox ſecutæ executionis in civitate Auguſtana circa religionem de A. 1622. Deſtructio eccleſiæ Lutheranæ in valle Teffereccenſi, quæ eſt in territorio Epiſcopi Salisburgenſis. Relatio de controverſiis civitatis & Epiſcopi Baſileenſis. Acta & originalia de libero exercitio religionis Proteſtantium in Sileſia. Relatio de ſtatu religionis Evangelicæ in Tranſylvania. Auguſtana confeſſio ſecundum tria diverſa exemplaria*, olim juſſu Electoris Brandenburgici junctim impreſſa. *Obſervationes Hiſtorico-Politico-Legales de juribus eccleſiaſticis Reformatorum Principum*, in ſpecie Anhaltinorum.

ORATIONES ET CARMINA BENEDICTI AVERANII, Florentini; opus poſthumum.

Floren-

Florentiæ, apud Petrum Martini, 1709, 4 maj. Alph. 2 pl. 9.

OMni jure meritoque inter hiſtoriarum appendices præter doctorum virorum litteras, excellentiſſimorum hominum quoque orationes referre potuit admirabilis quondam Baco de Verulamio. Uti namque epiſtolæ, ita orationes peculiarem ſuam hiſtoriæ, & profanæ & litterariæ, utilitatem promittere videntur. Teſtantur id præter alias elegantiſſimæ hæ Averanii Orationes poſthumæ octodecim, Piſis, ut præ ſe fert titulus, habitæ inde ab anno 1689 ad annum usque 1706 quæ ita ſunt conſcriptæ, ut ſaniores omnes fateri neceſſe habeant, nec hodie ſuo quoque Tullio Italiam caruiſſe. Genus etenim, quo Vir eloquentiſſimus utitur, oratore omnino digniſſimum eſt, quippe nihil affectatum habet aut inconcinnum & vulgare. Neque circa ſolos etiam oratorum flores occupata oratio deprehenditur, ſed adſurgit ſic, ut numeroſiſſimam optimarum rerum ſeriem cum ſplendido elocutionis genere certare omnino videamus. Inveniet ergo in tot nitidiſſimis orationibus & hiſtoriæ, litterariæ imprimis, amator, & eorum quoque, quæ ad dicendi rationem ſpectant, obſervator haud incurioſus, quæ animum delectabunt mirifice. Ita in Oratione prima de litteratis, quibus omnem terram vult eſſe patriam, diſſerens, exemplis oſtendit *Theognidis*, *Heſiodi*, *Democriti*, *Zenonis*, *Socratis*, *Pythagoræ*, quantæ obnoxii fuerint invidiæ in ſolo patrio; quam magnifice contra excepti apud Athenienſes *Archelaus* Mileſius, *Xenocrates* Carthaginenſis, *Ariſtoteles* Stagirites, *Theophraſtus* Epheſius, urbesque in excipiendis doctis olim florentes, Athenas, Lacedæmona, Thebas, Syracuſas prædicat. Sic ſumma ſententiarum gravitate optimarum artium ſtudiis deditam juventutem a pravis animi vitiis voluptatibusque ad meliores diſciplinas Oratione quinta avocat, & multa exemplorum copia ad morum ſanctitatem cum doctrinæ laude conjungendam auditores incitat, præter Chriſtianæ Reip. lumina, *Chryſoſtomos*, *Baſilios*, *Ambroſios*, *Auguſtinos*, *Hieronymos*, e gentilibus quoque antiquiſſimorum eruditorum principes, *Pythagoras*,

gones, *Democritos*, *Hippocrates*, *Platones*, *Xenophontes*, *Zenones*, *Catones*, *Tullios*, *Papinianos* ante oculos ponendo, quos non minus integritate vitæ, quam ſapientiæ laude excelluiſſe, in Oratione nona oſtendit. Taceamus, quæ in reliquis de glorioſo ſapientum cultu & contemptu ignominioſo, de ſapientia victrice voluptatis, de ſuperbia peſte literarum, de ſapientia ſine magno ſapientiæ amore non comparanda, de eo quod nemo ſine ingenti labore ad ſummam doctrinam poſſit pervenire, de perſeverantia in ſtudiis literarum neceſſaria, de pernicie literarum ignavia, de eo quod in dirigendo ſtudiorum curſu conſectanda ſint ſapientum exempla, non imperitæ multitudini obtemperandum, de publicis Gymnaſiis, quæ maximos alant in literis profectus, de ſcientia artium maximarum cum elegantia doctrinæ conjungenda, de eo quod ſtudioſos adoleſcentes doctrina, quam a Præceptoribus acceperunt, haud oporteat eſſe contentos, quodque nobiliores diſciplinæ etiam in medio bellorum ardore floreant, & quo minus eadem in pretio habeantur, eo ſint intentius excolendæ, acute Noſter diſſeruit. Succedunt ſub finem Carmina tum in Viros Sanctos, tum alios, qui partim adhuc ſuperant, compoſita, in quibus & Græca quædam comparent: ſed de his judicium eſto penes Lectores.

CONSIDERAZIONI THEOLOGICO-POLITICHE &c.

h. e.

COMMENTATIONES THEOLOGICO-POLITICA ad vindicanda Edicta Regia Majeſtatis Catholica de reditibus Eccleſiaſticis Regni Neapolitani ſuſcepta.

Partes II. A. 1708 & 1709, 4.

Alph. 1 pl. 13.

SCripti hujus Apologetici origo repetenda eſt ex eo, quod ſuperioribus Seculis ita fuit inſtitutum & more receptum, ut reditus, qui in Regno Neapolitano ex Eccleſiis colligeban-

 tur,

Digitized by Google

inde primo loco forma Imperii Romani tum temporis recepta exponitur, initio facto a verbis Rutilii: *Quod regnas, minus eſt, quam quod regnare teneris. Excedis factis grandia fata tuis.* Hinc diſſeritur de adminiſtratione Reipublicæ, tum de re Romanorum militari, a qua Roma vocatur a Claudiano *Armorum legumque Parens, quæ fundit in omnes Imperium.* Sequitur commentatio de vita eorum privata, ac libidine in privatis etiam negotiis dominandi. Hinc de Religione eorum diſpicitur, cujus ſermonis ſummam exhibent Propertii verba ſub initium commemorata: *Quantum ferro, tantum Pietate potentes ſtamus.* Denique de affectato in ritibus inſtitutis religionis dominatu diſputatur. Succedit p. 85 argumentum illius exercitii a Clericis Seminarii profecti, quod Spiritui ſive indoli Romæ Sacræ delineandæ deſtinatum eſt. Singula momenta idoneis veterum tam profanorum, eorumque cum Græcorum tum Latinorum, quam Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimoniis probantur & illuſtrantur.

A VOYAGE ROUND THE WORLD.
h. e.
ITER CIRCA TELLUREM FACTUM; Autore WILHELMO FUNNELL.

Londini, apud Jacobum Knapton, 1707, in 8 maj.
Plag 22. Tabb. 16.

EQuidem in hoc Itinerario potiſſimum continetur deſcriptio expeditionis *Dampierii,* annis 1703 & 1704 in mari mediterraneo factæ; plurima tamen una occurrunt, quæ ad Geographiam & hiſtoriam naturalem locupletandam apprime faciunt. Neque enim ſolum multæ inſulæ in mari Atlantico, littora Braſiliæ, Chili, Peruviæ & Sinus Mexicani aliaque loca accurate deſcribuntur; verum etiam animantia tam quadrupedia, quam volatilia & natatilia, una cum plantis & arboribus aliisque rebus naturalibus ad vivum delineantur, atque locorum latitudines & longitudines ex obſervationibus indi-

Digitized by Google

cantur, acusque magneticæ variationes determinantur. Quod vulgo de pelecanis refertur, ac ſi in gratiam pullorum ſuorum ſanguinem e pectore elicerent, pro fabula habet Autor: nunquam enim tale quid obſervavit, utut ultra mille viderit pullos ſuos foventes. Non procul ab urbe *Guatimala* duos offendi notat montes, quorum alter ignem, alter aquas evomit: quod poſterius haud vulgare. Plurium præterea montium ignivomorum mentionem injicit: unde intelligitur, eos in America eſſe non infrequentes.

A THOROUGH EXAMINATION OF THE FALSE Principles &c.

h. e.

ACCURATUM EXAMEN FALSORUM PRINCIPIorum & argumentorum Sophiſticorum, quibus Eccleſia Chriſtiana, Miniſterium ſacrum & Religio in libro peſtilentisſimo, qui ironice inſcriptus eſt: Jura Chriſtiana Eccleſiæ vindicata &c. *oppugnantur, per modum Dialogi inter Demam & Hierarcham inſtitutum a SAMUELE HILL, Rectore Killmingtonienſi Archi-Diacono Wellenſi.*

Londini, apud W. Taylor, 1708, 8.

Pl. 10.

Subjicitur examini ille liber a Cl. Autore, qui jam alios eosque complures adverſarios non præter rationem expertus eſt, inter quos Potterus, Hickeſius, Wottonus, Turnerus Hoadley, Carol, Hughes & Anonymi nonnulli numerantur. Noſter quidem cum ipſius argumenti cauſa, tum eo quoque nomine ad confutandum idem ſcriptum adduci ſe paſſus eſt, quod quædam *Municipii Eccleſiaſtici,* quod in lucem ediderat, momenta tacta & ſollicitata eſſe intelligeret. Ex Præfatione diſces, ad librum illum, cujus confutatio ſuſcipitur, ſcribendum diverſos conſilia contuliſſe, quorum interpretem egerit *Tindallus*. Hujus itaque argumenta ita examinat Cl. Autor, ut dialogo inter Demum & Hierarcham inſtituto, ille quidem adverſarii

Digitized by Google

verſarii perſonam ſuſtineat, hic autem dubiis ejus faciat ſatis.
Præfatione breviter hac ratione excuſſa, Introductionem ita
conſiderat, ut oſtendat, vanam eſſe, quam præſtruit Adverſari-
us, hypotheſin, omnes homines Lege Naturali æquales eſſe, p. 26.
ac ſpeciatim provocat ad illam, quæ in Societate Domeſtica
inter Parentes & liberos inæqualitas intercedit, lege naturæ præ-
ſcripta. Hinc convellit hypotheſin alteram, quod dominium
pacto & conſenſu ſingularum perſonarum fundetur. Con- 37.
trarium oſtenditur ex eo, quod tributorum ſolutio aut homa-
gium non dependeat a libero hominis conſenſu aut domini e-
lectione, ſed conſenſu etiam non præeunte exigatur. Do-
minium fuiſſe ſingulis antea proprium ac deinde libere ad ſu- 54.
periores translatum, vel ob abſurda, quæ inde videantur con-
ſequi, negatur. Pœnas vitiis & criminibus non ideo, quod illa 56.
in Civilem Societatem ſint injuria, ſed quod divinæ voluntati
repugnent, decerni. Magiſtratus jura in rebus ad religionem 64.
pertinentibus certis limitibus circumſcripta eſſe, nec idoneis &
ſufficientibus ad pietatem amplificandam viribus inſtructum
videri, quas Hierarchica poteſtas ſupplere debeat. Deus ſe- 71.
cundum Autorem noſtrum non imponit omnibus & ſingulis
neceſſitatem omnes in religione ſententias examinandi, cum id
fieri non poſſit, & Apoſtoli non ſingulis hominibus ſed Eccle-
ſiis illam Spirituum probationem commendarint, cui inſti- 72.
tuto divinæ & publicæ leges inſervierint. Contraria ſenten-
tia ita comparata eſt, ut omnem religionis ſenſum & curam
ex animis hominum amoveat, multisque abſurdis viam muni- 73.
at. Magiſtratum unius religionis præ ceteris curam commen- 77.
datam ſibi habere debere, probatur exemplo omnium gentium
& Legis Moſaicæ autoritate: neque Legi Naturæ adverſari Ma- 82.
giſtratum, qui vi ſpecialis mandati divini aut poteſtatis Civilis
veritatem in rebus ad religionem ſpectantibus ita promoveat,
ut recipere eam nolentibus aut temere oppugnantibus pœnas
infligat. Magiſtratum tamen Civilem non poſſe omnes religio- 89.
nis fines aſſequi affirmatur, nec eundem poteſtatem habere
doctrinas aut Doctores in Eccleſia conſtituendi aut removen- 91.
di, quanquam eam religionem tueri poſſit, quæ a ſibi ſubje-

p. 96. ctis ideo negligitur, quod rebus ſuis & facultatibus melius
conſulere videatur. His prælibatis Cl. Autor ad ſingula ca-
108. pita progreditur, & circa primum quidem oſtendit, non poſ-
ſe dari in eadem Societate duplicem Poteſtatem independen-
111. tem. Societatem Eccleſiaſticam Civili ſubjectam quidem, ſed
112. ab ea non derivatam profitetur, unde nec Eccleſia, quæ So-
cietatem a Deo inſtitutam referat, a Civili Magiſtratu violari
poſſit. Hinc etiam poteſtas ſpiritualis, in quantum talis eſt,
115. civilem ſuperat, quanquam huic, quod ad externum ſtatum,
120. ſit ſubjecta. Atque id quidem probat ex eo, quod ex omni-
um conſenſu Deus fundarit Eccleſiam tanquam Spiritualem
quandam Societatem ab Epiſcopis moderandam: ex quo factum
ſit, ut Eccleſia a Civili Societate ſemper fuerit diſtincta, atque
133. utraque ſuis Juribus inſtructa. Ad cap. II inter Jura Eccleſiæ
numeratur Excommunicatio, Abſolutio privata &c. quarum
illa in Magiſtratum Civilem minime omnium injuria, ſed non
minus amoris quam utilitatis plenum diſciplinæ genus eſſe de-
monſtratur. Ex his cum facile intelligatur, quomodo Cl.
Autor in confutando Adverſario occupetur, in reliquis capiti-
145. bus perſequendis breviores lineas ducemus. In examine cap. III
Excommunicationis jura adſtruuntur, eaque non ſolum in eos
qui Eccleſiam deſeruerunt, ſed in impios & flagitioſos cadere
demonſtratur, confutatis Adverſarii argumentis. Occaſione
159. cap. IV confirmat Cl. Autor Epiſcopatum ſemel inſtitutum
non niſi a Deo, quem autorem habeat, immutari poſſe, nec
160. periculo carere jura illis conceſſa, qui Epiſcopalem autorita-
tem non agnoſcunt. Eccleſia particularis, Epiſcopo deſtitu-
167. ta, integritate ſua gaudere negatur, quanquam membra ejus,
ſi Epiſcopatum non temere inficientur, Catholicæ Eccleſiæ
171. membra ſint. Sacramenta, ab impiis Sacerdotibus accepta,
vim ſuam non amittere, mutuasque Laicorum cohortationes
non autoritativas ſed charitativas eſſe, nec concionandi aut
baptizandi officium Laicis commune ſtatui debere, evincit Cl.
195. Autor in ſequentibus. Contra cap. V Adverſarii confirma-
tur, illam de divinis Hierarchiæ juribus ſententiam nec obeſſe
propagandæ Evangelicæ doctrinæ, nec obfuiſſe unquam. De-
inde

Digitized by Google

inde animadvertitur in eundem, quod negavit, veritatem do- p. 201.
ctrinæ Evangelicæ martyriis Apoſtolorum & priorum Chriſtianorum probari poſſe. Caput VI confutaturus Autor oſtendit, principia, quæ hactenus adſtruxit, non inferre labem Chri- 206.
ſtianiſmo, ſed potius Laicos multo magis obnoxios eſſe ejusmodi conſiliis & conatibus, qui in præjudicium & puritatem religionis vergant. Cap. VII examen adſtruit, quod ex 213.
eo, quia poteſtas, Clericis ſemel collata, non niſi a Deo aboleri poſſit, minime ſequatur, omnem doctrinæ Reformationem abominandam eſſe. Illa enim Clericorum poteſtas non abſoluta eſt, ſed certis inſtitutorum & legum terminis publice definita. In Cap. IX confutando id ſibi imponit negotii Au- 215.
tor, ut oſtendat, quomodo & qua rerum conditione carere Eccleſia aliqua Epiſcopis aut illos a ſe amoliri poſſit; atque hac occaſione multa de Eccleſiis extra Anglicanam conſtitutis, earumque ſtatu commentatur. Ad caput X, idque ultimum, quo 279.
Adverſarius Eccleſiam Catholicam diverſis & independentibus a ſe invicem cœtibus conſtare, ac contrariam ſententiam Epiſcopum Univerſalem ſive Papam inferre dixerat, monet Autor, ſingulos Epiſcopos autoritate cum univerſali Epiſcopalibus officiis defungendi, tum particulari in ſua diœceſi gaudere, neque in hoc ſuperiorem ſe agnoſcere; Epiſcopos autem nonniſi per mutuum conſenſum Synodis eſſe ſubjectos, qui etiam ſine Papæ autoritate ſucceſſores defunctis deſtinare poſſint.

Gründliche Einleitung zur Krieges-Bau-Kunſt.

h. e.

MANUDUCTIO AD ARCHITECTURAM Militarem; Autore J. C. Haßelbrinck/ *Architecto militari.*

Guelpherbyti, apud Godofredum Freytagium, 1710, in 12 Plag. 15 & Tabb. æn. 5.

MOre communi ex Geometria & Trigonometria præmittuntur, quæ in praxi militari uſum habere poſſunt, eaque

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. IX.

PALÆOGRAPHIA GRÆCA, SIVE DE ORtu & progreſſu literarum Græcarum, & de variis omnium Seculorum ſcriptionis Græcæ generibus: itemque de abbreviationibus & notis variarum artium ac diſciplinarum, additis figuris & ſchematibus ad fidem manuſcriptorum codicum. Studio D. BERNARDI DE MONTFAUCON, Sacerdotis & Monachi e congregat. S. Mauri.

Pariſiis, apud Ludovicum Guerin & Socios, 1708, f.
Alph. 6 pl. 19 & tabb. æn. plur.

PRæclarum iſtud opus, exemplo Cl. Mabillonii incitatus doctiſſimus Autor, eo potiſſimum conſilio diuturna obſervatione elaboravit, ut ad rite dignoſcendam MSC. codicum ætatem, facilemq; illorum lectionem manuducturus, & veterem Græcorum ſcripturam, variasque mutationes, quibus cujusvis ſeculi conſuetudo eam flexit, explicaret. Conſpectum ejus & primas quaſi lineas exhibuimus in Actis A. 1707 p. 424, cum prela nondum evaſiſſet: nunc qualem ſe in ſingulis præſtiterit, declarabimus. Acceſſit præterea, quæ tum indicavimus, præmiſſa operi Palæographiæ *Recenſio*, ut vocatur, quæ nonnulla ſuo loco tractata illuſtrat confirmatve; nec non index Bibliothecarum, tam veterum quam recentiorum, in quibus Græci codices MSC. habentur, ubi ſat uberi quidem ſpicilegio locum relinquit Cl. Autor, præcipue cum Germanicas at-

Digitized by Google

C. I. tingit. Libri I capite 1 de atramentis agens, optimum olim ex tædarum fuligine coctum fuiſſe docet, librarios autem fornacum & balineorum fumo uſos, cui forte imputari debet, quod in permultis codicibus, a Seculo IV usque ad XII ſcriptis, nigredinem in fulvum rutilumve colorem degeneraſſe deprehenderit. Ad titulos librorum, capitum, articulorumque, literas item inſigniores, & notas marginales exarandas minium uſurpabant, aut cinnabarim, ſubinde colore cæruleo Recens. §. 1. alternatim adhibito, vel flavo, qui adeo tamen elanguit, ut Lectoris aciem fere eludat. In ſubſcriptionibus contra epiſtolarum & actorum publicorum ſoli Imperatores adhibebant cinnabarim, ſacrum ideo encauſtum appellatam. Et ſi minorennes illi, Tutoribus Principum viridi tantum liquore uti fas erat. Frequens quoque, & apud Græcos quidem magis quam apud Romanos, erat Chryſographia, cujus artis, quæ intercidiſſe credita eſt, præcepta ex codice Regio communicat, felici ſucceſſu confirmata, cum quidam ex amicis Autoris rerum iſtarum peritiſſimus periculum feciſſet. Præterea ſolebant librarii res ab Autoribus deſcriptas vivis coloribus exprimere, ingenti poſteritatis commodo, quandoquidem in nonnullis antiquorum locis fruſtra ſudarent doctiſſimi Viri, niſi res oculis ſubjecta innumeras conjecturas præſcinderet. Iidem proſopopœiis tantopere gaudebant, ut rebus inanimatis & inſenſibilibus, affectionibus animi, animalibus, fluminibus, ſylvis montibusque hominum formam, vocem, geſtusque C. II. in picturis ſuis tribuerent. Quæ ubi pluribus probavit, c. 2 omnia genera materiæ, in qua olim ſcribi fuit ſolitum, præter marmora, quorum non æque diſtincta mentio fit, proſequitur. Inde obſervamus, tenuiſſimas & fere nullas librorum in papyro ſcriptorum hodie ſupereſſe reliquias. Diverſam omnino ab ea eſſe chartam corticeam, rumpi facilem & in pelliculas ſolvi, quarum ſuprema avulſa, reliquæ literis vacuæ remanerit. Conſervatam illam in diplomatibus Latinis non paucis, in Græcis ſemel tantum Noſtro viſam Chartam bombycinam ſeu cottuneam, ex goſſipio inſtar hodiernæ confectam, jam ſeculo X, XI & XII, quanquam rarius adhibitam, ſubſequentibus autem pari cum membrana in uſu fuiſſe.

Digitized by Google

fuiſſe. Nec hic prætermittendum, quod capite V p. 37 refert, Calligraphos e vetuſtiſſimis membranis antiquas literas, ut novæ ſcripturæ locum facerent, utcunque eraſiſſe, unde in nonnullis priſtina adhuc legi poſſint. Id fatum IX adhuc ſeculi codices habuiſſe, teſtatur p. 231; quod cum ſeculis XII, XIII ac XIV omnium vehementiſſime veteres membranas afflixerit, multa præſtantiſſima opera rudium hominum ignorantia periiſſe dolet p. 319. Inter inſtrumenta ſcribendi c. III occurrit ſtylus, primum ferreus, poſtea oſſeus, calami ſive junci, quorum optimi Nilotici, & pennæ avium. Et de harum quidem uſu in ſcribendo priſcis temporibus æque conſtitiſſe probat e verſu Juvenalis Sat. VI, (rectius IV v. 149) C. III.

Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna,

quem in ſententiæ ſuæ præſidium explicat. Quo tamen ad pennas alludi, quibus tabellariorum pilei inſigniti erant, ut & Mercurii illorum Patroni alas & celeritatem exprimerent, hactenus præcipui, ni fallimur, interpretes credidere. Præter hæc atramentarium, ſcalpellus, circinus, forfices, vaſculum vitreum aſſervando cinnabari, canon pro ſcriptura recte exaranda, & ſpongia recenſentur, ac ſchematibus D. Lucæ, & Dionyſii Halicarnaſſei illuſtrantur. Libros ipſos ad hodiernum fere modum compingebant Græci, dum diſtributa in terniones aut quaterniones folia conſuebant, latera libri tabulis ligneis firmabant, iisque ut & tergo pellem vitulinam, aliamve denſiorem, aut operimentum ex ſerico obducebant. Quaterniones, qui fiebant ex quatuor foliis, ita duplicatis, ut 8 folia & 16 paginas efficerent, numeris notabantur. Paginæ ſingulæ ad normam & circinum ſcribebantur, ut linearum, cum æquali intercapedine dirimerentur, par ubique eſſet numerus, ſive per totam paginæ latitudinem excurrerent, ſive illa in duas columnas diſpeſceretur, ſive etiam in tres, quod in antiquiſſimis, licet raro, occurrit. Novam periodum, in eadem linea quidem, qua priorem abſolverant, poſita majori interpunctione inchoabant, ſed primam contra in ſequenti literam extra columnam in margine majori calami ductu ſcribebant. Eratque perinde, utrum illa novam vocem ordiretur, an vero ſyllabam ex præceden- IV.

ti avulſam. Ut lectu autem atque intellectu faciliora eſſent ſcripta, per ςίχȣς distinguebantur. Illi omni orationis parte, etſi minima, abſolvebantur, quæ aliquem ſenſum, licet imperfectum & inchoatum modo, continere videbatur. Solebant ad marginem notari, et in libris Biblicis, frequentius quam alibi, omnium ſumma in fine adſcribi; quod & interdum in initio factum. Alii quolibet ſticho novam inchoavere lineam, quam ſæpe non implebat, ſubinde tamen excedens duas pluresve complectebatur. Alii in media linea, uno abſoluto novum inchoavere. Ariſtophanes quidem Byzantius Ol. 114 ſigna diſtinctionum commentus eſt, ut punctum apici literæ ultimæ appoſitum ſenſum perfectum denotaret, in imo collocatum ſuspenderet eum & nondum perfectum eſſe indicaret, medio autem appictum minimæ diſtinctionis loco eſſet. Sed ab iſtis Grammaticorum regulis cum marmora, tum libri antiqui abeunt. In illorum enim plurimis puncta aut plane omittuntur, aut poſt ſingula verba melioris diſtinctionis cauſa ponuntur. In his magis ex ſenſu quam ſitu ſuo dijudicanda ita variant, ut modo ſummum punctum minimam, modo imum maximam diſtinctionem notet. Unicum tantum Noſter vidit codicem, in quo poſt ſingulas voces puncta fuere adſcripta, quemadmodum unicum tantum marmor, cui poſt ſingulas voces tria puncta fuerunt inciſa. Utrobique autem, tam in marmoribus quam in libris, modo rotunda ſunt, modo quadra, modo in rhombi, aut, quamvis raro, in trianguli formam efficta. Commatum ſigna noſtris plane ſimilia in codicibus plus mille annorum, eademque ſigna interrogationis in IX, X & XI Seculi libris occurrunt. Qui unciali charactere exarati ſunt, ſine ulla intercapedine, niſi quod in uno alteroque ſingulis verbis addita ſint puncta, conjunctas ſibi voces habent. Quod & in multis admodum IX & poſteriorum Seculorum retentum fuit. In quibus inſuper, neglecto apoſtrophorum diſcrimine, voces arcte ſibimet copulantur, aut, altera ſyllaba ad præcedentem, altera ad ſubſequentem tracta, diſcerpuntur. Accentuum ſigna, ejusdem Ariſtophanis inventum, ante ſeculum VII in ſolis Grammati-

corum

eorum ſcriptis appoſita fuiſſe conjicit, cum in nullis iſtorum temporum aliis ea obſervaverit. Diæreſeos tamen puncta jam tum interdum expreſſa videas, ab aliis infimi ævi rurſus omiſſa. Qui codices deſcribebant, titulum in notis ſuis repetere C. V.
plerumque ſolebant, & indictionem, annum, menſem, diem, ſubinde etiam horam, quibus abſolverant, adſcribere, cycli quoque mentione, ſed rarius, facta. Interdum &, ſi quid publice privatimve memorabile contigerat, illius enarratione notam ſuam obſignabant. Et domini librorum dies ſuorum natales aut emortuales in fine illorum nonnunquam annotabant. Æra in ſubſcriptionibus communis & plurimis obſervata eſt a creatione mundi, cui, ut annus Chriſti emergat, 5508 ſubducendi ſunt: tot enim annos ante illum numerabant. Oculis ſuis ſingulari remedio cavebant, quod a D. Luca omnibus morbis, præcipue oculorum curandis inventum credebant, & ἀλάϊτιον, ob inſignem vero præſtantiam ſuam δωδεκάθεον appellabant. Sequuntur capite VI notæ Calligraphorum, a tertio ad VI.
decimum tertium Seculum, ex præſtantiſſimis codicibus collectæ. Atque hæc duo capita ſupplentur in brevi appendice operi ſtatim poſt finem libri VII ſubjuncto. Seriem vero notarum VII.
usque ad Seculum XVI Autor continuat c. VI, præcipua e tanta multitudine ſeligens. Cui cap. VIII nomina Calligraphorum al- VIII.
phabetico ordine digeſta ſubjiciuntur. Librum claudit c. IX de IX.
regionibus & locis, ubi Græca ſcriptio fuit frequentata. Ut vero ampliſſimi uſus ſunt iſtæ calligraphorum notæ, cum quod veterum locorum, Eccleſiarum, monaſteriorum, bibliothecarum virorumque doctorum notitiam multum juvant, tum præcipue quod ad diſcernendam codicum ætatem multum lucis affundant; itaque ſolertia, qua eas Vir doctiſſimus congeſſit, non adeo eſt ſterilis, quin inde ſeligere quædam memoratu digna queamus. Quod Michael Apoſtoles ſeu Apoſtolius, Græcorum adagiorum collectione clarus, parens fuerit Arſenii Monembaſiæ Archi-Epiſcopi, atque urgente inopia poſt Conſtantinopolin captam in Creta & deinde Romæ inopem vitam mercenario calamo toleraverit, p. 82 & p. 111 memoriæ proditur. Græcos ex Peloponneſo oriundos infimis ſeculis Μουρμύρεις

(Mur-

Digitized by Google

(Murmures) ſemet appellaſſe, p. 111 obſervatur. Et codices in Regno Neapolitano ſcripti contra communem opinionem laudantur p. 112.

L. II C. I. Libro II capite 1 adſtruit, Cadmum, quem ad Joſuæ tempora communiter referunt, cum Phœnicibus ſuis ut diſciplinarum artiumque initia, ita & XVI literas in Bœotiam intuliſſe. Conjicit tamen, vocem Cadmus derivatam a קדם, non proprium viri nomen eſſe, ſed orientalem nationem denotare, qualis Phœnices Græcis erant, atque hujus ſententiæ veriſimilitudinem inde adjuvari, quod libro Joſuæ inter Gentes Phœniciæ numerentur קדמני, ejusdem nominis quo Homerus Iliad. IV Thebanos Καδμείωνες appellavit. Literas poſtea ab Ionibus ſono & figura paululum eſſe immutatas, fruſtra contrarium opinante Scaligero. More tamen Phœnicum a dextra ad lævam aliquando ſcriptum fuiſſe, quamvis nec hujus ſcriptionis ullæ ſuperſint reliquiæ, nec iſtius quæ a fine prioris verſus ſequentem inchoans βουστροφηδὸς dicebatur, a ſimilitudine boum arantium, qui poſtquam ſulcum fecere, retroverſi alium ducunt. Priſcas literarum Phœniciarum formas ex libris & numismatibus Samaritanorum exprimendas eſſe, cum easdem initio habuerint omnes Chananæi, inter quos, Phœnices & Hebræi. Ut adeo veriſimile eſſe, Scripturam S. ante Babylonicam captivitatem charactere Samaritano ſcriptam fuiſſe, haud obſcure innuat, ceu pleroſque in prima Eccleſia credidiſſe, e loco Hieronymi & alio Origenis oſtendit, quorum hic nondum editus, in collectione Hexaplorum, propediem edendorum, ut paſſim in hoc opere ſpem facit, publicabitur. In literarum Samaritanarum inveſtigatione multum ſe juviſſe prædicat ſchedas Toinardi, cujus de re nummaria Samaritanorum opuſculum brevi prodíturum ſpondet. Quodque ad coronidem ejus hactenus deſiderabatur, caput R. Azariæ de literis Samaritanis, (quibus amicus non eſt) Latine verſum capite II inſerit, & in præmiſſa illi tabula aliquot ſupra Scaligeranum alphabeta Phœnicia & Samaritana exhibet, ubi quarundam literarum decem undecimve diverſæ figuræ conquiſitæ apparent. Oppoſitæ e regione ſunt antiquiſſimæ litera-

Conf. *Recenſio* §. 3.

II.

Digitized by Google

literarum Græcarum formæ, ſimilitudine ſua originem eo facilius proditura, quam, per ſingulas eundo, capite III indagatur, C. III.
eruditis obſervationibus adeo cumulato, ut ipſa illarum multitudo & par ſelectus delibare quasdam non permiſerit. Illa certe ingenii ac induſtriæ vis ubique emicat, ut plane vileſcat huic collatus Scaligeri labor, qui in animadverſionibus ad Chronicon Euſebii Græcas cum Phœniciis contulit. Nec tamen negat Noſter, multum ſibi temporum noſtrorum felicitatem profuiſſe, quæ ignorata olim utriusque linguæ monumenta identidem e tenebris protrahit. Jam ad ætates literarum progrediens c. IV, de duabus inſcriptionibus agit, quibus nihil IV.
vetuſtius in marmoribus repertum credit, a Gallandio Athenis in æde τȣ͂ σαυρωμενȣ͂ A. 1674 erutis, poſtea apud Tevenotium aſſervatis, jamque a Carolo Cæſare Baudelotio, qui ab illius obitu eas poſſedit, accurate publicandis. Prior, cujus particula ſpeciminis cauſa adjicitur, bello Peloponneſiaco ſtatim poſt Cimonis obitum poſita, circiter 206 nomina illorum, qui ex tribu Erechteide in bellis Athenienſium Cyprio, Ægyptio, Phœnicio, Halienſi, & Arginenſi perierant, recenſet. Poſterior, aliquot poſt priorem annis poſita, nomina in pugna aliqua navali interemptorum complectitur. Dum porro duas columnas ſiſtit, quæ quondam Triopiam Herodis Attici, temporibus Traiani & ſubſequentium Imperatorum clari, ornaverunt, nunc Farneſianas antiquitatis reliquias decorant, Jonico charactere ad majorem, quemadmodum divinat, raritatis gratiam inciſas; refellit Scaligerum, qui Jonicas literas ad ea usque tempora communi uſu duraſſe contendit; quas tantum in monumentis ante Alexandrum M. poſitis deprehendi Noſter tuetur. Poſtquam in columnis circa ſingulas literas notatu digna ſelegit, tempore, quod inter bellum Peloponneſiacum ac Romani imperii initia interceſſit, in plurimarum literarum formis parum vel nihil mutatum eſſe concludit, ordine ſimul recenſens, quicquid diſcriminis marmora ac numiſmata in nonnullis habent. Subjicit & in tabula triplex alphabetum. Primum ex vetuſtiſſima Cyzinorum inſcriptione, poſita, cum civitates Græcæ ſui adhuc juris eſſent, & nunc Venetiis

tiis puteo ad impluvium ædium Grimanarum imminente; ſecundum collegit ex numis Antiochorum, Arſacidarum, aliorumque Orientis Regum, & civitatum Græcarum, literas globulis diſtinctas repræſentantium quod genus numarii Galli *medailles perlées* nominant; tertium ex numismatibus Ptolemæorum eſt, in quibus plerumque oblongæ admodum & coarctatæ cernuntur. Illa excipiunt conquiſitæ ex numis XXXIV ſiglæ, urbium populorumque nomina monogrammate complectentes, ingenioſe tamen extricata, & illis ad quos pertinuere vindicata. Cæſarum temporibus leviſſima i-
C.V. nitio mutatio in Græcis literis apud Romanos ſerpere, & inde demum in Græciam paulatim propagari cœpit. Declarat hoc inſcriptione Athenienſi ad annum Tiberii II pertinente, quæ in pauciſſimis a priſtina conſuetudine deflectat. Sponius, qui eam in itinerario ſuo fœde depravavit, hac occaſione ab Autore accuſatur, & ſpeciminibus convincitur, quod paucas inſcriptiones lapſibus ſuis non contaminaverit, ſolertiæ tamen laude in collectione CLXXIV tribuum Atticarum ipſi
VI & VII. relicta. Quomodo poſterioribus Seculis in Græciam quoque irrepſerit iſta diverſitas, præcipue uſu literas paucioribus ductibus abſolvere docente, c. VI & VII erudite tradit. Ac ultimo loco numos medii & infimi ævi profert, in quibus Latinæ literæ cum Græcis ſunt commixtæ. Invenias ibi inter inſcriptiones, quarum magnam partem Ancyranæ faciunt, aliquot ineditas, Gruterum vero & Sponium ubique emendatos & ſuppletos. Attingit inibi, & in recenſione p. 8 fuſe diſcutit decantatiſſimam inſcriptionem Græcam urnæ in vinea Jo. Guenebaldi Medici Divionenſis A. 1598 d. 2. Nov. inventæ, quæ deinde ad Cardinalem Richelium, poſt eum vero ad Gaſtonem Aurelianenſem Ducem pervenit. Ita ſe habet Latine translata: In luco Mithræ hic tumulus corpus tegit Chyndonactis Sacerdotum Principis. Impie, abſtine, Lyſii cineres tuentur. Ipſi quidem Salmaſio illa impoſuit, ex cujus vita, quam a Philiberto de la Mare Conſule Divinionenſi fuſe ſcriptam Bernardus Moneta, Divinionenſis, Pariſiis degens ineditam poſſidet, nonnulla huc ſpectantia profert Noſter

Noſter tamen totam quantam Guenebaldi fraudem eſſe evincit, deprehenſam quoque a Philippo a Turre, qui in opere de Deo Mithra confutavit Andreæ Taurelli Divionenſis diſſertationem Latinam pro illa adſtruenda A. 1639 editam, & recoquentem quæ jam ipſe Guenebaldus A. 1621 attulerat, in Diatriba, cui titulus: *Le Reveil de Chyndonax, Prince des Vacies, Druides, Celtiques, Dijonois &c.* Claudit Librum caput VIII alphabeto literarum ex Græcis depravatarum, quibus Gnoſticorum colluvies, præcipue Baſilidiani, in amuletis ſuis, vulgo *taliſmans*, portentoſos myſteriorum typos ſolebant inſignire, ſubinde etiam Ebraico, Coptico, Hetruſco aut pro arbitrio excogitato charactere uſi. Qualium gemmarum, quæ a præcipuo illorum angelo Abraxa Abraxeæ dicuntur, cum tanta copia ſuperſit, numos tamen vix tres quatuorve ſe inveniſſe fatetur in Recenſione n. X. Sequitur delineatio libelli plumbei, quem Romæ emptum Cardinali de Bouillon obtulit, 6 tabulas complexum, ab utraque ſuperficie, figuris ſuis XII diei horas ſecundum Autoris conjecturam, notantibus, & partim inſuper literis ſculptam. Addimus, quod ſimilem fere, VII laminis conſtantem, ac in ſarcophago aliquo inventum Cl. Bonanni in Muſeo Kircheriano Tab. LX exprimat, & pagina 180 utcunque illuſtret, nobis quoque, cum librum A. 1710 M. Auguſto recenſeremus, paucis indicatum p. 318. C. VIII.

L. III a charactere inſcriptionum & numiſmatum progreditur ad calamo vel penna exaratum. Libri vetuſtiſſimi ſunt, qui literis uncialibus h. e. ut in Recenſione n. XI explicat, inſcriptionum formas, pauciſſimis exceptis, retinentibus, nec inter ſe colligatis, ſine accentibus & ſpiritibus ſcripti. Quod characteris genus modo quadrum propter Η. Μ. Ν. Π. modo rotundum propter ΘΟϹ. &c. appellatur. Triginta circiter hujusmodi codices Noſter aut vidit, aut peritorum hominum fide exſtare comperit, ſed omnes fere laceros ac vetuſtate tantum non deletos. Probari tamen luculenter non poteſt, ſupereſſe quosdam a ſeculi V initio. Nec ultra ſeculum IX modus ille ſcribendi ſe extendit, quia jam ſeculo VIII circiter accentus & ſpiritus addi literæque colligari paulatim cœpere. In libris autem chori & Ec- L. III C. I.

cleſiæ uſui dicatis, ſeculo adhuc XI obtinuit. Adducit tum ſpecimen e vetuſtiſſimo omnium codice, eoque Colbertino 3084, in quo 22 ſaltem folia ſuperſunt. Septem Exodi, tredecim Levitici, duo Numerorum exiguam particulam obelis ac aſteriſmis notatam ſervant, ſecundum verſionem LXX Interpretum, prout in Hexaplis olim a noſtra multum diverſa exſtitit. Addit duo ex codicis Cæſarei fragmentis Geneſeos ac Lucæ. De codice ipſo prolixe agentem Lambecium intro-
C. II. ducit. Ex ejusdem Comm. L. II c. 6 repetit ſpecimen, & ſatis amplam notitiam codicis, Dioſcoridis opera complexi, ſeculo VI ineunte ſcripti, impenſis Julianæ Aniciæ, filiæ Imperatoris Flavii Anicii Olybrii, (ex cujus familia nonnulli gentis Auſtriacæ originem derivant) ac a Busbequio 100 aureis empti. Utrobique digreſſiones, delitias Lambecii, reſcidit. In plures
III. paſſim Dioſcoridis veterumque Medicorum codices incidit, ac in nullo literaturæ genere plures ſervatos eſſe ait. E quibus niſi antiquiorem Cæſareo, æqualem certe agnoſcit aſſervatum Neapoli in Bibliotheca Auguſtinianorum S. Joannis de Carbonara, quæ olim Jani Parrhaſii fuit, generi Demetrii Chalcondylæ, & ab Antonio Seripando, cui eam teſtamento reliquerat, ad monachos pervenit. Subnectit ex illo alphabetum, nec non ex Codicis Regii 1905 antiquiſſima ſcriptura, cui XII circiter ſeculo Opera S. Ephræmi ſuperſcripta ſunt, & ex alia, cui opera Gregorii Nazianzeni ſuperinducta ſunt, in Bibliotheca P.P. S. Baſilii Romæ. Porro ſpecimen Pſalterii Alexandrini nunc Anglicani, ut a Briano Waltono in prolegomenis ad Biblia Polyglotta datum eſt. Denique tenuiſſimas, plane confuſas ac laceras reliquias codicis in papyro Ægyptiaca, ſeptimo, ut ſuſpicatur, ſeculo ſcripti, in Bibliotheca Turonenſi S. Martini cuſtoditas. Septimi ſeculi, quo non-
IV, V. dum ubique invecti erant accentus & diſtinctiones, variorum codicum excerptis Caput IV & V illuſtrat. Seculo VIII & IX oblongiores & anguſtiores literæ occurrunt, aut ſi priſcam formam retinuere, in dextrum tamen aut ſiniſtrum latus pro-
VI, VII. pendent, & peregrini aliquid habent, inprimis apud Latinos. Quod cum capite VI & VII declarat, ex calce codicis, in quo Pſal-

Digitized by Google

Pſalmos manu ſua Sedulius Scotus ſcripſit, Orphei quædam, Sibyllæ, Apollinis, Heſiodi & Mercurii Triſmegiſti de Chriſto venturo vaticinia in lucem educit, hactenus partim inedita, partim quantum ad Sibyllina attinet, ab editis diſcrepantia, ac ſoluto ſermone fluentia, cum ibi metro alligata ſint, partim etiam ab Ariano forte immixta credit, ob hæreſeos iſtius veſtigia in illis deprehenſa. C. VIII deſtinatum eſt codici Regio 1809 operum Gregorii Nazianzeni, in uſus Baſilii Macedonis digna iſto faſtigio magnificentia conſcriptorum: alphabeto literarum initialium variis hominum, ſerpentum, avium, piſcium, &c. a ſeculo VIII usque eleganter effictarum: ſpecimini ex codice Regio 2130 Dioſcoridis in Ægypto ſeculo IX ſcripti, non alphabetico, ut Cæſareus ille & Neapolitanus, ordine, ſed qualem ipſe Dioſcorides, habita plantarum ſibimet aut forma aut virtute ſimilium ratione, inſtituerat. Poſtremo particulæ ex codice Regio IV Evangeliorum, cum notis interlinearibus ad cantum & inflexionem vocum appingi ſolitis, ſeculo X ſcripto, & quod in Moſcovitarum manibus fuerit, inſcriptione Ruthenica prodente. C. VIII.

Pergimus ad Librum IV, ubi Noſter obſervat, ſeculo IX a Tachygraphis ſeu Notariis, quales jam ante ſeculum IV fuiſſe p. 36 probavit, conſuetudinem unico ductu unam pluresve literas ac voces exarandi, ut mercedem ſuam celerius mererentur, ſenſim invexiſſe calligraphos, quos in priſtina ſcribendi ratione importuna ad ſingulas literas, aut ſæpe literarum particulas vehementer morabatur. Unciales literæ tantum ad titulos librorum, capitum, articulorumque, ac notas marginales retinebantur. Addit infra p. 316, quod interdum eleganti charactere, quamvis colligante textum, commentarios per multas abbreviaturas celerrime ſcripſerint. Itaque in exemplum tachygraphiæ prægrandibus tabulis duabus inſculpi curavit edita ex Archivo S. Dionyſii a Mabillonio in Supplemento ſuo tenuia fragmenta epiſtolæ Græcæ, qua Pipinum a Conſtantino Copronymo ad ineundam cum Aiſtulpho pacem invitatum fuiſſe, operoſa ſagacitate conjectat. Quomodo autem & quo tempore tachygraphiam imitati ſint calli- L. IV C. I. II.

graphi, variis ſeculi IX ſpeciminibus monſtrat. Inter ea quædam exſtant e vitis Sanctorum ante Simeonem Metaphraſtem ſcriptis, ut produnt impudentiſſimæ prodigiorum fictiones, quas ille poſtea ex parte reſecuit. Alia ſeculi X documenta ſug-
C. III. gerit caput III, ubi p. 278 memoratu digna eſt Procopii Chriſtiani Sophiſtæ Eclogarum ad interpretationem proverbiorum Salomonis epitome, in codice Regio 2436 bombycino exſtans,
IV. de qua, utrum ſit edita, non conſtat Autori. Præter illam literarum colligationem frequentiſſime ſeculo XI & ſequentibus, in cujusvis generis ac argumenti codicibus uſurpabant alphabetum arcanum: ſæpius quidem mutuo inter ſe commutatis literis vulgaribus, aliquando retroverſa tantum illarum figura, aut, quod conjectu difficillimum, pro lubitu excogitata. Solvit aliquas iſtiusmodi ſubſcriptiones Autor, in quarum prima mentio fit Nicolai Malæini, Rosciani Archiepiſcopi, initio ſeculi XII clari, ac a Ferdinando Ughello in Italia Sacra inter Archiepiſcopos Roſcianenſes omiſſi, ſicuti non minus alios, quos apud eum fruſtra quæres, vetuſtiora inſtrumenta quoti-
V. die detegunt, ut p. 381 refertur. Ex iſto diverticulo ad characterem ſeculi XI reverſus, ante alia duo ſpecimina præmittit, oblata ab Abbate Dominico Paſſioneo, quem vix 24 annos natum, eo magis ſingulari doctrinæ atque humanitatis elogio mactat, quod alias a vana laudationum pompa videtur alienus. Aliud ex codice Colbertino occaſionem dedit inſerendi alphabetum Norwagicum, cui nullum ex iis, quæ Georgius Hickeſius publicavit, accurate reſpondet. Ex eadem Bibliotheca, dum apoſpasmation e codice, ad uſus Eudociæ Auguſtæ ſcripto, decerpit, delineari ſimul curavit tabulam, jambum hunc: Εὐδοκίας ἡ δέλτος Αὐγούϛης πέλει literis artificioſe ordinatis plus quam millies repetente, & de Eudocia, ejus Bibliotheca, ſcriptis partim adhuc in bibliotheca Colbertina perennantibus, ut
VI. & de aliis difficilibus ejusmodi nugis ſcribit. Seculo XII, quod caput VI ſibi vindicat, & ſequentibus omnium maxime a priſtina forma receſſere. Inter ſpecimina ex Bibliotheca P. P. S. Baſilii Romæ titulus ſeſe offert ſynopſeos omnium canonum, conciliorum, Apoſtolorum & Patrum, juſſu Joannis Comne-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Comneni a Doxapatre confectæ, & nondum editæ. Inde ex Græcia ad Ægyptios excurrens, in triplicem illorum characterem inquirit. Græcum, qui primus affertur, una cum lingua ab Alexandro M. illatus, ad Arabum usque invaſionem inſigniter Alexandriæ floruit, pauciſſimis tamen codicibus conſervatus. Secundum locum tenet Copticus, Cypri quoque incolis poſtea uſitatus & inſigni Grammatica P. Guilielmi Bonjour propediem exponendus. Subjectum alphabetum 24 Græcorum literis, octo alias admixtas habet. Libros illo exaratos ultra annos quingentos non pertingere, ipſum nihilominus Ptolemæorum temporibus hariolatur adoptatum eſſe in locum priſtinarum formarum, quibus præter hieroglyphica ſua veteres Ægyptii uſi erant, adeo obſoletis, ut in pauciſſimis tabulis deprehenſæ, a nemine explicari potuerint. Neque enim ulla etiam iis cum aliis literis affinitas. Tertius eſt Græcus, multum peregrini, non ſecus ac ipſa dictio, in adjectis monumentis olens. Redit in viam c. 8 & 9 ſeculi XII, XIII ac XIV characterem examinans, & largam ſpeciminum ſegetem ſpargit. Eminet illud, cujus occaſione a p. 327 ad 334 ex codice bombycino Stephani Baluzii, Nicetæ Choniatæ Acominati Panopliam Dogmaticam recenſet conſpectu hæreſium, quæ ſingulis tomis refelluntur, Latine a ſe verſo. Abſolvitur opus XVII Tomis, & vix duo primæ magnitudinis volumina illud caperent, ſi totum Græce & Latine prodiret. Partem enim ejus, & quidem Latine editam, tantum habemus. Librum obſignat c. X alphabeto omnium formarum, quæ hactenus in opere occurrerunt, ſecundum ſeriem ætatis digeſto, arcanis e regione oppoſitis & commemoratione, undenam ſingulæ prodeant, præmiſſa. Sculpi illam in B. L. gratiam ſub Fig. 1 curavimus, tribus alphabetis additis, quæ ex ſpeciminibus, a Collega noſtro Jo. Burchardo Menckenio in itinere olim collectis, ſelegimus. Horum primum ſub Fig. 2 e Codice, qui Acta Apoſtolorum cum Epiſtolis Paulinis & Apocalypſi complexus, ſcriptusque A. C. 1087, exſtat Cantabrigiæ apud Virum ſumme Rev. D. Joannem Covel; alterum ſub Fig. 3 ex Octateucho, in Bibliotheca Collegii Univerſitatis, quod Oxonii eſt, conſpicuo, & A. 1126 exarato;

C. VII. — VIII & IX. — X. — TAB. V. Fig. 1. — Fig. 2. — Fig. 3.

Digitized by Google

tertium denique e Codice Evangeliorum, A. 1297 conſignato, qui in inſtructiſſima Henrici Mori Epiſcopi Norvicenſis Bibliotheca aſſervatur, depromtum eſt.

L. V C. I. Abbreviationibus ac notis diſciplinarum & artium explicandis deſtinatur Liber V. Proinde capite I attingit prius abbreviationes in unciali charactere obvias, ac lectu faciles. Deinde iis inhæret, quas nono primum ſeculo a Tachygraphis acceptas, aut pro arbitrio formatas, adhibuere Calligraphi, unde frequentes poſtea haud levium errorum occaſiones. Siquidem Nannium, quem non usque adeo emunctæ naris hominem appellat Noſter, Laurentium Vallam & Henricum Stephanum ſæpe ab iis deceptum oſtendit. Difficiliores abbreviationes vulgaris ſcripturæ, ex innumeris codicibus collectas, duabus tabulis explicat. Peculiarem implent nominum propriorum abbreviationes. Eam ſequuntur monocondilia ſeu ductus calami non interrupti, admodum perplexis lineis voces, aut vorſus integros, interdumque plures exprimentes. Infimis temporibus ita in uſu fuere, ut omnibus colligendis non ſufficeret quamvis amplum volumen. Nonnulla ſed non ardua lectu Cruſius in Turco-Græcia, alia Stephanus in fine libri de infidis linguæ Græcæ magiſtris, & Henricus Meibomius in collectione Rerum Germanicarum protulerunt. Hic vero difficillimi duo inſeruntur, ac dexterrime explanantur.

C. II. Capite II ex margine codicis Regii 3514, Hermogenis Rhetorica continentis, notas Rhetorum & Oratorum, ſyllabas integras uno ductu abſolventes, incredibili, ceu ipſe fatetur, labore enodavit, una alterave excepta, & in tabula ſculpi curavit, in ſubſequenti ſecundum alphabeti ſeriem diſpoſitas, ut magis juvaret, qui in ſimiles forte incidunt. De notis veterum

III Muſicis pauciora refert caput tertium, Alypii Muſici antiqui notas Lydii modi apponens, & ſpecimina duo notarum ad cantum Eccleſiaſticum additarum. In altero ad dirigendam inflexionem vocis in legendo ſerviunt, in altero majorum & prolixiorum modulationum cauſa, extra ſcriptionis ſeriem ſuperne poſitæ ſunt, ad inſtar illarum quibus hodie adhuc in Eccleſia Græci ututur. Capite IV notas & diviſiones mo-

netarum

Digitized by Google

netarum, poſt Græciam a Romanis ſubactam, refert, & Conſtantinopolitanas ex Analectis ſuis repetit, ſubnectens notas ac diviſiones milliarenſium & numiſmatum, ut & ſupputationem Paſchalem ex codice Regio 2724. Capite V tabulam, in qua notas menſurarum & ponderum, in ponderandis metiendisve corporibus ſolidis & liquoribus adhibitas, nec non notas librorum marginales, aut interlineares congeſſit, ſolvit. Toti tractationi huic finem impoſiturus capite VI, notas Aſtronomorum, Medicorum & Chymicorum diſcutit, meminitque Codicis bombycini in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani, qui inſtar Bibliothecæ ſcriptorum de auro conficiendo haberi queat, quandoquidem conſtipata in eo ſint Stephani Oecumenici, Heliodori, Theophraſti, Hierothei, Pelagii, Oſtanis, Democriti, Syneſii, Anepigraphi, Zoſimi, Chriſtiani, Pappi & anonymorum duorum ſcripta Hermetica; quæ & alibi reperiri novimus. Notas Chymicas Cangius quidem ad calcem Gloſſarii Græcitatis mediæ & infimæ edidit. Verum illas typographi procul ab Autore degentis incuria vitioſiſſime prodiiſſe, monet Noſter, cui multa in opere emendanda ſupplendave Vir ille doctiſſimus jam moribundus transmiſit. Agmen claudunt ſcripturæ quædam ac notæ, a Joanne Boivinio, altero Bibliothecæ Regiæ cuſtode, cum Autore communicatæ, quibus tanquam a nugaciſſimis hominibus effictis, nec ulla divinatione aſſequendis, non immoratur, ſicuti nec magicis, quorum aliæ rudi ſimilitudine Hebræum characterem referentes, aliæ ex lubitu Græculorum effictæ, partim Aſtronomicæ partim Phyſiognomicæ ſunt ac Chiromanticæ.

C. IV
v.
VI.

Rem Diplomaticam Græcorum libro VI tradit: ſed cum Orientem peragrare non potuit, diplomata Græcorum Orientalium in monaſteriis, præcipue montis Atho, inveſtigare illi non licuit. Solis proinde Neapolitani ac Siciliæ Regnorum Diplomatibus utitur. Novem ſunt, & de ſingulis, de bullarum generibus pauca præfatus, in prologo quædam monet. Sic occaſione inſtrumenti tertii obſervat, Græcos Imperatores & cujuscunque ſortis homines in actis publicis & privatis, ubi diris violatorem devovent, maledictionem Sanctorum, aut Deiferorum 318 Patrum, h. e. Concilii Nicæni eidem imprecatos eſſe.

L. VI.

Ad

Ad quintum, libros Eccleſiaſticos, quorum aliqui hactenus penitus fere ignorati ſunt, recenſet ac deſcribit. Ad bullam Rogerii, Siciliæ & Calabriæ Regis, Chriſtodulum Siciliæ Admiram, (Admiralem hodie vocant, vid. p. 381) Protonobiliſſimi titulo & prærogativa remunerantis, lucem affundit dignitati illi, & conſuetudini Græcorum, qua ſolos Imperatores Conſtantinopolitanos Βασιλέας, reliquos Imperantes Ρῆγας appellavere. Ceterum ſola hæc bulla, quæ ſextum locum occupat, ad fidem archetypi eadem characteris forma in tribus tabulis delineata eſt, reliquis vulgari tantum impreſſis. Poſt diplomata leguntur ex codice Regio 1222 una cum verſione tituli ineditarum hactenus conſtitutionum Græcarum, quas Neapolitanis ſuis & Siculis Fridericus II ſancivit, & quidem, ut Noſtro videtur, poſt Latinas illas, quas Lindenbrogius aliique publicarunt. Ampliores enim multo & correctiores eſſe teſtatus, exemplis aliquot ſententiam ſuam confirmat. Adjecta poſtremo ſunt IV diplomata Latina, ob argumenti cum Græcis illis affinitatem.

L. VII. Librum VII conſtituit Græco-Barbarum Proſcynetarium, i. e. deſcriptio locorum religioſe colendorum montis Atho, a Joanne Comneno Medico ſcriptum, ab in Ungaro-Vlachia in monaſterio Synagobi A. 1701 impreſſum. Ille, quem Græcorum Romam vocare poſſis, longitudine trium dierum, latitudine ſex horarum iter depoſcens, a nemine niſi aliquot millibus monachorum habitatur, quorum plurimi inter aſcetica, & rigidæ diſciplinæ exercitia, operas manuarias ad vitæ humanæ neceſſitatem ſublevandam facientes, tractant. Viginti duo replent monaſteria antiquiſſima, nulli Turcarum injuriæ, piratis, quibus opportuna ſunt, raro ob ſanctitatis opinionem obnoxia. Singula deſcribit Comnenus, mire quidem in antiquis relationibus, & prodigiis credulus, ſed qui diligenter omnes illorum angulos perreptavit. Nihil illi niſi magnificum, niſi ſplendidum & ſacroſanctum in templis, in ædificiis & Divorum reliquiis oppido multis. Ante alia quidem palatum Montfauconii ſollicitat, qui jactatur ingens (pro iſtorum locorum genio) multitudo librorum Theologicorum non

Digitized by Google

non modo, ſed ad alias etiam diſciplinas ſpectantium. Prædicatur inſuper copia chryſobullarum, quas Imperatores a Conſtantino M. usque ad Imperatorem Conſtantinum Palæologum, nec non Imperatores & Principes Ruſſiæ, Trapezuntis, Iberiæ, Ungaro-Vlachiæ, Moldaviæ, Serviæ, aliarumque gentium, & Patriarchæ Conſtantinopolitani pariter ac alii Præſules monaſteriis conceſſere. Verſionem opuſculi lectu non indigni Montfauconio debemus, qui in præfatione excerpſit, quæcunque Petrus Bellonius, Cenomanenſis, de ſacro hoc monte, quem ipſe perluſtraverat, A. 1553 memoriæ prodidit.* Poſt indicem Palæographiæ copioſiſſimum, ex quo cognoſcere etiam licet, quanta vocum hactenus intactorum vis in opere hoc evoluta ſit; coronidis loco venit elegans Diſſertatio, quam J. B. in ſupremo Divionenſium Senatu Præſes Autori transmiſit. In ea de literarum in Græcia & Latio ortu, progreſſu, numero, & figura diſquirens, refellit Marſchamum, qui illas una cum Cadmo ex Ægypto, & eos qui cum Rudbeckii Antlantica, ſibi tamen, ut fatetur, non viſa, e runis derivant. Adſtruit porro jam ante Deucalionis diluvium literas ſuas Græciam habuiſſe, easque a Pelasgis præcipue in Attica eſſe conſervatas. Qua occaſione diſſertationem de fortuna Pelasgorum contra Salmaſium promittit. Pergit, illas literas prorſus conſpirare cum priſcis Latinis, quippe a Pelaſgis una cum lingua, & arithmetica multum difficiliori Cadmea in Latium illatis. Numero fuiſſe **XVI**: Α. Β. Γ. Δ. Ε. Η. aſpiratio, Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Ρ. Σ. Τ. Cadmum tres literas addidiſſe Ζ. Θ. Ξ. & tres notas Arithmeticas, quas *Βαυ*, *Σαυ]ι*, & *Κοππα* appellant, ut Græci arithmetica Phœnicia, quæ nonniſi 22 literis peragebatur, uti poſſent. Nomina denique nova literis indidiſſe, immutata pauliſper illarum figura, atque ita inventionis gloria apud poſteros floruiſſe. Acceſſiſſe ſucceſſu temporis Η pro e longo, Ω. Υ. Φ. Χ. Ψ. novamque inde Arithmeticam eſſe introductam. Et cum a Calligrapho Ione literæ collectæ eſſent, ab eo Ionicum vocatum eſt illud alphabetum, ab Athenienſibus demum A. 2. Ol. CXIV receptum. Nil contra movet Montfauconius, ſed in recenſione n. II de-

clarat, ſufficere ſibi, quod in capite rei conſentiat Vir doctiſſimus, dum hodiernas Græcas literas Phœniciæ originis eſſe concedit.

חזון · למועד *SEU COMMENTARIUS CHRONOLOGICUS, Philologicus & Exegeticus oraculi Dan. XI, 24-27 de LXX Hebdomadibus; Autore ALEXANDRO SOSTMANNO, Emm. Fil.*

Lugduni Batav. apud Cornelium Bouteſtein, 1710, 4.
Alph. 1 pl. 18.

TOt in illuſtre hoc vaticinium commentationes, tot hypotheſes prodierunt, quot nomina fere interpretum paulo celebriora exſtant. Nihilo tamen ſecius permulta in illo hodienum ſuperſunt accuratius perveſtiganda, clariusque definienda. Hoc non ſolum intellexit Cl. Autor, ſed ad idem etiam pertractandum, & ad novam conſtituendam hypotheſin, ex qua dubia, quæ reſtant, expediri queant, animum adjecit. Duo autem in hocce Commentario circa textum egit. Primo temporis in oraculo memorati terminos definivit: deinde res ipſas, quarum fit mentio, expoſuit, & in Jeſu Nazareno totius vaticinationis complementum figendum eſſe, oſtendit. Sub initium ſtatim conficit & demonſtrat, hebdomades non *dierum*, ſed *annorum* hoc loco indicari, & annos non *lunares*, ſed *ſolares*, ſive lunares ad normam annorum ſolarium exactos, qualibus Judæi uſi ſunt. Quamvis enim Daniel inter Chaldæos vixerit, eorumque faſtos in rebus, quæ Babylone narrantur geſtæ, & quæ ad Chaldæos pertinent, ſecutus forte ſit Cap. IV, 16, 23, 29, tamen conſentaneum eſſe cenſet, vatem natione Judæum, & de rebus Judæorum non in Chaldæa, ſed in patria gerendis vaticinantem, ſtilum Judaici Calendarii obſervaſſe, non peregrinum, & Scripturæ Propheticæ alias inuſitatum annorum genus. Poſtea interpretum Chriſtianorum diſſenſiones in figendo temporis ab Angelo indicati initio commemorat, diverſisque Judæorum opinionibus recen-

cenſitis ac confutatis, generalem hebdomadum propoſitionem & diviſionem conſiderat, numerumque annorum *quingentorum* definit, quos ex LXX hiſce hebdomadibus elicuit, contra communem Interpretum ſententiam, qui ſufficere exiſtimant, ſi ex 70 ſepties ſumptis numerus 490 annorum educatur. Autor noſter exiſtimat, periodum ſeptem annorum h. l. *hebdomadem* vocari, phraſi ex ritu Judæorum deſumta, cujus obſervatio Exod. XXIII, 10, Levit. XXV, Deut. XV, a DEO præcepta eſt, ubi monentur Iſraelitæ, unoquoque ſeptimo anno quieſcere, inſuper ſeptem annos ſepties numerare, quod fit intra ſpatium 49 annorum, Levit XXV, 8, quibus 49 annis ad finem perductis, annum ſequentem quinquageſimum jubentur celebrare, atque hunc ipſum annum Moſes v. 10 *Jubilæum* vocat. Unde liquere putat, annorum Sabbaticorum periodum *minorem* 7 annis abſolvi, *majorem* vero 50 annorum ſpatium ambitu ſuo complecti, utpote quæ ſepties ſeptem ſeu 49 annis addat annum Jubilæum ſeu quinquageſimum. Ne vero quis ſuſpicetur, aut contendat, nomen hebdomadum, quo Angelus ſingulos annorum ſeptenarios in vaticinio appellavit, aliunde potius hauſtum eſſe, quam ex hoc divino præcepto, provocat ad 70 annorum exilium a Jeremia annunciatum, cui hanc legem Levit. XXV utique obſervatam fuiſſe opinatur, utpote qui 70 hos annos 70 annos *Sabbaticos* appellarit, II Chronic. XXXVI, 21 coll. Levit. XXVI, 34. Cum itaque LXX hebdomades reſtitutionis 70 annis exilii reſpondeant, hi vero legem hanc de annis intermiſſionis reſpiciant, nullum reſtare dubium credit, quin hebdomadum Danielis appellatio in lege Levit. XXV lata fundamentum habeat, earumque numerus LXX decem Jubilæis abſolvatur, vel annis 50 decies repetitis, qui conficiunt numerum 500 annorum. Quam ſententiam exinde etiam probat, quia alias nulla dari poſſet ratio, quare hebdomades 7 in textu ſeorſim ponantur ab hebdomadibus 62, quæ tamen ſecum invicem conjungi debent, cum nullus Meſſias Dux inter hæc duo intervalla medius interfuerit. Ex hac vero hypotheſi dubii illius ſolutionem facilem eſſe, & 7 hebdomades a reliquis ideo diſtingui cenſet,

ut

ut intelligamus, hebdomadum harum & annorum Sabbaticorum eandem eſſe rationem, & ſicut ſeptem anni Sabbatici elapſi, addito Jubilæo, 50 annos conſtituant: ſic 7 haſce annorum hebdomades conficere ſpatium 50 annorum, quod decies repetitum numerum 500 annorum efficit. Scripturam itaque videri hoc fine atque ſcopo 7 hebdomades ſeorſim poſuiſſe, ut *clavem* tradat, cujus ductu univerſus annorum numerus ex LXX hebdomadibus eliciatur. Tertium argumentum petit ex ipſo typo. Nempe cum יובל *Jubilæus* vel ratione etymi vocis *ἐλευθερίαν libertatem* ſignificet, ut vult *Joſephus Antiq.* Libr. III c. X, vel ſaltim reipſa ſit annus lætitiæ, quietis & libertatis, eoque fine Iſraelitis conceſſus; certum eſſe putat, hunc annum geſſiſſe typum gaudii, libertatis & requiei a Meſſia inducendæ. Quo ea refert, quæ de regno Meſſiæ dicuntur Pſalm. LXXII, 3 & LXV, Eſ. LXI, 1. Addit denique, quodſi ſpatium LXX hebdomadum 500 annis definiamus, univerſum hoc oraculum optime & quam commodiſſime applicari poſſe ad tempora, perſonas & res ab Angelo definitas. Quod Autor oſtendit, dum de utroque harum hebdomadum termino diſquirit, unde nempe incipiendæ, & ubinam finiendæ ſint? Finis & complementum in excidio Meſſiæ v. 26 figitur: initium vero hebdomadum ponitur in *edicto* aliquo de Republ. Judæorum inſtauranda, & Hieroſolymis reædificandis valde illuſtri & memorabili v. 24 & 25, quale illud Artaxerxis *Longimani* decretum fuiſſe arbitratur, quod anno imperii ſeptimo Esræ largitus eſt, & quo Judæis ampliſſima privilegia indulſit, ut liquet ex Eſr. VII, 11-26, atque tum Hieroſolymæ reſtaurationem, tum Judaicæ Reipublicæ reſtitutionem permiſit, qui duo characteres ab Angelo notantur. Cum vero Petavius obſervavit, Artaxerxem aliquot annis ante a Xerxe in communionem Regni eſſe aſſumtum, quam defuncto patre ſolus imperare cœpit, quia lex Perſarum exigebat, ut Rex ſedem regiam relinquens, & expeditionem in exteras regiones ſuſcipiens, aliquem ex filiis interea Regno præficeret, ut Herodotus autor eſt; quam legem obſervandi Xerxes in expeditionibus ſuis ſufficientem occaſionem

Digitized by Google

nem habuerit: duplex regnandi initium Artaxerxi adſignat, quorum prius in annum Periodi Jul. 4241, Cyri 66, Xerxis 13, ante æram Chriſtianam 473; alterum vero, quod *octo* annis poſterius eſt, in annum Per. Jul. 4249, ante Chr. 465, vel in annum proxime ſequentem, incidat. Quibus ita conſtitutis evincit, edictum illud anno *ſeptimo* editum a *priori* initio repetendum eſſe. Neque obſtare, Xerxem tum temporis fuisſe ſuperſtitem. Omnes quippe in eo convenire, Xerxem ſub finem imprimis vitæ libidini deditum, & prorſus effœminatum fuiſſe, adeo ut a ſuis deſpiceretur. Cum itaque hic annus Artaxerxis 7 mortem Xerxis proxime anteceſſerit, non eſſe dubium, quin civilium rerum adminiſtratio penes Artaxerxem fuerit, eique in S. Codice tribuatur. Cum itaque prius initium Artaxerxis ſit in anno Per. Jul. 4241, ante Chriſtum 473, decretum refertur ad annum ejus 7, qui eſt annus *PER. JUL.* 4248, ante Chriſtum 466. Ut tamen Cl. Autor rationes ſuas ab omni omnino vitio liberet, dicit, LXX hebdomadum initium equidem ab edicto Artaxerxis repeti, ſimul tamen eas *ſuper Rempublicam & Metropolin* Judæorum eſſe definitas. Unde infert, earum exordium ante non eſſe figendum, quam Esras populum inſtruere, Magiſtratus conſtituere, jura exercere, & omnia in ordinem redigere, atque ita gens Judaica faciem Reipublicæ recipere inceperit. Cum autem Esras menſe demum Novembri anni hujus 4248 jura populo dare, & exequi cœperit, Esr. X, 8, 9, vix vero quicquam tam brevi temporis ſpatio in juſtum ordinem digerere potuerit, ſatius eſſe judicat, ſi harum hebdomadum initium figatur in autumno anni ſequentis *PER. JUL.* 4249, ab Exodo 1030, Cyri 74, ante Chriſtum 465, qui eſt annus Xerxis ultimus & Artaxerxis a poſteriore initio primus. His poſitis & demonſtratis finis hebdomadum ſeu 500 annorum incidet in autumnum anni *PER. JUL.* 4749, Juliani 81, Chriſti 36, qui eſt annus 23 ſeu ultimus Cæſaris Tiberii. Rem totam ſequenti tabella declaravit p. 76.

Anni Dan.	Anno Per. Jul.	Anno Christi	incipit Jubilæus.	Hebdom.	Annus.
1	4249	465	Ultimo anno Xerxis.	1	1
49	4297	417	Primis 7 hebdomadibus exſpirantibus.	7	7
50	4298	416	Darii Nothi anno ſeptimo. 1		
100	4348	366	Artaxerxis Mnemonis anno 38. 2		
150	4398	316	Anno Philippi Aridæi 7. 3		
200	4448	266	Sub finem anni 18 Philadelphi. 4		
250	4498	216	Sub finem anni 5 Philopatoris. 5		
300	4548	166	Sub finem anni 14 Philometoris. 6		
350	4598	116	Circa ultima Evergetis II. 7		
400	4648	66	Circa finem anni 14 Dionyſii. 8		
450	4698	16	Sub initium anni 14 vel 28 Auguſti. 9		
493	4741	28	Anno Tiberii 15 cum Baptismo & inauguratione Servatoris.		
496	4745	32	Anno 19 Tiberii Servator menſe Martio in medio anni Civilis Judæorum crucifigitur.	7	1
500	4748	35	Anno Tiberii 22 incipit Jubilæus. 10		
			Atque una cum univerſo LXX hebdomadum intervallo finitur in autumno anni	7	4
	4749	36	Tiberii 23, quo anno Paulus ex Arabia redux Evangelium gentibus annunciare cœpit.		

Digitized by Google

Verum Cl. Autori non ſatis fuit ſententiam hanc aſſeruiſſe & probaſſe, ad objectiones, quæ contra hanc hypotheſin fingi poſſunt, reſpondet, illudque imprimis confutat argumentum, quod omnium graviſſimum eſſe videtur, Judæos videlicet, durante Templo ſecundo, annorum Jubilæorum obſervationem prorſus neglexiſſe. Hoc defunctus labore verba textus explicat, & res, quæ in genere ad totum intervallum LXX hebdomadum referuntur, diſſeritque tum de eventibus ad certa tempora periodi LXX hebdomadum in ſpecie relatis, tum de iis quæ v. 26 de excidio Reipublicæ Judaicæ traduntur. Sub finem accedit Appendix, ſeu pars operis dogmatica, qua Meſſiam jam veniſſe evincitur, & ſimul monſtrantur veræ cauſæ incredulitatis Judæorum.

SERMONS AND ESSAYS UPON SEVERAL ſubjects.

h. e.

CONCIONES ET CONATUS VARII ARGUMENTI; Autore WILHELMO WHISTONO, Profeſſore Matheſeos Cantabrigienſi: additus eſt liber incerti Autoris de Regula Veritatis ſive Fidei, vulgo Novatiani de Trinitate liber.

Londini, apud Benjam. Took, 1709, 8.
Alph. 1 pl. 4.

VOlumine hoc variæ Cl. Whiſtoni Conciones aliaque Schediaſmata de variis argumentis conſcripta exhibentur. De Concionibus nihil dicemus, quoniam id ab inſtituto noſtro alienum; de Schediaſmatibus autem ceteris non poſſumus non quædam commemorare, cum illa complectantur varia, quæ in conſiderationem & ſub examen vocari mereantur. Primum, quod conciones quinque excipit, inſcribitur *de diverſis Chriſti Adſcenſionibus*. Hic Autori conſtitutum eſt, ut probet, Servatorem noſtrum poſt reſurrectionem repetitis vicibus, ac ſpeciatim eo, quo tumulum reliquit, die bis, horis ſcilicet matutinis & veſpertinis, in cœlum adſcendiſſe.

Dis-

Diſſertatio hæc cum Orationibus octo, quas, legato Boyleano
ita jubente, publice in templo Paulino pronunciatas edidit
Cantabrigiæ 1708, 8, prodierat, quæ nunc quidem acceſſioni-
bus quibusdam amplificata & recuſa eſt. Primo itaque pro-
bare inſtituit, Chriſtum mane illius diei, quo idem ſurrexit, in
cœlos adſcendiſſe. Sententiæ ſuæ argumenta inde repetit Cl.
p. 46. Autor, quod Sacerdotale Servatoris noſtri officium iſtam primi
diei adſcenſionem ſtatim a ſalutari perpeſſione requirat, quem-
admodum ſummus Sacerdos in veteri Fœdere ſanguinem ma-
ctati hirci in Sanctuarium interius deferre ſtatim & ſic popu-
147. li peccata expiare debebat. Vide Lev. XVI, 15, & compara
Hebr. I, 3 & V, 5. Deinde provocat ad finem & effectum
mortis Meſſiæ, quem ſtatuit fuiſſe exercitium & uſum pote-
149. ſtatis & autoritatis Regiæ, cum exaltatione ad Dei dextram
arctisſime conjunctæ. Vide Philip. III, 6, 7, Jo. XVII, 5. Por-
ro innititur ipſius Servatoris prædictione Jo. XIII, 16, 17 & 19-
150. 22, quibus verbis non ſolum abitum ad perpeſſionem & mor-
tem, ſed etiam adſcenſionem in cœlum ſignificari putat. Hinc
etiam Servator in colloquio, cum Maria Magdalena inſtitu-
to, Jo. XX, 17, hanc adſcenſionem innuiſſe ipſi videtur, cujus
nuncium ad Apoſtolos tanquam præſentiſſimum ſolatium per-
153. ferre debebat. Præterea vero idem manifeſte, Autoris no-
ſtri judicio, apparet ex Servatoris verbis Luc. XXIV, 26, ubi
duos Aoriſtos verborum παθεῖν καὶ εἰσελθεῖν ideo putat con-
jungi, ut ſignificetur, & perpeſſionem & ſusceptionem gloriæ
divinæ tum temporis jam factam eſſe. His ita expoſitis pro-
bare conatur Cl. Autor ex Marci cap. ult. Servatorem illius
156. diei, quo reſurrexit, veſpera cœlum repetiiſſe, quam ſuam ſen-
158. tentiam Bezam in notis ſuis ad hoc caput expreſſiſſe oſtendit.
Idem ex Lucæ cap. XXIV apparere non dubitat, nec minus
ex ejusdem Actis, ut & diverſis ſermonibus & actionibus Ser-
vatoris noſtri ſub tempore utriusque adſcenſionis ſusceptis. Ver-
ba Lucæ XXIV, 50, 51 ad adſcenſionem, veſpera diei reſurrecti-
onis factam, referri vult; quæ autem Act. I, 6, 11 leguntur,
ejus judicio ultimam adſcenſionem reſpiciunt, quod ex circum-
163. ſtantiis diverſis utroque in loco obſervandis manifeſtum ipſi
vide-

Digitized by Google

videtur. Tandem affert teſtimonium Barnabæ conſentientis,
ex Epiſtola ejus c. XV quod ita habet: Διὸ καὶ ἄγομεν τὴν
ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾧ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ
νεκρῶν, καὶ φανερωθεὶς ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς, quod vetus Lat.
verſio ita exprimit: *propter quod agimus diem octavum in
lætationem, in quo & Jeſus reſurrexit a mortuis & apparuit
& adſcendit in cælos.* Menardus verba hæc in notis ad men-
tem Cl. Whiſtoni interpretatus eſt. Hinc operam dat No- p. 165.
ſter, ut reſpondeat objectionibus, quæ huic interpretationi &
ſententiæ obverti poſſint, ſpeciatim ex Heb. IX, 12 & Luc. 169.
XXIV, 49. Tandem p. 178 ſubjungit ſciagraphiam actionum
& phænomenorum, quæ in & poſt diem reſurrectionis con-
tigerunt. Diſſertatione ſequente probare conatur, Servato- 181.
rem noſtrum habuiſſe fratres & ſorores varias proprie dictas
& ex Joſepho ac Maria prognatas. Hoc deducit ex Pſ. LXIX,
8, coll. cum Jo. II, 17, XIX, 28, nec non ex eo, quod Chri-
ſtus vocatur υἱὸς πρωτότοκος Matth. I, ult. &c. præterea ex
Matth. I, 18 πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, quam phraſin de com- 184.
mercio conjugali interpretatur. Provocat etiam ad Matth.
XII, 46, 47, Marc. III, 31, 32, Luc. VIII, 19, 20, & Matth. XIII, 185.
55, 56, ubi fratrum & ſororum ejus fit mentio. Fratrum ve- 186.
ro & ſororum nomen proprio ſenſu hic accipi debere ideo
ſtatuit, quod 1 hoc nomine ab Evangeliſtis ſemper inſignian-
tur; 2 a Judæis eodem ſenſu fratres Chriſti appellati videan-
tur, quo ipſe filius Fabri & Maria mater ejus vocata eſt; 3
quidam eorum hoc nomen fert 1 Cor. IX, 5, Gal. I, 19 & in
Joſephi Antiquit. XX, 8, ſine ulla ſenſus improprii aut alie-
ni ſuſpicione; 4 ſemper conjungantur cum Matre ita, ut cum
ea vixiſſe intelligantur; 5 nomina eorum tanquam fratrum ſi-
gillatim enumerentur; ac denique 6 ne leviſſimo quidem ar-
gumento conſtet, Joſephum antea in conjugio vixiſſe. Hinc ar-
gumentis, quæ in contrariam ſententiam afferri poſſint, re- 188.
ſpondet, ac denique varia Corollaria annectit. Sequitur 197.
Diſſertatio de eo, quod ratio & Philoſophia fidei non adver- 235.
ſentur. Subjungitur Conſilium de recte inſtituendo Theolo-
giæ ſtudio cum delineatione Bibliothecæ Theologicæ ſuccin-

Digitized by Google

&c. Summa illius conſilii comprehenditur his verbis, p. 256. quod loco ſcriptionum & conſtitutionum humanarum, ſive illæ Conciliorum, ſive Patrum, ſive Scholaſticorum, ſive Syſtematum ſive Controverſiarum nomine veniant, lectioni V. & N. T. ſine præjudicio aut partium ſtudio cura impendenda ſit, eademque conjungenda cum lectione Patrum Apoſtolicorum & qui Sec. II ac III itemque ſub initium IV usque ad Concilium Nicenum vixerunt. Ex hac Theologiam tractandi ratione varia commoda in Eccleſiam redundatura putat, quæ enumerat usque ad p. 296, tandemque regulas quasdam in iſta methodo obſervandas ſubjungit, in quibus ut & in toto ſcripto varia obſerves noviter dicta, quæ hic a nobis fuſius commemorari non poſſunt. Quod ad Appendicem, ſive *Novatiani librum de Trinitate* attinet, de eo Autor in Præfatione volumini ipſi præmiſſa profitetur, ſe quidem illius ſcriptorem hactenus incognitum ad medium ſeculum III referre, qui de Trinitate & Incarnatione ſummo cum judicio inter Patres Ante-Nicenos commentatus fuerit, adeoque in his momentis præ ceteris conſuli debeat.

ENTRETIENS SUR DIVERS SUJETS D' Hiſtoire, de Literature, de Religion & de Critique.

h. e.

COLLOQUIA DE DIVERSIS ARGUMENTIS ad Hiſtoriam, Rem literariam, Religionem & Criticam artem pertinentibus,

Coloniæ, apud Pet. Marteau, 1711, 8.

Pl. 20.

Colloquia hæc *ἀνωνύμως* edita facile produnt eruditiſſimum Autorem Cl. la Croze, Bibliothecæ Regiæ Berolin. præfectum, qui ſimili inſtituto Roterodami A. 1707 Diſſertationes Hiſtoricas varii argumenti in lucem edidit. Primum, quod hic inſtituitur, Colloquium intercedit inter Chriſtianum & Judæum

dæum ad exemplum dialogi Juſtini Martyris cum Tryphone, Judæus hic appellatur Moſes Aboab, qui cum de familia & gente ſua nonnihil diſſeruiſſet graviterque de Inquiſitione Hi-
ſpanica eſſet conqueſtus, ediſſerit, quomodo a Belga quodam, p. 9.
de veritate religionis Judaicæ ut dubitaret, adactus fuerit, qui primo loco exprobraverit ſibi captivitatem, in qua gens Judaica per tantum temporis intervallum hæſerit, ita quidem, ut,
quod alias in V. T. fieri ſueverat, nullum ſolatii divini genus 25.
aut libertatis ſpem a Prophetis aut Doctoribus, de quorum vocatione divina certis argumentis conſtare poterat, receperint. Hinc profitetur, ſe lectis Novi Fœderis libris ac ſpeciatim Epiſtola ad Hebræos de veritate religionis Chriſtianæ quod ad intellectum fere convictum fuiſſe, voluntate tamen relu-
ctante ſemper & aſſenſum ſubtrahente. Nunc autem longe 41.
aliam ſibi ſententiam placere, cum viderit, Judæos, tamdiu & tam vehementer a gentilibus & Chriſtianis vexatos, incolumes & ſalvos perſiſtere, quod ſine divino præſidio fieri non
poſſet, cum armis cauſam ſuam agere illis non licuerit. Con- 43.
ſenſionem in doctrina non interruptam & ab omni Schismate liberam, mores quoque integros, pluribus laudat, atque hos quidem exprobrari ſibi poſſe negat, cum Chriſtiani ipſi vitam longe impuriorem agant. Cumque deinde alia monuiſſet,
quæ effecerint, cur ad Eccleſiam Græcam aut Romanam ac- 60.
cedere non potuerit, tandem a Reformatis quoque Eccleſiis animum alienum ſe ideo habuiſſe teſtatur, quod Sacerdotes zelo genuino deſtitutos vitiisque peſſimis deditos animadver-
terit. Atque iſtis quidem & aliis nonnullis argumentis, in 75.
præjudicium Chriſtianæ religionis allatis, abſolvitur Colloquium I, quibus deinceps Colloquio II reſpondetur. Ante vero quam hoc agat Cl. Autor, viciſſim quoddam contra Judaismum argumentum affert, quod ab exſpectatione Meſſiæ quam inter articulos fidei numerant Judæi, repetitur. Hic autem Meſſias a Maimonide in *doctrina de fuga Meſſiæ* ita delineatur, ut character ejus ſcriptis Propheticis adverſetur; adeoque conſequitur, talem exſpectari non poſſe, imprimis cum Criteriis deſtituantur Judæi, nempe tabulis Genealogicis, quibus opus eſ-

ſe ipſi fatentur ut cognoſcant Meſſiam ex tribu Juda natum eſſe.
Quod ad objectionem primam attinet, fatetur, Judaicæ
p. 86. gentis conſervationem miraculo non carere, ſed eam hoc con-
ſilio Deo commendatam eſſe, ut aliquando ad veritatis
agnitionem perducantur, vi oraculorum Rom. XI, 25, 26 &
Hoſ. III, 4, 5, & ut eſſe poſſint teſtes Librorum Sacrorum, qui
eorum fidei ſunt commiſſi. Ipſam vero illam vexationem
92. nec probandam eſſe, nec a Chriſtianis omnibus probari con-
ſueviſſe oſtendit. Multitudinem Sectarum in Chriſtianiſmo
103. teſtimonium ferre pro veritate noſtræ religionis, recte com-
monſtrat, cum ipſe Servator eas prædixerit Matth. XIII, 24 ſq.
confer 2 Theſſ. II, 13, Matth. XXIV, 26, 1 Cor. XI, 15. De
eligenda ſecta quadam ſive religionis forma, de qua dubium
110. ſe hærere debere Judæus conqueſtus erat, ita putat ſtatuendum,
quod unusquisque, ſtudio veritatis ſincero præmunitus, primo
loco de communione cum Chriſto debeat eſſe ſolicitus, qua per
genuinum Servatoris amorem & virtutum ſtudium obtenta ſo-
126. cietas externa facile inveniri poſſit. Colloquium III deſtinatum
eſt examinandæ *Hiſtoriæ Judaicæ* a Jac. Basnagio editæ, in qua
varia acerbius notantur, quod ex ipſius operis inſpecti-
one plenius patebit. Sub finem Cl. Autor ſe adverſus Bas-
nagium de Beauval, qui ab aliquot annis Hiſtoriam Scripto-
rum ab eruditis editorum conſignavit, tuetur, atque ea malæ
fidei poſtulat, quæ in illo, quod modo diximus, opere de ſe ip-
ſiusque ſcriptis ac de ficto quodam ſuo adverſario legantur.
245. Colloquio ultimo de Atheiſmo & Atheis commentatur Cl.
Autor, ea quidem ratione, ut poſtquam generalia quædam de
Atheiſmo, ejus diverſis generibus ac fontibus monita attuliſ-
ſet, exempla quædam eorum commemoret, qui Athei Theo-
oretici fuerunt & exiſtentiam divini Numinis proterve infici-
253. ati ſunt. Hic ſolide contra eos diſputat, qui gentes ἀθέους
256. ſtatuunt. Chinenſes quoque Philoſophos ab Atheiſmo libe-
rat, atque hujus criminis caute alios inſimulandos eſſe affir-
258. mat, quod præter rationem & ex principiis ſpuriis, quæ ſimul
269. exponit, quibusdam objici ſoleat. Hinc loquitur de Athei-
ſmo ex ſuperbia vitaque impura orto, ac denique de eo, qui
Syſte-

Digitized by Google

Syſtema quaſi quoddam impii dogmatis exſtruit. Nonnulla quoque de moribus Atheorum & ſuperſtitioſorum commentatur, & quod hominum genus alterum vita ſuperet, disquirit breviter, cauſamque hanc nec ex rationibus nec exemplis definiri poſſe oſtendit. Proximo loco recenſet Atheos quosdam, qui Theoretici appellari ſolent, inter quos primus eſt *Jordanus Brunus*, de cujus morte integram Casp. Scioppii epiſtolam exhibet, principiaque peſtilentiſſima ejusdem ex ſcriptis, quæ reliquit, eruit. Sequitur *Lucilius Vanini*, quem excipit *Matthias Kuntzen* Holſatus, cujus epiſtola, qua hujus erroris ſemina ſparſit, Latine exhibetur cum verſione Gallica. Ultimum locum occupat Nobilis Polonus, *Caſimirus Liszynski*, Atheiſmi nomine fatale ſupplicium paſſus, quamvis hujus criminis non fuerit omni ex parte convictus. De ſingulis obſervationes non vulgares afferuntur, quas non ſine voluptate legendas liber ipſe exhibebit.

p. 277. 284. 337.

ONTLEDENDE UITLEGGING &c.

h. e.

EXPLICATIO ANALYTICA PROPHETArum Nahumi, Habacuci & Zephaniæ; Autore PETRO VAN HOEKE V. D. M. Lugduni Batavor.

Lugd. Bat. apud Cornelium Bouteſtein, 1709, 4.
Alph. 3 pl. 3.

UT Cl. Autor fidem, quam ante aliquot annos in explicatione trium Prophetarum e minoribus poſtremorum dederat, liberaret, triadem Prophetarum minorum penultimam eadem ratione explicatam in lucem emiſit. Ipſi explicationi ſingulorum Prophetarum præmittitur brevis introductio, qua tempus, quo Propheta vixit, occaſio ſcribendi, finis, argumentum, divina origo ac autoritas, ordo denique in proponendis vaticiniis obſervatus breviter monſtrantur. In introductione ad explicationem Nahumi oſtenditur, eum æqualem fuiſſe Hiskiæ Regi Judæ & Jeſaiæ Prophetæ, finem il-

Digitized by Google

lius eſſe, ut ſolatium & ſpem afferret Iſraelitis ob bellum Aſſyriacum valde ſollicitis, utque Aſſyriis exitium futurum prædiceret. Exiſtimat Cl. Autor, Regnum Aſſyriacum fuiſſe ty-
p. 70. pum Eccleſiæ falſæ Antichriſti. Atque uti Ninive, regia Aſſyriæ, exciſa fuerit, ita & ſuo tempore exciſum iri Niniven myſticam. Uti illa rapinis & cædibus pœnam divinam accerſiverit, ita & hanc bona mundi & ipſam gloriam Dei rapiendo teſtesque Jeſu occidendo in exitium incurrere. Illam idololatriæ, ſcortationis & impiarum præſtigiarum ream fuiſſe, fiduciamque omnem & quietem in rebus mundanis poſuiſſe: ea omnia & in hac abunde animadverti. Habacuci ſcopum eſſe ait, ut Judæis annunciaret captivitatem Babylonicam, pios vero ejusdem calamitatis participes ſolaretur. Vaticinia capitis ſecundi de interitu veteris Imperii Romani & myſtice de interitu Papatus interpretatur: qua occaſione multa de impietate Paparum ex hiſtoriis commemorat, & quomodo potentia eorum ſingulis
159 ſeculis creverit, brevi recenſione chronologica enarrat, catalo-
160. gum etiam brevem teſtium veritatis ipſi Eccleſiæ Romanæ addictorum, qui hujus nævos agnoverunt, ſubjungens. Ze-
286. phaniam id potiſſimum ſibi propoſuiſſe oſtendit, ut judicia divina, imprimis ea, quæ per Nebucadnezarem & Romanos Judæis acciderunt, prædiceret, utque piis in omnibus his calamitatibus ſolatium quoddam præberet. Præ ceteris fuſe explicatur capitis ultimi verſus ultimus, cujus verba hæc ſunt: *Illo tempore* (cum nimirum effudero iram meam in mundum univerſum, vid. v. 8) *reducam vos atque eo tempore, quo vos colligam*, (hoc tempus collectionis ſtatim inſequetur poſt finitum tempus iræ, vid. v. 9, 10 & 19) *ponam enim vos, ut ſitis nomen & laus in omnibus populis terræ, cum evertero captivitatem veſtram in oculis veſtris, dicit Dominus.* Ex hoc di-
468. cto Cl. Autor futuram magnam converſionem Judæorum & reſtitutionem eorum in terram Canaan probat, idque multis aliis argumentis e Veteri Teſtamento petitis in peculiari Appendice ſubjuncta corroborat. Veroſimile videtur Cl. Autori, non omnes ac ſingulos Judæos in terram ſuam reverſuros, neque enim ab hac tantum numerum facile capi poſſe, ſed maxi-

Digitized by Google

maximam tamen illorum partem: reliquos inter Ethnicos converſos & una cum iis culturos Deum & Chriſtum, uti fortaſſis & inter Judæos Ethnici converſi ſint commoraturi. In fine ad objectiones nonnullas eorum, qui converſionem Judæorum exſpectandam eſſe negant, reſpondetur.

SELECTA MEDICA CONRADI BERTHOLDI BEHRENS, Philoſ. & Medicinæ Doctoris & in Imperiali Naturæ Curioſorum Societate Eudoxi.

Francofurti & Lipſiæ, ſumptibus Ludolphi Henrici Hauenſteinii, 1708, 4.

Pl. 12.

SElecta hæc Medica, non Medicis minus in Artis ipſius argumentum, & ægris in informationem, quam ob materiarum caſuumque varietatem Theologis, JCtis, & cujuscunque profeſſionis curioſis profutura, in VIII diſpescuntur ſectiones; quarum I de Medicinæ natura & certitudine, II de Medicis eorumque requiſitis, III de ſectis Medicorum hodiernis, IV de Medica conſultandi ratione, V de Curationibus Empiriis, VI de Pharmacopœorum, VII de Chirurgorum, VIII de obſtetricum functionibus agit; iisque Epimetrum de Magorum exiſtentia ac dignatione additur, ex quo quædam excerpta dabimus.

Pro magis non temere habendos eſſe, monet Autor clariſſimus, 1 qui ultra ſortem ſuam exactiori quadam naturæ cognitione pollentes, cœlorumque ac ſiderum motus ac influxus & ſympathias atque antipathias rerum ſingularum obſervantes, debito tempore, loco ac modo res rebus applicare norunt, hacque ratione in effectum tradunt, quæ cauſarum ignaris præſtigioſa videntur; 2 quorum naturalis conſtitutio ita ſe habet, ut e. g. in oculis ſuis adeo efficax faſcinum gerant, ut quocunque ſe vertant, etiam inviti noceant; quæ effluvia acriora quoque & magis efficacia exiſtere videntur, ubi vehementior magnumque in maſſam ſanguineam ac ſpiritus

ritus impetum concitans affectus homines ejusmodi nimium exagitaverit; 3 vetulas, hyſtericis imprimis ac melancholicis phantaſiis indulgentes; 4 quos alii ſecum epulis in monte Bructeorum vel alibi interfuiſſe judicialiter deferunt. Tria autem indicia eſſe, ad quæ in determinandis magis maxime reſpiciendum arbitratur, quorum primum præbent effectus virtutem ſupernaturalem arguentes, alterum ſtigmata docent, quæ dæmon ſuis, quibus diffidit, imprimit, tertium ab innatatione ſuper aquam deſumitur, cui lamiæ imponuntur, atque juſto Dei judicio a dæmone eum in modum ſuſtinentur, quo obſeſſi in altum interdum rapti in aere diu hærent, neque pondere ſuo deorſum delabuntur; aut alii quandoque vi pacti impliciti per aliquot milliaria ad loca diſſita deportantur. Morbi autem vere incantati ſequentibus maxime circumſtantiis artificioſe juxta ſe invicem poſitis dignoſcuntur. 1 Si perſona malæ famæ ac magiæ ſuſpecta ægrum, etiam contra ejusdem voluntatem convenire, inſpicere ac contrectare ſtuduerit, malum minata fuerit, illudque dein poſt paucas ſæpe horas ſubſecutum ſit, ac poſt appropinquationem ſuſpectæ perſonæ ſymptomata ægri exacerbentur, anxietasque & dolores extemplo augeantur, ſuſpecta vero demortua malum imminuatur; 2 ſi inuſitata ac admiranda ſymptomata occurrant, quæ ex naturalibus cauſis deduci nequeant; 3 ſi Walburgis nocte, aut quæ S. Johannis Baptiſtæ diem præcedit, circa mediam noctem inſolita quædam phænomena appareant, quæ imaginationi attribui nequeunt, morbusque eo tempore maxime affligat; 4 ſi res, quæ in humano corpore plane generari nequeunt, cum certo vomitionis modo ac felium horrendo concurrente ploratu excernantur, vel ex tumoribus admodum dolorificis, abſceſſibusque extrahantur, aut poſt mortem reperiantur. Non autem uno modo a magis morbi producuntur, & 1 eſt intuitus veneficarum acutior ac valde torvus, qui inſtar pacti impliciti eſt, quoque a venefica peracto, dæmon ad nocendum concurrere, ejusque ideas malignas per fortiſſimam imaginationem ac nocendi deſiderium excitatas in perſonam, quam impetit, cum effectu transferre tene-

Digitized by Google

tenetur. 2 attactus ſeu contrectatio earundem, qua mediante & ſumma maximi faſcinatoris agilitate concurrente res plane heterogeneas ac abſurdas in corpus alterius immittunt, quæ dein per vomitum, alvum, urinam, aures, abſceſſusque externos, imo ex carne hominis vivida, nec ullo abſceſſu vel ulcere ſcatente excernuntur; 3 halitus inſpiratio, quam lepra, abortus, pediculorum proventus inſequitur; 4 veſtigiorum lectio, quæ in ſabulo relicta & dæmonis nomine linteo excepta in camino ad ſuffumigandum ſuſpenduntur, unde dein color faciei pallidus ac morboſus exiſtat, qui tamen ceſſet, floridiorque evadat, ſi veſtigia illa linteo ſuſpenſa camino iterum eximantur, & neſcio quo loco abſcondantur; 5 fabricatio imaginis ex cera, terra vel gemmis factæ, ſimilis eidem, quem devotum deſiderant magi, in qua ſiqua pars ſive acu, ſive ſpina pruni ſylveſtris, ſive mucrone ex ligno quercino pungatur, aut clavo ferreo transfigatur, in ſimilem quoque abſentis partem morbus inferatur, ex qua dein, prægreſſo maximo dolore ac inſequente ſuppuratione clavi, acus ſpinæque egrediantur; (defoditur vero imago ſub limine, quod devovendus tranſire intendit;) 6 exhibitio ciborum naturalium ad comeſtionem; 7 certorum pulverum aliorumque ſub terram & limina defoſſio.

FRANCISCI DEULINI, ORD. MIN. STRICT. Obſerv. Monachi & SS. Theologiæ Profeſſoris Pragenſis, Philoſophia Scoto-Ariſtotelica. Tomus I Logicam & Phyſicam complectens.

Norimbergæ, apud Joannem Ziegerum, 1710, 4.

Aph. 3 pl. 2.

Autor noſter, gente Hibernus, & Franciſcanorum familiæ, ejus ſpeciatim quæ anno 1530 cœpit, & annitente Clemente VII P. R. anno 1532 confirmata, regulas conditoris ſui rigidius paullo obſervat, ſacerdos, ac *Minorita Stricta Obſervantiæ* vulgo nuncupatus, Philoſophiam docen-

do aliquoties Pragæ abſolvit, eamque ad Scoti inprimis & Ariſtotelis præceptiones accommodavit. Licet autem neget, duumviros hoſce in omnibus conſpirare; in iis tamen, quæ a ſe exhibeantur, pulcherrimum utriusque conſenſum reperiri fidem nobis facit. Hinc *Scoto-Ariſtotelicæ* nomine Philoſophiam ſuam inſignivit, ac Stagiritam & Doctorem ſubtilem geminos Philoſophiæ Patres ſalutavit, hunc ſcientiarum arborem, quam ille plantaverit, rigaſſe arbitratus. Etenim Scoti Philoſophiam Peripateticæ ſimillimam eſſe pronunciavit, ita quidem, ut in Ariſtotele Scotus Græce, in Scoto autem Ariſtoteles Latine loqui ſibi videatur. Quum igitur IV illuſtriſſimos *Comites de Sporck*, fratres germanos, Philoſophiæ hujus præceptis imbuerit, iiſdem quoque Logicam Phyſicamque, Tomo I comprehenſas, & ad Scoti Ariſtotelisque ductum formatas, conſecravit, illuſtria ſummorum virorum, Auſonii, Plutarchi, Senecæ, Apollonii, ipſiusque Ariſtotelis, qui diſcipulis purpura inſignibus, Gratiano, Trajano, Neroni, Julio Cæſari & Alexandro M. labores ſuos ſacros eſſe voluerunt, exempla ſecutus. Ne vero quis omni Scoti pariter atque Ariſtotelis cognitione deſtituatur, brevem utriusque vitæ deſcriptionem concinnavit, atque operi præfigi curavit. Joannem itaque Dun-Scotum Duni, Hiberniæ urbe, Epiſcopi ſede clara, diſſentiente tamen & Anglis ſuis eum vindicante H. Whartono, App. ad Cave Hiſt. Lit. p. 2, A. 1274 lucem aſpexiſſe, atque ingenio laborantem ſtudiis nuncium mittere voluiſſe; a Maria autem, Virgine Matre, per viſum ad continuandas literas admonitum fuiſſe, more gentis ſuæ tradit. Quamobrem Oxonium petiit, ibique in ſapientiæ ſtudio Doctor renunciatus, in patriam rediit & apud Franciſcanos nomen ſuum profeſſus fuit. Verum non multo poſt a ſuperioribus Oxonium acceſſitus, Theologiam docendi munere perfunctus eſt, & pro *immaculata*, quam vocant, *Deiparæ Virginis Conceptione* acerrime propugnare cœpit. Inde Lutetiam profectus, de eadem re cum Sorbonicis ea felicitate diſputaſſe perhibetur, ut adverſarios, confutatis ducentis eorum argumentationibus, ad incitas redegerit, & quidam ex illis, diſputatorem noſtrum

unum

Digitized by Google

unum eſſe trium, Angelum e Cœlis, Diabolum ex Inferno, aut Scotum de Duno, publice exclamarit. Quo factum eſt, ut in Sorbonenſium numerum Profeſſorum cooptatus, Doctoris ſubtilis elogium, ad memoriam poſteritatis inſigne, mereretur. Pariſiis Coloniam Ubiorum pervenit, de tribus celeberrimis, Anglica, Gallica & Germanica, Academiis, bene meritus, Oxonienſis amplificator, Pariſienſis inſtaurator, & Colonienſis fundator appellatus. Fatis conceſſit A. 1308, ætatis 34; juxta alios autem 43. Vid. H. Wharton. l. c.

De Ariſtotele, qui Scotum excipit, nihil addimus, propterea quod paucisſima, quæ de eo literis conſignavit Noſter, nemini facile ignota eſſe poſſunt. Ad ipſam vero Logicam Phyſicamque Autoris noſtri quod attinet, methodo Scholaſticis uſitata, hodieque a Romanenſibus fere recepta, utraque conſcripta eſt, & breviter ſummatimque exhibet, quæ in variis ſpiſſisque ejus generis voluminibus deprehenduntur. Qui itaque harum deliciarum cupidus eſt, ipſum librum adeat, atque evolvat. Nobis enim longius iis, quæ in eo continentur, percenſendis immorari ſupervacaneum videtur. Denique & illud vel tribus verbis monemus, hoc opus plurimis mendis, typographorum vitio & Autoris abſentiæ adſcribendis, ſcatere, quæ tamen ſingulari labore & quidem libro extremo correcta & emendata fuerunt.

Königlich-Spaniſcher Vermehlungs-Saal.

h. e.

THEATRUM CONNUBIORUM REGUM Hiſpaniæ, in quo Auſtriacorum & Gallorum jura in Monarchiam Hiſpanicam una cum Provinciarum Hiſpanicarum deſcriptione repræſentantur; Autore JOHANNE JOACHIMO MULLERO.

Francofurti, apud Chriſtophorum Riegelium, 1710, 8.

Alph. 4 pl. 5 cum figg. æn.

MUlta abhinc decennio de Auſtriaco-Gallicis in Monarchiam Hiſpanicam juribus edita ſunt ſcripta ſatis prolixa atque ſolida, quibus & præſens accenſendus venit liber, in quo Cl. Autor, jam alias nobis laudatus, utriusque partis jura in eam Monarchiam allegat, pro Auſtriacis, ut decet, pugnans. Liber in tres diviſus eſt partes, in quarum prima de Auſtriacorum jure ſuccedendi in Monarchiam Hiſpanicam agens, diſtinctis Capitibus matrimonium Philippi Auſtriaci, Maximiliani I Rom. Imp. filii, cum Johanna, Ferdinandi Catholici Reg. Hiſpan. & Iſabellæ filia, contractum obtentamque inde a domo Auſtriaca poſſeſſionem Monarchiæ Hiſpanicæ; tum lites de ſucceſſione Hiſpanica poſt Ferdinandi Catholici & Iſabellæ mortem ortas, quaque ratione Monarchia Hiſpanica penes lineam Carolinam manſerit; nuptias porro Ferdinandi III Rom. Imperatoris cum Maria, Philippi III Regis Hiſpaniæ filia, celebratas, quibus peculiare jus in Monarchiam Hiſpanicam ſuccedendi ad lineam Ferdinandinam devolutum eſt; connubium Leopoldi I Rom. Imperatoris cum Margarita Thereſia, Philippi IV Regis Hiſpan. filia, quo linea Ferdinandina novum jus ad Monarchiam Hiſpanicam conſecuta & prius magis magisque confirmatum eſt; & tandem ut, extincta obitu Caroli II Regis Hiſpan. linea Carolina, Monarchia Hiſpanica lineæ Ferdinandinæ, imprimis Leopoldo I Imp. Rom. ceſſerit, accurate expendit. Parte altera agit de prætenſis domus Borbonicæ in Gallia juribus ad Monarchiam Hiſpanicam, & orto inde poſt Caroli II Regis Hiſpaniæ mortem bello. Parte tertia conſiderat partim perſonas in Hiſpania imperantes antiqui pariter ac recentioris ævi, partim deſcriptionem ſuppeditat Regnorum, provinciarum & terrarum ad Monarchiam Hiſpanicam pertinentium. Occurrunt hic, Parte imprimis hujus libri prima, nonnulla notatu haut indigna. Ita pag. 11 & 12 curioſe deſcribitur actus, quo anno 1477 die 26 Aprilis Ludovicus Dux Bavariæ Maximiliani I Archiducis Auſtriæ & poſtea Imperatoris Romani nomine Mariam Burgundicam ſolenni ritu ſibi copulari curavit. P. 91 & 92 obſervatum eſt, Ferdinandum Catholicum Regem Hiſpaniæ Phi-

Digitized by Google

Philippo Auſtriaco, cum Toletum publice ingrederetur, primum locum conceſſiſſe. P. 111 expenduntur ceremoniæ tunc obſervatæ, cum Maximilianus I Imp. Rom. equo inſidens filium ſuum Philippum, ex Hiſpania redeuntem, inviſit. P. 135 inquirit Autor in modum, qui in variis regnis circa filiorum naturalium ſucceſſionem obtinet. P. 159 & 160 refertur, Carolum, Philippi Auſtriaci filium primogenitum, dictum eſſe Ducem Lucemburgicum, quia ipſi pater in baptiſmo Ducatum iſtum dono dediſſet. P. 233 refertur, Reges Hiſpaniæ ideo in inauguratione non ſolere coronari, quia ritus ille, alibi ſatis frequens, genti Hiſpanicæ nimis videatur vulgaris. P. 437 & ſeqq. agit Autor de conditione Regis Romani tum vivo adhuc Imperatore, tum eodem mortuo, examinans imprimis illam quæſtionem: num Rex ille Majeſtate gaudeat? Plura qui cupit, Autorem ipſum conſulere non ſine fructu poterit.

C. A. H. OBSERVATIO MORALIS DE DISTINCTIone JURIS NATURALIS in ABSOLUTUM & HYPOTHETICUM, item de diſcrimine JUSTI, HONESTI, ÆQUI ac DECORI.

MAgnis adhuc involutam eſſe tenebris ſanctiſſimam illam Jurisprudentiæ naturalis diſciplinam, & exploratum eſt inter doctos, & eo minus mirandum, quod non ita multi ei excolendæ expoliendæque ſtudium ſuum addixere. Illis ex parte diſpellendis accommodata eſſe ſentio ea, quæ jam ediſſerere ſtatui de quibusdam argumentis, a nemine, quod ſciam, clare planeque expoſitis.

Primum igitur novam propono *Juris Naturalis* diviſionem, eamque neceſſariam & explicandis difficillimis quæſtionibus idoneam. Ea iſthoc nititur fundamento. Nimirum dupliciter natura humana conſiderari poteſt, *primo*, quatenus recte ſe habet, & dictaminibus rectæ rationis ſponte obtemperat: *deinde*, quatenus corrupta & morbida eſt, impetusque a ratione averſos promptius ſequitur quam monita rectæ rationis.

Prior ſtatus facile animo repræſentari poteſt, ad eumque tendere jubet ac viam commonſtrat doctrina Ethica. In poſteriori jam conſtituti ſunt homines ad unum omnes, & , quamvis alius alio magis morbis mederi ſuis ſtudeat, tolli tamen hi penitus in vita non poſſunt.

Hinc itaque *Jus Naturale* recte diſpeſco in *abſolutum* & *hypotheticum*. *Illud* voco, quod ſimpliciter præſcribit, quæ ad felicitatem humanæ naturæ in ſe conſideratæ ſpectant, adeo ut iis ſervandis homo ſit omnibus numeris beatus perfectusque. Abſoluti hujus juris naturæ præcepta, ex univerſali illo principio: *Sectare bonum*, emanantia, hæc ſunt: *Ama DEUM, te ipſum, & homines alios.*

Hypotheticum dico, quod naturam depravatam ac perverſam ſupponit, adeoque non haberet locum, niſi natura hominum morbis affecta eſſet graviſſimis. Hoc proinde eatenus ſolum valet, ac tamdiu, quamdiu natura humana non eſt mutata in melius. Exemplis res fiet clarior. Duo ſunt præcepta juris naturæ abſoluti, quibus omnia hominum officia mutua continentur. Prius eſt, ut neminem lædas, id eſt, malo afficias: poſterius, ut cujusvis commodis ſervias, id eſt, bonum alterius promoveas. Quodſi omnes homines utriusque legis obſervantes eſſent, nec dominio locus foret nec imperio. Si enim homines omnes mutuo ſe complecterentur amore, & officia humanitatis, ut quidem debent, invicem ſibi præſtarent, proprietatis ſtudium ceſſaret neceſſe eſt. Si item nemo alterum injuria afficeret, imperio nullo humano, nulla vi externa foret opus, qua a malis mutuo inferendis arcerentur homines. Poſtea vero quam neutrum vulgo obſervatur a mortalibus, ſane ad mala, ex corrupto hoc naturæ humanæ ſtatu oriunda vel mitiganda vel avertenda certis rationibus uti jubet ratio, adeoque præſcribit, ut & dominium & imperium introducatur atque ſartum tectum conſervetur.

Ex jam dictis liquet, obligationem juris naturæ abſoluti eſſe abſolutam, hypothetici hypotheticam. Nimirum Jus illud naturæ abſolutum cum natura humana ſimpliciter con-

connexum eſt, ac proinde immutabili gaudet obligatione, eritque adeo, donec erunt homines. Sed jus naturæ hypotheticum duntaxat pro præſenti ſtatu valet ac mutationem ſubit, ſi ipſa hominis natura mutetur in melius & quaſi convaleſcat. Sic legimus, ſummo amore inter primos illos Chriſtianos flagrante ſtatim ceſſaſſe rerum dominium. Contra vehementer errant, qui hominibus ita, ut jam ſunt, affectis & animatis optime conſuli poſſe putaverunt, antiquato civili imperio & introducta bonorum communione: quod de Munzero *Sleidanus* refert *lib. V f. 100, a.*

Cum vero naturæ humanæ corruptio tribus in vitiis conſiſtat, ambitione, avaritia & voluptate, nullus tamen affectus acrioribus ac pertinacioribus ſtimulis mortales urget, & ad lædendos alios incitat, quam libido. Idcirco imperantibus in ſtatu civili maxime providendum eſt, ne per veſanam libidinem compages ſocietatis laxetur. Hoc fine non ſolum leges ſunt ferendæ, quibus occaſio libidinis exercendæ, quam fieri poteſt, longisſime removeatur, ſed &, quia tam impotens affectus reprimi aliter non poteſt, gravisſimorum ſuppliciorum metu muniendæ. Quoniam autem corruptio illa non unam vel alteram gentem invaſit, ſed univerſos infecit homines, facile apparet, cur ejusmodi leges in omnibus Rebuspublicis recte conſtitutis vigere debeant. Idcirco non modo in Republica Judaica, verum etiam in optima quaque Republica aliarum gentium, concubitus parentum cum liberis, fratrum cum ſororibus, ſevere & propoſitis exquiſitisſimis pœnis fuit prohibitus. Ex quo apparet, leges has *de inceſtu* non eſſe per ſe naturales, ſed civiles, & depravatam ad naturam accommodatas. Etſi igitur naturaliter illicitum non eſt ducere filiam vel ſororem in matrimonium: quorum prius Adamus, poſterius liberi ejus fecerunt: tamen in Rebuspublicis id eſſe debet interdictum, quia, id ſi permiſſum vulgo eſſet, in hodierno ſtatu corrupto infinitis malis panderetur aditus. En *legem poſitivam univerſalem*.

Eandem ob cauſam in omnibus bene compoſitis Rebuspublicis vetitum eſt, nudum incedere, & partes corporis libidinem.

dinem excitantes conſpectui diverſi ſexus exponere: quod quidem in ſtatu integritatis, quem vocant, vitii nihil haberet. Immo non ſolum tegumentis corporis utendum eſt hominibus, verum etiam diverſam eſſe formam veſtium utriusque ſexus merito voluerunt legislatores prudentisſimi. Ex quo ſimul patet, morem hodiernum fœminarum, a libidinoſis quibusdam Gallis invectum, quo corpus ſuum denudant ac ſumma pectoris conſpicienda & ſaltim oculis contrectanda præbent, rectæ rationi pro præſenti naturæ humanæ ſtatu adverſari: contra ei convenire, ut ex præcepto Pauli Apoſtoli fœminæ mares a conſpectu libidinem irritante omni modo arceant. Graviter ac plane philoſophice hujusmodi mulieres alloquitur *Cyprianus*, *libro de habitu virginum cap.* X: *Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudice: oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris.*

Cum igitur depravata, id eſt, a ratione averſa & in vitia proclivis ſit humana natura, jurisque ſit naturalis, non ſolum bonum ſectari, ſed etiam duobus e bonis majus eligere, hinc porro ſequitur, ut homo ſemper debeat ad majorem eniti perfectionem. Quædam enim ita comparata ſunt, ut, ſi ſecus fiat, natura humana malum inde manifeſtum ſentiat, adeoque ad naturæ conſervationem ſunt neceſſaria: quædam ita ut, ſi omittantur, natura quidem non deſtruatur, ſed, ſi fiant, melius ſe habeat, & in perfectiorem ſtatum provehatur. Prioris generis actiones *juſtas* appello: poſterioris autem generis omisſiones quidem & ipſas *juſtas*, ſed actiones honeſtas. Sic verbi gratia, pacta ſervare, furto & homicidio abſtinere, Deum colere, cibum potumque ſumere, *juſtum* omnino eſt. Per contrarias enim actiones malum infertur hominibus. Sed uxorem unam ad tempus vitæ ducere, *honeſtum* eſt: quanquam non ſit injuſtum, id eſt, ſalva natura hominis fieri posſit, ut quis plures ducat uxores, & ad certum quamque tempus.

Scilicet *bonum*, quod ſectari jubet natura, (eſt enim hæc lex naturæ fundamentalis,) eſt vel *conſervativum*, hoc eſt, ad humanam conſervandam naturam ſimpliciter neceſſarium: vel *perfecti-*

Digitized by Google

perfectivum, hoc eſt, pertinens ad humanam naturam in meliore ſtatu conſtituendam. Prius ſectari *juſtum*, poſterius *honeſtum* dicitur. *Juſtum* igitur eſt, quod vel faciendum eſt, ut natura conſervetur, vel, ſi fiat, certe natura non deſtruitur: *honeſtum*, quo facto natura perficitur. Unde qui *juſtum* ſequitur, non peccat, ſed recte facit: qui *honeſtum*, laudabilius ac rectius. Quibus verbis dum & *Grotius* alioubi utitur,(*vid. de I.B. P.I*, 2, *1*, *3*; *II*, *1*, *8*; *III*, *3*, *6*, *3*; *III*, *10*, *1*, *1*) prodit, ſe quoque per tranſennam inſpexiſſe, id eſt, obſcure confuſeque animo ſuo repræſentatum habuiſſe diſcrimen illud inter juſtum & honeſtum. Quanquam cum illud minus accurate explicaret, commentatoribus ſuis aſſidue, ſed non ſatis merito, vapulavit. Ut autem in viam redeamus, *juſtum* Deo legis naturalis (quæ non in cenſum dominicarum vel civilium, ſed paternarum legum eſt referenda,) autori placeat vel ſaltem non diſpliceat, *honeſtum* vero præplaceat neceſſe eſt. *Juſtum* igitur eſt, partim, quod ſimplicitate debet fieri, ita ut aliter ſalvi homines eſſe non poſſint: partim, quod licet facere, ita ut non deſtruatur, ſed ſalva permaneat humana natura. *Honeſtum* autem eſt, quod homines & reddit & arguit perfectiores. Ex quo ſimul apparet, virtutem certos habere gradus, per quos ad perfectionis faſtigium adſcenditur.

Sed illuſtranda uberius eſt hæc doctrina aliquot exemplis. Qui uxorem ducit, (en philoſophiam *Pauli* Apoſtoli!) *bene*, id eſt, *juſte*: qui non ducit, *melius* facit, id eſt, *honeſte*. Nimirum ſi quis libidinis ſtimulis concitatus matrimonium contrahit, is facit, quod licet, immo ſæpius facit, quod ad evitandum injuſtum fieri oportet. Contra qui, exemplo Pauli, virtute libidinem vicit, nec opus habet conjugii remedio, ac propterea eo abſtinet, is rectius facit. Qui enim ſuaviter & æquo animo in cœlibatu poteſt vivere, is neceſſe eſt libidinem naturalem ſuperarit, & perſpexerit, nimis leve eſſe hoc bonum, quam ut eo capiatur mens generoſa. Pari modo juſtum erat, cum Apoſtoli quidam ſtipendium ab eccleſiis acciperent: honeſtum vero erat, cum Paulus ad evitandam offenſionem id facere recuſaret, proprio ſibi labore victum comparans. Sic & juſtum eſt, ut ante diximus, uxo-

Digitized by Google

rem ducere ad certum tempus, vel plures adſciſcere in matrimonium: honeſtum vero eſt, unam uxorem amare, idque ad dies vitæ. Sic juſtum quoque eſt, quoties libet, cum conjuge rem habere, quantum ſalva corporis ſanitate fieri poteſt: ſed honeſtum eſt, *concubitum non appetere ultra generandi cupiditatem*, ut loquar cum *Lactantio lib. V cap. 8 n. 7*. Juſtum pariter eſt, occidere invaſorem violentum: ſed incidunt caſus, ubi honeſtum eſt, cadere malle, quam cædere. Eunuchus uxorem ducens non facit injuſte. Quod ſi enim maritis licet, ſæpius cum uxoribus congredi, libidinis ſolum reſtinguendæ cauſa, ubi non eſt pro fine procreatio ſobolis: quidni idem liceat eunucho eundem in finem? At honeſtum hujusmodi conjugium non eſt, neque decorum. Quod idem pronuntiandum duco de conjugio duorum ſenum, vel vetulæ cum adoleſcente. Unde nec neceſſe eſt, ejusmodi conjugia in Republica prohiberi: quanquam longe abſunt ab ſumma virtutis perfectione.

Obſervandum autem hic porro eſt, honeſtam actionem, quatenus ad me ipſum refertur, & immediate meam voluntatem reddit perfectiorem, ſimpliciter & καȷ' ἐξοχὴν vocari *honeſtam*: quatenus vero refertur ad alterum, cui regulæ honeſtatis aliquid præſtari jubent, proprio nomine dici *æquam*. Ex quo apparet, *æquum* honeſto non opponi, ſed eſſe aliquam *honeſti* ſpeciem. Sic verbi gratia, non eſt injuſtum, ſi damnum alteri, quem fato quodam citra culpam læſiſti, non reſarcias: ſin reſarcias, inprimis ſi opibus altero ſis inſtructior, honeſtum id & æquum erit. Ita & Princeps vocatur æquus, qui in irrogandis pœnis interdum de jure ſuo remittit, & pauliſper humanæ infirmitati indulget. Juſtus quoque erat ille creditor *Matth. XVIII*, qui debitorem ſuum, vendita uxore, liberis & ceteris rebus ſuis, ſibi jubebat ſatisfacere: ſed idem id, quod æquum eſt, faciebat, cum ſuppliciter roganti debitum condonaret. Pari modo juſtum eſt, ſi maritus ſponſam adulterii convictam publice accuſet: ſed æquum ſe præbebat olim Joſephus, cum in animum induceret, Mariam, ejusdem criminis ſibi ſuſpectam, clanculum dimittere.

Hæc

Digitized by Google

Hæc cogitatio nos perducit ad inveſtigandum & illud diſcrimen, quod inter honeſtum, juſtum ad decorum intercedit. De juſto quidem jam ſatis conſtat. Sed honeſtum novam admittit diviſionem. Nimirum honeſtum illud interdum intra latebras animi quaſi reconditum manet, & ſola honeſti viri conſcientia conſtat: nonnunquam vero prodit veluti in lucem & aliorum incurrit in oculos. Poſterius hoc honeſti genus proprio & apto nomine vocatur *decorum*. Maximum enim in virtute *decus* eſt, nec homini majus comparari poteſt ornamentum, quam ſi habeatur pro homine virtutis ſtudio aſſidue dedito, & reliquis hominibus emendatiore ac meliore. Cumque omnis pulchritudo in amorem ſui alios rapiat, hinc fit, ut decorum quoque amorem & gratiam aliorum homini conciliet, eoque ipſo odium & invidiam aliorum vel vincat vel molliat. Ex quo illud porro ſequitur, ut talis homo etiam ceteris magis idoneus ſit ad veram aliorum felicitatem, cum internam, tum externam, promovendam: propterea quod opinio virtutis autoritatem parit, & fiduciam in aliis excitat. Ergo quicquid homini gratiam & amorem aliorum, nulla quidem violata lege, conciliat, vel autoritatem ad alios adjuvandos utilem, id decorum eſt: quæ contra ſe habent, indecora ſunt. Hinc & obſervatio decori partim ad honeſtum circa officia hominis erga ſe ipſum pertinet, partim ad honeſtum circa officia hominis erga alios. Sic v. c. Paulus Apoſtolus ſi duxiſſet uxorem, id, quod juſtum erat, feciſſet: ſed decorum erat ipſi, abſtinere a matrimonio. Pariter Lutherus haud ſane injuſte fecit, uxorem ducens: at decorum utique fuiſſet, ſi pro illo rerum ſtatu a matrimonio, ſaltem cum Veſtali virgine, abſtinuiſſet. Quantum enim ea re detractum ſit autoritati ejus apud adverſarios & neutrius partis homines, docet *Sleidanus lib. V & VI.* Simul hinc apparet, unam eandemque actionem interne honeſtam & decoram eſſe poſſe. Nam decorum nihil eſt aliud, quam honeſtum in luce, ſive honeſtum externum. Ceterum cum externam honeſti ſpeciem mentiri posſint & illi, quorum animus virtute non eſt excultus: hinc decorum ſive externum honeſtum interdum deprehendere licet in ejusmodi hominibus, quibus in-

Digitized by Google

terna ac ſolida honeſtas curæ cordique non eſt, e. g. in Phariſæis, monachis & pſeudopoliticis. Uti enim non omne metallum, quod ſplendorem auri præ ſe fert, auri habet naturam; immo & plumbum ferrumve auro poteſt obduci: ita virtutis ſpeciem repræſentare poteſt homo virtute prorſus vacuum pectus geſtans. Nec illud hoc loco prætereundum eſt, decorum non conſiſtere in puncto, ſed magna gaudere latitudine, adeo ut ſæpe nil obſtet, quo minus actiones plane contrariæ decoræ ſint utræque, pro diverſitate ſcopi, temporis, rerum aliarum. Sic decore faciebat Dominus noſter, cum civili more viveret, cumque aliis ederet biberetque. Neque vero minus decorum erat, cum Joannes Baptiſta plane contrariam ſequeretur vivendi rationem. Sic alio tempore Paulus Timotheum circumcidens decorum tuebatur: alio non modo indecorum, ſed plane injuſtum arbitrabatur, circumcidere Titum.

Ex natura *honeſti* hactenus perveſtigata etiam illud cognoſci poteſt, honeſtum dependere a cultura animi, ac tempore opus habere, nec proinde legum poſitivarum vi aut coactione obtineri, ſed propria cujusque induſtria, exemplis aliorum & amicis exhortationibus excitata. Unde ſtulte & imperite faciunt, qui homines per ſaltum quaſi quendam ad honeſtum evehere conantur: id quod uno exemplo demonſtrabo. Dixi antea, honeſtum eſſe, ſi quis in cœlibatu vivat, nullo Veneris œſtro percitus. Cum autem, ut ſupra itidem monui, hic affectus omnium facillime arcem humanæ mentis expugnet, recte utique facit, qui infirmitati naturæ quodammodo indulgens uxorem ducere, quam uri, mavult. Pedetentim enim in conjugio voluptatis iſtius ignobilitatem agnoſcere, ac fortaſſe plane ad continentiam, exemplo quorundam priſcæ ætatis Chriſtianorum, pervenire poſſunt virtutis ſtudioſi conjuges. Quemadmodum enim infantes greſſum tentaturi ſuſtentaculo opus habent, alioqui lapſuri: ſic homo quoque adultus per gradus ab imbecillitatibus ſuis liberandus eſt. Quare infantes temere ac ſine ſerperaſtris ambulaturos, & ſic proruendo caput miſere ad terram allidentes, imitantur, hoc eſt, ſtultitiam ſuam produnt, qui Paulo Apoſtolo

Digitized by Google

poſtolo intempeſtive æmulaturi voto ſe vel alios ad cœlibatum adſtringunt. Ex quo luculente patet imprudentia eorum, qui inſtitutorum monaſticorum vel autores vel approbatores ſe præbuerunt. Quibus & ii ex veteribus ſunt adjungendi, qui nuptias ſecundas ſimpliciter veritas noluerunt eſſe.

Ceterum nec illud obſcurum poteſt eſſe, non licere a juſto ad honeſtum tranſire, ſi eo facto alter lædatur, adeoque contra aliam juſti regulam peccetur. *Honeſtum* enim *injuſtum* eſt σιδηρόξυλον. Unde manifeſti criminis rei ſunt, qui ſponſo ſponſæve ſuadent, ut vel invita parte altera cœlibatui voto ſe adſtringat, atque ita matrimonio renuntiet. Sic & Paulus *1 Cor. VII, 5* negat, alteri conjugum licere continentiæ ſe addicere, niſi impetrato alterius conſenſu. Ex eadem hac cauſa non dubito inconſultam pronuntiare illam Joannis *Gerhardi*, meritiſſimi ceteroquin Theologi, ſententiam, quam *Tomo VII Loc. Theol.* ſtatuit, ſi Turca polygamus ad Chriſtianam tranſeat religionem, eum cogendum eſſe, ut miſſis uxoribus ceteris retineat unam. Nimirum credebat bonus vir, polygamiam ſimpliciter Juri naturali repugnare, (hanc enim rationem adjungit,) adeoque diſpenſationem hic locum habere nullam. Melius longe philoſophatus eſt Apoſtolus, qui Judæis recens converſis iniquiſſimum illud onus non imponebat, ſed, ut ſenſim abrogaretur polygamia, epiſcopos ac diaconos monogamos eſſe, exemplumque conjugii honeſtioris ceteris præire jubebat.

Jam facile reſponderi poteſt ad quæſtionem illam, utrum etiam ſimus ad *honeſtum* obligati, non ſolum ad *juſtum* ſervandum? Nimirum omnino jubet ratio, vel potius Deus per dictamen rationis, ut ſemper tendamus ad altiora. Verum cum, ut dixi, ſæpe ipſa natura nimis corrupta obſtet, quo minus id ſine intervallo fieri poſſit, tunc juſtum ſufficit & conatus in honeſto magis magiſque proficiendi. Leges autem civiles plane non obligant ad honeſtum, niſi ex accidenti, quatenus ſcilicet juſtum interdum nimis exiguo ſpatio ab injuſto ſejunctum commode permitti civibus & promiſcue non poteſt. Hinc exempli gratia legibus conſtitutum eſt, ut matri-

monium ſit viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Eandem ob cauſam polygamia & proxime cognatorum conjugia ſunt in civitatibus prudenter inſtitutis interdicta.

Ne vero quicquam obſcuritatis relinquatur ex homonymia honeſti, eam hic paucis explicabimus. Plerique enim confuſiſſimam honeſti ideam animo conceperunt. Ac recte obſervavit *Jo. Clericus Art. Crit. P. II Sect. I cap. 9 §. 9 p. 376*, ethnicos Philoſophos id *honeſtum* vocare ſolitos, cujus rationem reddere nullam poterant. Idem contigit *Puſendorſio*, qui id, quod bonum eſſe ipſi videtur, nec tamen ex ipſius principiis perſpicue deduci poteſt, *æquum* appellat, & ad hoc aſylum in difficillimis quæſtionibus confugit. Honeſtum igitur primo dicitur, quicquid legibus eſt conforme. Atque hoc ſenſu honeſtum & juſtum ſunt ſynonyma. Quando vero honeſtum juſto opponitur, tunc honeſtum *interdum* idem ſignificat, quod decorum: quo ſenſu a *Cornelio Nepote* in præfatione, & ab aliis paſſim uſurpatur. Huc pertinet, quod hodie *honeſtum virum* Galli & aliæ gentes vocant eum, qui non peccat contra leges & mores civiles. Videatur *Clericus T. II Parrhaſ. p. 237 ſqq. Interdum* id *honeſtum* dicitur, quod imperfecta: *juſtum*, quod perfecta obligatione præſtare debemus. Denique *interdum juſtum* vocatur, quod ſi faciam, alter de illata ſibi injuria queri non poteſt, licet per ſe divinæ voluntati repugnet: honeſtum quod exacte legi reſpondet. Hoc ſenſu e. g. juſtum eſt, ulciſci inimicum, necare obſides, &c. ſed non honeſtum. Huc pertinet Jureconſultorum illud: *Non omne, quod licet, honeſtum eſt.* Poſtrema hæc diſtinctio convenit cum illa *Grotii*, qua juſtitiam dividit in *internam & externam.*

JO. GEORGII LEUCKFELDI, PAST. PRIM. Groning. Antiquitates Michaelſteinenſes & Amelunxbornenſes; quibus accedit JO. LEZNERI Relatio de Abbatia Luccenſi ex MS. cum annotationibus edita. Germanice.

Guel-

Guelferbyti, ſumptibus Godofr. Freytag, 1710, 4.
Alph. 1. plag. 18.

CUm ſeculo XII Ordo Ciſtercienſis paulo ante conſtitutus longe lateque ſe diffunderet, in inferiore Saxonia, præter cetera monaſteria Michaelſteinenſe, Amelunxbornenſe & Luccenſe incolere cœpit. Horum adeo accuratiorem notitiam Cl. Leuckfeldius cum Republica literaria communicaturus, ea, quæ de ſingulorum origine, fundatoribus, ditione & Abbatibus cum ex editis tum latentibus monumentis conquirere potuit, more inſtitutoque ſuo diligenter expoſuit. Ac duorum quidem priorum hiſtoriam ipſe totam concinnavit: adjectam vero de ultimo relationem ex Jo. Lezneri, ſacerdotis quondam Iberienſis in ditione Grubenhagenſi, commentariis edidit, & annotationibus ſuis illuſtratam ad noſtram usque ætatem continuavit. Ille enim, præter alios, quos edidit, libros hiſtoricos, Chronicon Brunſuicenſe, Luneburgenſe ac Gottingenſe Univerſale ab O. C. usque ad ſua tempora pertexere conſtituerat, eique ipſos XXX annos jam impenderat, ſed morte interveniente, opus affectum reliquerat. Hujus deinde undique diſperſi partes quædam & imprimis integer liber tertius in manus Noſtri inciderunt, qui, cum præ ceteris hiſtoriam Luccenſem fuſe ibi explicatam deprehenderet, eam luce publica diutius privari noluit.

Ut ex iis, quæ in utrisque memoratu digna occurrunt, unum vel alterum ſaltem indicemus, p. 11 origo fabulæ de XIM virginibus martyribus ob oculos ponitur, cui ſcilicet juxta ſententiam Sirmondi ex Valeſianis p. 48 repetitam occaſionem dedit martyrologium perperam intellectum, in quo ſcriptum erat: *S. Vrſula & Undecimilla Virgines martyres.* In Lezneri relatione p. 116 ſeq. memorabile eſt veritatis teſtimonium Engelharti Arnoldi, Conventualis Luccenſis, propter adhibitam precandi formulam matutinam, juxta quam *ſolam fidem in Chriſtum, non opera legis vel carnis, neque ordinis vel ſanctitatis ſuæ* ſibi *ad ſalutem ſufficere*, profitebatur, monaſterio expulſi, deinde Hamburgum delati, ibique A. 1389 in eadem hac fiducia defuncti, ſed ea de cauſa funeris publici honore priva-

privati. P. 113 Literæ Reverendiſſimi Dn. Gerhardi Molani, hodierni Abbatis Luccenſis, A. 1698 ad Theologos Helmſtadienſes ſcriptæ inſeruntur, quibus mendacium famæ, qua ad Eccleſiam Romanam tranſiiſſe dicebatur, refellit. P. 122 ſeqq. recenſentur variæ fortunæ viciſſitudines, quibus Woldemarus Canuti Regis Daniæ filius patrio Regno expulſus, & primo quidem Epiſcopus Bremenſis electus, tandem vero Conventualis Luccenſis factus, & in hoc monaſterio ſub initium ſeculi XIII defunctus eſt.

LA THEORIE ET LA PRATIQUE DU JARDINAGE.

h. e.

THEORIA ET PRAXIS HORTICULTURÆ.

Pariſiis, apud Johannem Mariette, 1709, 4.

Conſtat 1 Alph. 4 plag. & 32 Tabb. æn.

EQuidem varii vario ſermone de horticultura tractarunt; ſed Autoris inſtitutum prorſus ſingulare exiſtit. Cum enim alii curam potiſſimum plantarum, florum & arborum deſcripſerint; Noſter Architecturam quandam hortorum edidit, opus adeo non hortulanis modo & quotquot hortorum cultura curæ cordique eſt, ſed ipſis etiam Architectis profuturum. In duas autem partes diſpeſcitur. Altera theoriam; altera praxin complectitur. In prima ſcilicet de electione ſoli, de diſpoſitionibus & diſtributionibus hortorum generalibus, de areolis hortenſibus, ambulacris, nemoribus, aggeribus ceſpite munitis, porticibus, pergulis vitiariis, umbraculis, antris, ſtatuis, vaſis, ſcamnis, aliisque hortorum ornamentis agit. In altera præmiſſis praxibus nonnullis Geometricis ſolum complanare, aggeres terreos & ſcalas excitare, diſtributionem horti animo conceptam & in charta delineatam quoad ſingulas partes in ipſo ſolo deſignare docet. Deſcribit quoque arbores hortis convenientes una cum modo eas plantandi, & curam plantarum contra morbos præſertim & inſecta tuendarum, docens ſimul, quomodo ex ſemine gignantur. Et quoniam hortis decus non infimum fontes ſalientes & aquæ lapſus conciliant; non modo omnem apparatum hydraulicum huc facientem repræſentat, ſed & libellationem atque deductionem aquarum explanat.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. X.

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS, CUM integris obſervationibus Nic. Rigaltii & ſelectis aliorum. Recenſuit, ſuasque notas adjecit JO. DAVISIUS, Coll. Regin. Cantab. Socius. Præmittitur Fr. Balduini Diſſertatio, rerumque & Latinitatis Indices ſubnectuntur.

Cantabrigiæ, impenſis Jo. Oweni, 1707, 8.

Plag. 15.

M. MINUCII FELICIS OCTAVIUS CUM integris Woweri, Elmenhorſtii, Heraldi & Rigaltii notis aliorumque hinc inde collectis, ex recenſione JACOBI GRONOVII, qui emendationes & explicationes ſuas adjecit. Accedunt Cæcilius Cyprianus de Idolorum vanitate, & Julius Firmicus Maternus V. C. de Errore profanarum religionum.

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſtein & Sam. Luchtmans, 1709, 8 maj.

Alph. 1 plag. 11.

QUanta Virorum eruditorum tum in illuſtrando, tum in publicando M. Minucii Felicis Octavio diligentia fuerit, tot eorundem notæ varii generis doctrina refertæ,

Digitized by Google

tot editiones abunde teſtantur: quarum pleraſque tum Lucæ Holſtenii Exercitatio de Veribus, quorum Minucius c. XXI meminit, a Gronovio p. 209 & ſequ. allata, tum Præfatio ab Ouzelio huic ſcriptori in lucem emiſſo præfixa repræſentat, qui etiam ſingulis editionibus brevia de iisdem judicia ſubjungit. Uterque vero Index nonnulla continet, quæ in altero minus reperiuntur, adeoque alter alteri ſupplendo inſervit. Nec omittendus eſt Rigaltius, qui & ipſe in Præfatione de variis Minucii editionibus diſſerit. Præter eos, quos Lucas Holſtenius atque Jacobus Ouzelius commemorant, hoc opus (quod etiam Tomo III Bibliothecæ Patrum continetur) denuo in aſpectum orbis eruditi protulerunt ipſe Ouzelius, cujus editio primo Lugduni Batavorum A. 1652, 4 & deinde rurſus ibidem A. 1672, 8 cum ipſius & aliorum obſervationibus in lucem prodiit, & Chriſtophorus Cellarius, qui illud brevibus notis a ſe conſcriptis explanatum Halæ a. 1699. 8. typis mandandum curavit, cujus editionis etiam in Actis noſtris A. 1699 menſe Junio p. 246 & 247 mentio facta eſt. Minime quoque præter hos negligendus videtur Ablancurtius, qui hunc libellum in linguam Gallicam a ſe translatum Lutetiæ Pariſiorum A. 1646 chartis duodecim paginarum edidit. Hos tandem nuper ſecuti ſunt Viri Clariſſimi, Joannes Daviſius atque Jacobus Gronovius: quorum quid uterque in ſua editione præſtiterit, nunc paucis indicandum eſt. Quod igitur ad Daviſium attinet, qui & Julium Cæſarem nuper accurate vulgavit, ut patet ex Suppl. T. IV Sect. VII, is primo hic Franciſci Balduini diſſertationem de Minucio Felice, deinde integras Nicolai Rigaltii notas exhibet, quod, ut in Præfatione monet, agmen is inter interpretes Minucii ducere ipſi videretur. His ſelectas Ouzelii, Heraldi, Meurſii, Cellarii, Elmenhorſtii, Perizonii, Wowerii & paſſim ſuas obſervationes adjungit, in quibus nonnunquam reliquorum Interpretum errores emendat. Ita perſtringit Meurſium, ad c. II p. 45, 1, qui ante verba hujus capitis: *Itaque cum diluculo ad mare inambulando litore pergeremus*, nonnulla deeſſe arbitratur, itemque Fulvium Urſinum, Jacobum Ouzelium & Chr. Cellarium ad c.

V p. 53,

V p. 53, 2, quod, contra manuſcriptorum codicum autoritatem, verba: *Quo minus mirum eſt, nonnullos tædio investigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temere ſuccumbere, quam in explorando pertinaci diligentia perſeverare*, ita mutent, ut Fulvius Urſinus in locum vocis *penitus* vocem *potius* ſubſtituat, reliqui autem duo eandem hanc vocem *potius* inter voces *temere* atque *ſuccumbere* interjiciant, ſequente particula *QUAM* ad id faciendum adducti. Veruntamen ſæpius omitti *potius*, licet *quam* ſubſequatur, locis ex Cornelii Nepotis Datame c. 8, Livii L. XXIII c. 43 & Auli Gellii N. A. L. II c. 7 petitis Daviſius demonſtrat, qui & Græcos eodem loquendi genere uſos fuiſſe probat. Id quod etiam jam ante ipſum oſtendit Lambertus Bos in libello de Ellipſi Græca in voce μᾶλλον, & ante hunc Taubmannus in notis ad Plauti Menæchm. Act. V Sc. I v. 21 & ad ejusdem Rudent. Act. IV Sc. IV v. 70 & plures alii obſervarunt. Clariſſimum Perizonium ſub cenſuram vocat ad C. V p. 59, 2, quod in verbis: *qui adhuc rudi ſeculo in ipſius mundi natalibus meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges?* nulla neceſſitate adductus pro voce *faciles* ponat *patres*, Wowerum ad C. XVI p. 95, 2 ex vocibus, *ut potero, pro viribus* duas priores tollentem, propterea quod eadem plane illarum, quæ ſubſequentium, ſit ſignificatio, cum tamen conſtet, Scriptores Afros voces idem ſignificantes non raro conjunxiſſe, id quod etiam facit Julius Cæſar de B. G. L. I c. XXVI de Helvetiis dicens: *eaque tota nocte continenter ierunt, nullam partem noctis itinere intermiſſo &c.* Rigaltium ad c. XVII p. 102 & 103, 4 *hiberna olivitate* hibernam uliginem deſignari aſſerentem, ubi his vocibus metonymice uſurpatis ipſam hiemem innui putat Daviſius, iis, quæ antecedunt, id docentibus. Fulvium Urſinum denuo ad c. VIII p. 69, 2, quod ex verbis *Athenienſes viri* ultimum tollat & a ſcriptoribus Romanis populorum nominibus *viri* vocem interdum addi & J. Cæſaris & aliorum exemplis oſtendit. Potuiſſet etiam, ut alias ſolet, addere, Romanos, ut in aliis, ita in hoc quoque loquendi genere Græcos imitatos fuiſſe. Nam in Herodoti L. I legimus: Σόλων ἀνὴρ Ἀθηναῖος, & eodem

eodem libro: ἀνὴρ Βαβυλώνιος. Præterea loca quædam vitiis laborantia levi mutatione corrigit, interdum & indicat, ubi Minucius ad Ciceronem reſpexerit, inprimis autem voces ſingulares, quarum vel forma, vel ſignificatio rarior eſt, diligenter illuſtrat. Inſpiciatur c. II p. 44, 1, ubi vocem *aſſiduitas* continuam præſentiam denotare probat, id quod reliqui interpretes monere neglexerunt, præter Gronovium, qui eandem huic voci ſignificationem tribuit. C. VIII p. 69, 1, ubi *humanitatis* voce genus humanum ſignificari docet, eandemque Græcos voci ἀνθρωπότης interdum ſignificationem adſcribere obſervat. Ubi tamen monendum eſt, ea, quæ de *humanitatis* voce a Daviſio afferuntur, præter Arnobii locum, jam ab Heraldo, Wowero & Elmenhorſtio obſervata fuiſſe. C. IX p. 73, 2 vocem *promiſce* textui reſtituit, & ex Gellii N. A. locum in medium profert, ex quo intelligi poteſt, eam non plane inuſitatam eſſe, codicis manuſcripti autoritatem ſecutus. Minime vero, ut putat, in omnibus editionibus *promiſcue* reperitur. Nam, Gronovio referente, tum Rigaltiana, tum hanc ſecuta Leidenſis A. 1645 *promiſce* exhibet. C. XVIII p. 105, 3 clariſſime demonſtrat, locum in Ciceronis L. II de N. D. c. 52 extantem Minucii ſcribentis animo obverſatum fuiſſe, cujus verba ita ſe habent: *Ægypti ſiccitatem temperat Nilus, colit Euphrates Meſopotamiam, Indus & ſerere orientem dicitur & rigare.* Tullii vero locus eſt ejusmodi: *Ægyptum Nilus irrigat, Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates: Indus vero non aqua ſolum agros lætificat & mitigat, ſed etiam conſerit. Magnam enim vim ſeminum dicitur ſecum deportare.* Eundem vero Wowero deberi, ex illius obſervationibus perſpici poteſt. Interim ibidem meminit, hunc ipſum locum auctiorem extare in MS. quam lectionem Wowero, Heraldo & aliis pro gloſſemate habitam ipſe probat, ut & Gronovius, qui tamen locum aliter diſtinguit. Ita enim ſcribitur Daviſio: *Ægypti ſiccitatem temperat Nilus amnis; colit Euphrates Meſopotamiam; pro imbribus penſat Indus flumen & ſerere orientem dicitur & rigare.* Gronovio vero hoc modo: *Ægyptum temperat Nilus amnis: colit Euphrates Meſopotamiam*

pro

Digitized by Google

pro imbribus:penſat Indus: flumen & ſerere orientem dicitur & rigare. C. VII p. 66, 2, ubi reliqui legunt: *Omitto veterem, quæ multa ſunt, & de Deorum natalibus, donis, muneribus: negligo carmina Poetarum: prædicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne vobis antiquitas nimium fabuloſa videatur,* ipſe legit: & de Deorum natalibus, donis, muneribus negligo carmina Poetarum &c. Paſſim etiam aliorum ſcriptorum loca, quæ ad illuſtrandum Minucium affert, corruptionis ſuſpecta corrigit, & difficiliora explanat. Inſpiciatur c. XXI p. 121, 1, ubi locum Ciceronis L. I de N. D. c. 42 ita vulgo extantem: *Quid Prodicus Chius? qui ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, Deorum in numero habita eſſe dixit,* ſic legit: *Quid Prodicus Ceus* &c. & Eraſmum atque Jo. Alb. Fabricium, Chium eundem appellantes, erroris accuſat, Suidæ atque Platonis hunc Sophiſtam κεῖον vocantium autoritate nixus. Diviſionem capitum eam retinuit, quæ clariſſimo Cellario placuit, ut & ejusdem rerum atque verborum obſervatione digniorum indices, quos tamen nonnihil immutavit; quibus indicem autorum veterum in notis aut emendatorum, aut illuſtratorum adjecit. Sed de Daviſio hactenus. Nunc de Gronovio dicendum eſt. Is codicem MS. qui Lutetiæ Pariſ. eſt, denuo conſulendum curavit & præter integras illorum notas, quorum titulus mentionem facit, ſelectas quoque aliorum affert, quos inter imprimis ſunt Meurſius atque Ouzelius, quem ultimum tum in Præfatione, tum in obſervationibus ſuis acerbe perſtringit & tantum non ubique aut commiſiſſe plagium, aut attuliſſe ſuperflua, evincere conatur. E contrario Joannem Pricæum propterea commendat, quod in notis ad diverſos S. Scripturæ libros, itemque in obſervationibus ad Apulejum varia Minucii loca illuſtraverit. Meminit etiam in Præfatione notarum a Salmaſio, Brummero & Ernſtio in Minucium confectarum. In notis ſuis nonnunquam Gallicum Interpretem & ceteros ſæpius corrigit, loca ſcriptorum & maxime Ciceronis, ad quæ Minucium reſpexiſſe arbitratur, indicat, nonnulla emendat, voces vel ob formam, vel ob ſignificationem memorabiles illuſtrat, & interdum loca reliquis

commentatoribus prætermiſſa aggreditur. Quæ ut clarius ab omnibus perſpici atque cognoſci poſſint, quædam ex iisdem decerpta legentium oculis exponenda ſunt. C. I p. 3 & 4 occurrunt verba: *ut ipſe quodammodo mihi viderer in præterita redire, non ea, quæ jam tranſacta & decurſa ſunt, recordatione revocare*, ad quæ Cellarium, quo jure, quave injuria, carpere videtur. Enimvero *nullum prorſus*, inquit, *ex illis quæ allinuntur ab Cellario, poteſt videri fuiſſe, quod ſectatus ſit Minucius.* At vero, quisquis Cellarii obſervationem inſpexerit, is facile intelliget, virum clariſſimum loca ex Plauto, Lucretio & Solino eo tantum conſilio adduxiſſe, ut indicet, formam *decurſa* Latinis ſcriptoribus non inuſitatam eſſe, minime vero, quod Minucium ſcribentem ad quempiam ex illis attendiſſe arbitretur. Hic enim obſervationis ejus eſt exorſus: *Non inſueta Latinis forma*, quibus verbis ipſa loca ſtatim ſubnectit. Interim recte dicit Gronovius Ciceronem ita locutum eſſe, quamvis id minime probaverit. Nam ſub finem orationis pro P. Quintio *prope acta jam*, inquit, *ætate, decurſaque.* Ad c. IV p. 35, ad verba: *ſi mihi quaſi novus aliquis, & quaſi ignarus partis utriusque conſidas*, exemplis ex Cicerone atque Livio petitis oſtendit, vocis *mihi* abundantiam lingua Romana loquentium conſuetudini plane conſentaneam eſſe, perſtringitque Ouzelium, qui dubitare videtur, an *conſidere alicui* Latina ſit loquendi ratio, locoque *conſidas* legit *confidas*, Oxonienſem editionem ſecutus. Ad c. IV p. 36, 1 Minucium ad Ciceronem, ibid. p. 32, 1 ad Virgilium attendiſſe putat, id quod alibi quoque facit. Utrum vero ubique ſcopum ſuum attigerit, aliis judicandum relinquimus. Ad c. VIII p. 82, 4, ad verba: *in publicum muta* tum ex ipſius Minucii c. XIX, tum ex Quintil. Decl. XIII demonſtrat, in *publicum* loco in *publico* recte dici. Ad C. XI p. 113, 1 *dicere* nonnunquam idem denotare, quod *addicere*, locis ex Cicerone atque Plauto allatis declarat. Ad C. II p. 13, 3 locum illuſtrat, quem reliqui Interpretes penitus neglexerunt, docetque, veteres aquam marinam nervis utiliſſimam exiſtimaſſe. Cum Minucio conjunxit Cæcilium Cyprianum de Idolorum vanita-

vanitate, tum ſuis, tum Rigaltii notis inſtructum, & Julium Firmicum Maternum de Errore profanarum religionum, in Ouzeliana etiam editione Minucio adjunctum, ac Woweri, Joſephi Scaligeri & ſuas obſervationes adjecit. Ultimum locum Franciſci Balduini diſſertatio, nonnulla Virorum doctorum loca Octavium Minucio Felici vindicantium, Rigaltii Præfatio de variis editionibus Octavii Minuciani, emendandorum & addendorum, tum in contextu, tum in notis, & rerum, verborumque memorabilium, partim in ipſo Minucii Felicis Octavio, partim in notis occurrentium, Indices occupant.

DIARIUM PATRUM, FRATRUM, ET SORORUM Ordinis Minimorum Provinciæ Franciæ ſeu Pariſienſis, qui religioſe obierunt ab A. 1506 ad 1700; Autore R. L. RENATO THUILLIER, ejusdem Ordinis & Provinciæ pluries Exprovinciali.

Pariſiis, apud Petrum Giffart, 1709, 4.
Alph. 3 pl. 6.

IN limine operis, quod in privatos uſus ſcriptum typis committere a Capitulo provinciali A. 1707 celebrato juſſus eſt Autor, de conventibus agitur Minimorum Provinciæ Franciæ, quæ Franciſco Paulano adhuc ſuperſtite coaluiſſe aſſeritur, nunc XXVIII conventus complexa, quorum primarius eſt Nigeonenſis prope Pariſios, Moniales hujus ordinis primum A. 1621 a P. Franciſco Ripariano inſtitutæ ſunt, Patribus primum repugnantibus, ſed Pontifice & Rege annuente. In Diario ipſo memoriæ ſecundum dies, quibus ſinguli obiere, diſpoſitæ duos Tomos, quorum quilibet ſex menſes complectitur, conſtituunt. Ingens hic illorum numerus, qui ſplendido loco nati, aſperrimi ordinis diſciplinam ſeculo prætulere. Plures adhuc ob miram in ſemet auſteritatem, abſtinentiam, patientiam, humilitatem, in oratione conſtantiam, ac alias virtutes; nonnulli etiam ex fratribus peculiarem ſimplicitatem, aut in colligendis eleemoſynis ſolertiam paſſim commendantur, quamvis elegantioris

tioris ſtyli laudem Autor non videatur quæſiviſſe. Nos aliquorum mentionem repetemus, quos in rem literariam, ſuamque religionem merita ab aliis diſtinguunt. Quanquam vero eruditionis laude iſtum ordinem illuſtraverint Abrahamus Patron, Antonius Dupro, Stephanus Maulguin, Franciscus de Theis, Nicolaus Barræus, Nicolaus Lesguillierius, Ægidius Camart, Claudius Rangolius, Petrus Piiart, Franciſcus Giry, Joh. Dehem, Simon Martinus, Antonius Eſtienne aliique; memorabilia tamen, quæ de iis referantur, haud habemus.
P. I p. 228. P. Adriano autem Druelle ut hic locum demus, facit cura illa, qua Bibliothecam Conventus Ambianenſis in ordinem redegit,
II, 224. multisque acceſſionibus locupletavit. Obiit A. 1673. P. Olivarius Chaillou, qui A. 1643 deceſſit, in cœnobio Minimorum Pariſino præclaram Bibliothecam inſtituit. Utrumque in iſto be-
II, 6. nefactorum genere ſuperavit Ludovicus Donius d' Attichi, Regienſis primum ac deinde Auguſtodunenſis Epiſcopus, clarus opere, quod tribus primæ magnitudinis tomis de S. R. E. Cardinalibus, qui a ſex & amplius ſeculis pietate floruerunt, A. 1660 Pariſiis edidit, qui, quam ſibimet collegerat Bibliothecam, cœnobio Belnenſi legavit. Deceſſit A. 1664. His jungimus P.
I, 263. Sebaſtianum Quinquet, qui in conventu Brienſi Bibliothecam aut primus inſtituit, aut inſigniter auxit. Fato functus eſt A. 1685. Nicolaus Barræus præclarius de ordine ſuo, omnique Gallia meritus eſt, qui Magiſtras Scholarum, in quibus ſequior ſexus inſtituitur, & earum ſeminaria primus erexit. Præcox in illo pietas commendatur, qui vix decennis Deo ſe devovit, & acri diſciplina in puerile corpuſculum animadvertit. Poſtquam adolevit XXVII annos, ſpiritualibus tentationibus altisſique ſpeculationibus fuit exercitus, a quibus illum mors A. 1686 liberavit. Illuſtre Polygraphi exemplum daturus forte fuiſſet Franciſcus de la Noue (Lanovius) qui omnibus ſe honoribus Eccleſiaſticis abdicavit, ut operibus ſuis elaborandis vacare poſſet. Stuporem meretur catologus librorum, quos
II, 11, 15. meditatus eſt, ab ipſo editus, & hic denuo repetitus. Sed illa, quibus nec longiſſima vita ſuffeciſſet, paralyſis, quæ quatuordecim ante obitum annis virum afflixit, A. 1670 intercepit.

Digitized by Google

pit. Inter editos eſt Chronicon ordinis Minimorum, cujus P. I a p.222-
prolixiores multo Annales pollicitus eſt. Inter promiſſos, poſt 251.
alios ſpecioſi & laborioſiſſimi vaſtiſſimiq; argumenti apparent: Centuriæ Catholicæ Magdeburgenſibus antiſtrophæ, ſeu Hiſtoria Eccleſiaſtica de ſeculo in ſeculum ſub iisdem titulis diſpoſita, quibus Magdeburgenſes ſuas Centurias digeſſerunt, quo facilius & ipſo quaſi conſpectu errores eorum & fallaciæ deprehendantur, arguantur & revincantur. Schedæ ejus ad Bibliothecam conventus Pariſienſis devenerunt, quarum quibus-
dam Autor noſter frequentiſſime utitur. P. Hilarion de Co- II, 71 ſeq.
ſte Monaſticæ familiæ decus eſt, cui lucem affudit ſcripto A. 1655 Iconiſmo S. Franciſci Paulani, ordinis Minimorum Inſtitutoris, cum notis & probationibus ad hiſtoriam neceſſariis; ut & vita Johannæ Franciæ Duciſſæ Biturigum Fundatricis Annuntiatarum. Præcipuum vero opus illius eſt Hiſtoria Catholica Seculi XVI & XVII, de vitis & rebus geſtis tam virorum, quam mulierum pietate, doctrina & religione catholica inſignium, Pariſiis A. 1625. Ceterum & Ordinis hujus hiſtori-
cis accenſendi ſunt P. Jo. Cannartus, anno 1589 defunctus cujus I, 5.
ſumma privilegiorum ordini Minimorum a ſummis Pontificibus
conceſſorum Pariſiis prodiit; P. Petrus Naudæus Provincialis, I, 255.
qui A. 1598 e vita migravit, & Pariſ. 1596 Regulam cum præmiſſa compendiaria enarratione inſtitutionis ordinis Minimo-
rum edidit, & Matthæus Bourdin, qui vitam Magdalenæ Vi- I, 258.
gneron ordinis Minimorum tertiariæ publicavit Pariſiis A. 1689, ut alios vitarum particularium ſcriptores plurimos omittamus. Potius quosdam ob morum laudem aut cenſuram celebratos
producamus. P. Jacobus de la Houſſaye, cujus memoria d. 22 A- I, 176.
prilis, A. 1644 ei emortuali, celebratur, ſilentium tam ſtricte obſervavit, ut plane mutus exiſtimaretur, ac vix ullam per totum vitæ tempus fœminam conſpicere auſus eſt. In P. Petro Hangart, qui A. 1579 e vivis exceſſit, reprehenditur, quod in concionibus dicendi finem tempeſtive facere non po-
tuerit. Cui ſimilis fere fuit P. Michael Gorgeu, qui præter I, 181.
ſcripta edita, operi de Cardinalium origine, inſtitutione, & officiis A. 1673 immortuus eſt. Ille enim miſſam celebrans tan-

Digitized by Google

tum ſæpe temporis devotioni indulſit, ut ingens inde cœtui ipſius tædium oriretur. Nonnulli vel ob mortem ſuam recenſeri hic merentur, quam aliquando miſerabilem aut
P. II p. 16. certe ex levi occaſione inopinato oppetiere. Ita P. Stephanus Molien, inſignis Theologus, cum A. 1671 auditorum quendam aquis vellet eripere, ipſe iis periit. P. Stephanus Bonvil-
II, 76. lers, eruditionis & concionum gratia multum florens, e ſupremo tabulato mortuus decidit. P. Simon Descots, vitam volucri ſervaturus, ſuam amiſit A. 1619. Cum enim divinioribus literis in ſeceſſu Vicennenſi operam daret, vidit imminentem perdici accipitrem a regiis venatoribus emiſſum, & ad avolandum miſeram avem concitaturus, adeo vocem intendit, ut venam rumperet, quæ ut rurſus coaleſceret, nullis medicaminibus a-
II, 179. digi potuit. Singulare quoque mortis genus fuit, quo deceſſit Sebaſtianus de la Villa, totius Provinciæ Procurator Generalis. Quippe opifex quidam e culmine domus in humeros forte prætereuntis delapſus, ita illum conquaſſavit, ut animam inde efflave-
II, 91-113. rit. Recenſionem noſtram obſignabimus vita Marini Merſenni, maximi e Minimorum ordine Viri. Natus ille tenui loco Anciaci incelebri apud Cœnomanos oppido, quod a popularibus Oyſe vocatur, A. 1588 die VI Idus Septembris. Primo in ipſa Cœnomanorum urbe, deinde Flexiæ apud Patres S. J. & Pariſiis inſtitutus, A. 1612 d. 17 Julii tyrocinium apud Minimos iniit. Ab illis Subdiaconus initio, mox Diaconus & Presbyter Nivernum miſſus eſt, & juniorum Fratrum Philoſophicis ſtudiis præfectus. Quæ cum per triennium moderatus, & per annum Theologiam profeſſus eſſet, ad regimen annuum poſtulatus, eoque depoſito A. 1619 Pariſios revocatus, ingenti non minus eruditionis quam Muſices laude inclaruit. Libros, quos hoc tempore conſcripſit, lites, quæ illi cum aliis interceſſere, nec non Mœcenates ejus, de quibus omnibus Autor noſter agit, brevitatis cauſa hic omittimus, præcipua fata enarrare contenti. Anno 1639 aquas Spadanas adiit, & poſtquam Leodium diverterat in vis, qua Coloniam itur, a prædonibus peſſime habitus, nec modo viatico ſpoliatus, ſed ad cutem quoque nudatus, per totum diem in palea delitefcere coactus eſt. Et necdum defunctus adverſa fortuna, cum in eodem itinere Antwerpiam

am veniſſet, explorator creditus & a tumultuante plebe in cuſtodiam raptus eſt, qua tamen poſtridie liberabatur. Quæ omnia Aſtrologus prædixerat, quanquam incredulo. Poſt aliquod tempus Galliæ partem, iterumque annis aliquot interjectis Italiam peragravit. Mortis cauſam apud amiciſſimum ſibi Carteſium invenit, cum eum per ſummos caniculæ ardores adiiſſet, & æſtuans porrectam aquam frigidam largius hauſiſſet. Ex quo enim refriguerat, obſtinatus laterum dolor acute eum pupugit, omnemque Medicorum opem feſellit, quippe latere, licet non ſine ſummis cruciatibus, a Medicis aperto die 1 Septembris A. 1648 placide exſpiravit. Magnæ ejus virtutes celebrantur, quæ tamen illum contra obtrectatores tueri haud potuerunt. Quippe aliquando Roſeæ Crucis frater audiit, qui ſe pro lubitu conſpectui hominum poſſet ſubducere. Præterea cum homo profundæ ſubtilitatis, in converſatione a puero ingenua ſimplicitate parum differret, inq; ſermonibus nimis apertus eſſet, & quoties de rebus, quæ pace bellove publice gerebantur, ſermo eſſet, de quibus minus curioſus alias erat, ridicule ſæpe ſententiam ferret, multi inde cavillandi materiam accepere. Nec forte ingratum erit ſtaturam Viri doctisſimi cognoſcere, quæ mediocris illi fuit, incurvis pauliſper humeris. Facies vero oblongior & rugoſa, color ſubfuſcus, oculi ac capillus nigricantes & frons aperta. Vox tenuis (quapropter & a concionibus abſtinuit) ſed admodum concitata. Vitam ajus A. 1649 idiomate Gallico conſignavit P. Hilarion de Coſte ſeu Coſtæus, & Noſter eam tanta cura deſcripſit, ut vix aliam majori.

VOLUMEN JURIS GENTIUM, HISTORIAM & origines S. R. I. Comitum a WARTENBERG, diſſertationem Politicam de Charactere præſtantisſimi Purpurati, exemplo WARTENBERGICI Comitis declarati, ac Specimen Inſtitutionum Juris Naturæ & Gentium WARTENBERGICARUM complectens.

 Am-

Amſtelædami, ex officina Wetſteniana, 1710, 8 maj.
Pl. 11.

ILluſtrisſima vetuſtisſimaque gens *Kolbio - Wartenbergica*, quæ jam anno a C N. CIↃCCLXIX in Merbodo Equite & Familiæ conditore floruit, a Caſtro Wartenbergico, in agro Masſovico prope Cæſaris Lutram ſito nomen accepit. Cujus Merbodi tres memorantur filii, duo Patri cognomines, & Wernerus, totidem gentis ſuæ propaginum auctores. Inter eos autem natu major Merbodus prædium Wullenſteinium incoluit, ab eoque Wullenſteinianorum cognomen, deinceps rurſus exſtinctum, in familiam ſuam intulit, quorum inſignia gentilitia
p. 4. ab Autore noſtro percenſentur. Hunc proxime excepit Wernerus, *Kolbionis* nomine inſignitus, qui illuſtriſſimam gentem *Kolbio-Wartenbergicam*, hodieque ſuperſtitem, feliciſſime propagavit. Merbodus autem alter, natu minor, Wartenbergicorum nomen ſervavit, qui iterum Schnebergicorum, Sylgeriorum, Buſeriorum & Schaubfuſſiorum nuncupatione a ſe invicem diſtincti fuere. Omnis vero hæc Merbodi junioris, ut & prioris, poſteritas, Seyfrido a Wartenberg, cœlibis vitæ ſtu-
5. dioſo, e rebus humanis erepto A. CIↃCCCCL. defecit, Inſignibus, a ceteris gentis familiis non multum diſcrepantibus, uſa. Quibus præſtructis Autor noſter (*Georgius Helwichius*, Moguntinæ Baſilicæ vicarius, quem pluribus locis illuſtratum locupletavit alius, qui ſub literis I. E. H. latere voluit) utriusque Merbodi ſtirpem, in commentariis de Familiis Rheno quondam vicinis comprehenſam, prætervectus ad *Kolbio-Wartenbergicos* ſtatim progreſſus eſt, eorumque Hiſtoriam ex Tabulario Comitum a Wartenberg ac Diplomatibus publicis atque indubitatæ fidei monumentis, quorum copiam *Joannes Caſimirus Kolbio a Wartenberg*, Illuſtrisſimi moderni Comitis Parens, Principi Palatino Bipontinæ propaginis a Conſiliis ſanctioribus & vicaria provinciæ adminiſtratione, ipſi fecerat, eleganti ſermonis genere conſcripſit. Tribus igitur *Sectionibus* eam
8. ſqq. abſoluturus, initio in *Kolbionis* cognomenti originem inquirit, idque a clava, quo inſtrumento militari veteres Germani, Virgilio, Silio, & Ammiano teſtibus, frequentius uſi fuerint, Wernero, Merbodi ſenioris filio ſecundo genito, primum inditum

Digitized by Google

fuiſſe tradit, idemque rurſus ab illuſtriſſimo Comite Wartenbergico, familiæ ad pauciores redactæ inſtauratore feliciſſimo, noſtra ætate obliteratum fuiſſe ſubjungit. *Sectione II* antiquiſſimæ gentis propaginem & per L annorum ſeriem continuatam atque ad noſtra usque tempora perductam ſucceſſionem monſtraturus, ſingulorum vitam, conjugia, prædiorum acceſſiones, bonorumque incrementa, ac res geſtas breviter ſtrictimque percenſet. Quos inter Wernerus & Conradus memorabile *gratiſſimorum & integerrimorum Kolbionum* elogium a Rudolpho I Imp. acceperunt. Tum vero *Joannis Kolbionis*, ſupremi Aulæ præfecti & hereditarii Caroli IV Imp. & Bohemiæ Regis Pincernæ, quem magna apud Imperatorem gratia valuiſſe ſcribit, eaque dignitate plures Wartenbergios gaviſos fuiſſe, teſtimonio *Bohuſlai Balbini*, domeſtici rerum Bohemicarum ſcriptoris, ipſorumque Diplomatum fide, confirmat. Simul ac autem ad illuſtriſſimi Comitis Wartenbergici, ſuperſtitis, Parentem pervenit, longiore virtutum ejus meritorumque enumeratione utitur. Etenim varias illum, animi excolendi cauſa, regiones peragraſſe, atque ab Italiæ Germaniæque Principibus, Hetruſco & Palatino Septemviro, eodemque infeliciſſimo Bohemiæ Rege, Friderico V in pretio habitum, ac ſplendidiſſimis muneribus belli paciſque tempore præfectum fuiſſe refert. Hoc itaque ortus eſt *JOANNES CASIMIRUS KOLBIO A WARTENBERG*, in lucem editus anno ſuperioris ſeculi XLIII, qui illuſtriſſimam *Comitis* dignitatem in familiam ſuam non tam intuliſſe, quam ante in gentem hanc collatam poſtliminio reſtituiſſe perhibetur. Namque Illuſtriſſimorum S.R.I. *Comitum* ordini A. CIↃIↃCXCIX ab Imperatore adſcriptus, novum hoc decus, terris fundiſque, ad Rhenum ſitis, auctis & in *Comitatum* Imperii evectis, egregie tuetur. Apud Potentiſſimum Boruſſiæ Regem & Principem Electorem Brandenburgicum maximis hactenus muneribus præfuit, dictus quippe *Summus Cubiculariorum Comitum Decurio, Princeps Purpuratorum, Vicarius Hereditarius Arauſionenſium ditionum, ſupremus ſtabuli Eques, Sacri Regalis Patrimonii moderator ſupremus, Maximus publicorum curſuum Tri-*

p. 10. 11. 15. 19. 48. 35 ſqq. 46. 59.

hunus hereditarius, *Mareſcallus Boruſſici Regni*, *Cancellarius & Eques ordinis Equeſtris*, *ab inſigni Aquila nigra appellati*, *Patronus Academiarum per omne imperium*. Licet autem
p. 52. anno demum ætatis LVI rebus uxoriis operam dederit; nihilominus tamen ſatis numeroſam prolem, *Fridericum*, *Caſimirum*, *Fridericum Carolum*, *& Guilielmum Antonium*, omnes ſuperſtites, ex Illuſtriſſima Conjuge ſuſcepit. Ceterum huic
55, ſqq. Comitum Wartenbergicorum Hiſtoriæ ſubjungitur *Commentatio Politica*, ab illuſtri Purpurato quodam ſcripta, atque ex Teutonico in Latinum ſermonem translata, veri germanique ſtatus publici Adminiſtri notas exhibens, & luculentisſimo Comitis Wartembergici primarii Boruſſiæ Regis Adminiſtri, exemplo comprobata. In qua Autor totus in eo eſt, ut, quibus adminiculis Illuſtriſſimus Comes inſtructus, ad ſupremum Palatinæ dignitatis faſtigium pervenerit, oſtendat juxta expo-
63. natque. Quamobrem Vitam ejus copioſe deſcribit, laudes virtutesque maximas ſummo ſtudio perſequitur, ac quibus præceptionibus tam præclare formatus ſit, fuſe accurateque e-
109. narrat. Quam diſſertationem denuo auxit & locupletavit Latinus ejusdem Interpres, argumenta civilis prudentiæ, ab illuſtrisſimo Comite novisſime prolata, in *Additamento* ſuo complexus. Quæ omnia cum ita comparata ſint, ut hic coarctari haud facile queant, lectuque tamen dignisſima ſint, conſultius fore cenſemus, ſi rerum harum cupidos ad ipſum non magnæ molis librum remittamus. Reſtat autem, ut de *Wartenbergico Commentario*, a Jo. Caſimiro Patre de *officiis aulicæ & civilis vitæ* in gratiam filiorum conſcripto, paucisſimis dicamus. Is nimirum Autore e vivis ſublato, primum Biponte auſpiciis Caroli Ludovici, Electoris Palatini, publici juris factus eſt, deinde auctior emendatiorque Berolini ſemel iterumque prodiit. Præceptiones autem & doctrinas tradit, quibus præſentis ac futuri ævi felicitas perfici & obtineri posſit. Ad cujus lectionem ut Nobiles excitentur, de argumento libri, Autore, hujusque vita bene ſapienterque acta, fine & ſcopo, ac ſtili denique indole breviter ſtrictimque disſeritur, integrumque Commentarium XLII momenta, ſive *Capita* continentem, atque Inſtitutionum Juris Naturæ & Gentium

Digitized by Google

tium nomine inſignitum Latineque redditum in lucem propediem emiſſum iri, monetur. Interea ſpecimen ejus explicato *Cap. I* proponitur, reliquorumque inſcriptiones breviſſimis ad extremum ſubnectuntur.

LE PARFAIT AMBASSADEUR.

i. e.

LEGATUS OMNIBUS NUMERIS AC PARtibus abſolutus, ab ANTONIO DE VERA & DE CUNNIGA primum Hiſpanice editus; noviſſime autem in Gallicum ſermonem translatus.

Tomi II.

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Hakium, 1709, 8.
Alph. 2 pl. 12.

CUm plures de Legationibus aliquid conſignaverint, quos inter, poſt Polybium, Gentilis, Magius, Paſchalius, Hotmanj, Franciſcus Le Vayer & Wicquefortius eminent, praecipua quoque laus debetur Autori noſtro, qui Dialogum hunc de Legati munere Hiſpanico idiomate edidit Hiſpali, 1621, 4, poſtea 1646 eadem forma, ſed Etruſco idiomate & ſuppreſſo Autoris nomine, a Mutio Zicatta recuſum. Nam cum ipſe (quemadmodum de eo a Nic. Antonio in Bibl. Hiſp. Nova T. I p. 481 relatum legimus) ob eximiam ingenii ſagacitatem multiplicemque rerum cognitionem a Philippo IV ad Venetos Orator miſſus eſſet, apud quos diu deinde hæſit, nemo ad explicanda Legati munia aptior videri poterat Vera noſtro, qui e legatione in Hiſpaniam redux factus ſeptuagenario major deceſſit Madriti die 20 Octobris anni 1658. In modum autem Dialogi conſcriptum eſt opus, in quo duo amici, inter ſe colloquentes, ac de Legati virtutibus præclare differentes, in ſcenam producuntur. Alter Ludovicus appellatus eſt; alter vero Julii nomen accepit. Ac ſi conjecturæ locus relinquatur, illuſtrem Autorem a Duumviris toto orbe celeberrimis, Ludovico de Haro & Julio Mazarino, hæc nomina mutuatum eſſe, veri nobis ſimile videtur. Iſti enim, arcanorum politicorum ſcientiſſi-

tisſimi, atque in ſummis dignitatibus apud Hiſpaniæ Galliæ-
que Reges ſuperiori ſeculo conſtituti, potentiæ & graviorum
negotiorum Adminiſtri, qui omnia in memoratis Regnis nutu
ac conſiliis ſuis moderabantur, celebrati fuerunt. Inſtitutum
vero Autoris noſtri eſt, Legatum ita inſtruere, ut officii ſui par-
tes rite ac digne explere queat. Quem in finem non ſolum
ſaluberrimas præceptiones magno numero ſuppeditat, ſed &
lectisſimis easdem exemplis, ex veteri pariter ac recentiori Hi-
ſtoria depromptis, vitiaque & virtutes Legati ad vivum expri-
mentibus, egregie illuſtrat. Illa enim omnem hic rem con-
ficere, multoque facilius, quid imitandum vitandumque ſit,
exemplis quam præceptis doceri, recte exiſtimavit. Quam-
obrem ex Græcis Romaniſque Scriptoribus, ac recentiorum
etiam monimentis ſolicite ea collegit, collecta ordine accu-
rateque expoſuit, atque expoſita denique ad omnes caſus &
eventus tam ſcite accommodare novit, ut acri ſubactoque ju-
dicio eum præditum harumque rerum peritisſimum fuiſſe,
p. 29. nemo facile ſit inficiaturus. Primum omnium autem ſuccin-
ctam Legati deſcriptionem habet, eumque amicitiæ & concor-
diæ, inter Principes firmandæ & conſervandæ, conciliatorem,
26. cum autoritate miſſum, nominat. Cujus etiam præcipuas do-
tes, fidelitatem, induſtriam, alacritatem, prudentiam, liberali-
tatem & ſingularem dicendi vim, in quibus excellere debeat,
30. generatim percenſet. Inprimis autem eo enitendum atque
elaborandum Legato eſſe cenſet, ut non Principis modo, ad
quem ablegatus eſt, naturales animi propenſiones probe co-
gnitas perſpectasque habeat, ſed miniſtrorum etiam, quibus-
cum conferendum ipſi eſt, mores ac ſtudia ſedulo expiſcetur.
34. Quo facto diverſa Legatorum genera exponit, quique Lega-
ti, Nuncii, Feciales, Caduceatores & Præcones proprie dicen-
di, ac quæ horum maxime apud Romanos munera fuerint, ſi-
gillatim oſtendit. Ac cum Fecialibus quidem Romanorum,
41. quos Verbenarios vocabant, Quæſtores noſtros militares &
50. *Commiſſarios*, Paſchalium ſecutus, comparavit. Tum vero
ad eos, qui Legati honore digni cenſendi, progreſſus, ſacri or-
dinis viros ab hoc munere non excludendos eſſe ac gravis-
ſima

Digitized by Google

ſima negotia ſumma cum laude & dexteritate ſæpius tractaſ-
ſe, multorum exemplis confirmat. Quos inter e veteribus
Auguſtinum & Gregorium M. nominatim compellat, quibus
& Chryſoſtomum, ab Arcadio Imp. ad Gainam, Gothum,
cum Politicorum nemo ad hunc ire auderet, miſſum, ſub- p. 54.
jungere potuiſſet. Ex contraria autem parte mercatores, ac
multo minus opifices, Legationes pro dignitate Principis ac
muneris neutiquam obire poſſe, adverſus Paſchalium con-
tendit. Neque minus & fœminas Legationis omnis expertes 254.
eſſe vult, ac deprecandi tantum & lacrymis utendi partes iis
relinquit, contra quam Paſchalius, pro fœminis, legationibus
peridoneis, propugnans exiſtimavit. Ad recipiendos porro 103.
Legatos quod attinet, tam facile admittendos, magnificeque
tractandos, quam benevole, & ſine mora, quandocunque iis
placuerit, dimittendos eſſe cenſet. Quod ab antiquis religi-
oſe obſervatum fuiſſe monet, ut denegatam Legatis audienti-
am, reditumque eorum ad Principes ſuos impeditum ac re-
tardatum, magni criminis loco putarint. Romanos igitur, qui 99.
erga fœderatorum æque ac hoſtium Legatos benigne humani-
terque ſe geſſerunt, & domibus ſplendide exornatis liberali-
ter eos receperunt, maximopere ex hoc capite collaudat. Con- 105.
tra autem cum Augerio Gislenio Turcas vehementer repre-
hendit, quod Legatos ad ſe venientes longius nonnunquam,
quam par eſt, detinere ſoleant, & licet ſemel iterumque & ſæ-
pius diſcedendi facultatem efflagitaverint, reverti ad Principes
ſuos difficulter patiantur. Præterea de *Inviolabilitate* Lega- 109.
torum, quod ab omni injuria ac læſione immunes præſtandi
ſint, præclare diſſerit, illosque Jure Gentium ſingulari hoc pri-
vilegio frui, rectisſime defendit. Quamobrem Alexandrum
M. & Philippum II Hiſpaniæ Regem, prudentia admirabili
conſpicuum, veriſſimis laudibus in cœlum extollit, quod Le-
gatos, etiam non omni ex parte innocentes, & extra officii ſui
limites egreſſos, impune dimiſerint, eosque ulla ratione vio-
lari, ſevere prohibuerint. Ille enim omnem operam dedit, 106.
ut in expugnatione Tyri, qua omnes ad internecionem cæ-
debantur, Carthaginenſium Legatis, quamvis ad pertinaciter

Digitized by Google

ſibi reſiſtendum Tyrios incitaſſent, e furibundi militis manu
p. 115, ſſ. erepti, incolumes ſervarentur. Hic vero Venetorum Legatum, Mantuæ Carpetanorum degentem, qui maleferiatos homines in domo ſua diu foverat, multaque ſe indigna commiſerat, nulla pœna affecit, quosdam e domeſticis ejus maximorum criminum convictos ac capitis damnatos urbe & regno excedere juſſiſſe, contentus. Quo facto ad Venetorum Senatum, omnesque Principes Chriſtianos, penes quos Legati ipſius erant, ſcripſit, voluntatem ſuam ac deſiderium eſſe, ut Legati ſui, ſi delinquerent, ſecundum cujusque Regni ac Reipublicæ, in qua viverent, leges judicarentur, ac privilegiis & immunitatibus, ipſorum perſonæ ac muneri alioquin conceſſis, mini-
136. me gauderent. Quod vero Carolus V Imp. Rinconem & Fregoſum, Franciſci I in Aulam Turcicam deſtinatos Legatos, per Inſubrorum Præfectum, *Marchionem Guaſtium*, in itinere excipiendos ac poſtea interficiendos curaſſe perhibeatur, id jure factum eſſe dicit, propterea quod Rinco, gente Hiſpanus, criminis Læſæ Majeſtatis reus, ad Gallum defeciſſet, & in Regem ſuum patriamque nefarie conſpiraſſet. Etenim a Franciſco mandata ad Turcam acceperant, ut bellum hic Imperatori inferret, atque Italiæ & Germaniæ fines depopulare-
143. tur. Quibus expoſitis ad notiſſimam Legati *Ordinarii* & *Extraordinarii* diſtinctionem pergit, & quæ utriusque munera ſunt, minime prætermittit. Atque ſic tandem ad ſingularem virtutum Legatum ornantium enumerationem progreditur, & quæ ſpeciatim ab eo requirantur, fuſius explicare inſtituit.
150. Itaque Legatum ſuum dicendi facultate probe inſtructum eſſe cupit, quum præcipuum ejus munus in perſuadendo ac diſſuadendo verſetur. Hinc enim factum eſſe exiſtimat, ut apud veteres Romanos Oratorum nomine inſignirentur. Ac memorabile eſt Pyrrhi, Epirotarum Regis, effatum, plures ſeſe urbes munitiſſimas Cineæ, Legati incomparabili facundia præditi, prudentia, quam militum armis ſub poteſtatem
282. redegiſſe, pronunciantis. Ratione ætatis autem quæ in Legato deſideretur, judicio multo rerum uſu ſubacto prudentiaque exacta eum metitur, pro certo ac definito annorum numero,

mero minime pronuntians. Interea tamen eo inclinare videtur, ut arbitretur, junioribus potius quam provecta ætate viris legationis munus eſſe demandandum: quod luculento p. 283.
Romanorum exemplo, atque inſigni etiam Ariſtotelis, Lacedæmonios, quod ſenes tantum Senatores eligerent, acriter ac ſalſe hoc nomine reprehendentis, teſtimonio comprobat. De moribus igitur Legati unice ſolicitus, ex bonis optimum, ex præcipuis primum ac principem, atque ex delectis lectiſſimum quemque creandum eſſe, cum Plutarcho & Hyſpa Sophiſta
aſſeverat. Porro autem illuſtri ac, ſi quidem fieri liceat, 288.
ſummo loco eum ortum eſſe oportet, propterea quod benignius a Principe, ad quem mandata Domini ſui perfert, excipiatur, & quod ultro hinc conſequitur, negotia feliciter
perficere, plurimaque, quæ aliis, obſcuro genere natis, procul 301.
dubio denegata fuiſſent, facilius impetrare queat. Quæ dein-
ceps de fortunæ bonis, quibus Legatum haud deſtitutum eſſe 318.
debere ſcribit, patria, cujus intuitu indigenam advenæ præfe- 319.
rendum ſuadet, nomine, bonum lætumque omen præ ſe fe- 320.
rente, optima corporis ſtatura, formaque decora, tacitæ com-
mendationis vicibus fungente, veſtibus quoque, quæ genti- 376.
um, apud quas commoratur, moribus atque inſtitutis non ad- 378.
verſari debeant, ac denique ſermonis genere, quod vernaculum eſſe jubet, fuſius commemoravit, operoſius hic transſcribere nolumus, breviter ſummatimque ea attigiſſe contenti. Poſtremo autem loco præſtantiſſimas Orationes, in antiquiorum pariter ac recentiorum Scriptorum monimentis extantes, atque a celeberrimis magnorum Regum & florentiſſimarum Rerumpublicarum Legatis de maximi momenti rebus quavis occaſione & loco habitas, omnibusque publica negotia tractaturis inſigni uſui futuras, ſtudioſe conquiſivit, earumque ſeriem locupletiſſimam in calce libri ſubminiſtravit.

ONTLEDENDE VERKLAARING &c.

h. e.

EXPLICATIO ANALYTICA EPISTOLÆ poſterioris ad Corinthios; Autore HIERONYMO

SIMONE VAN ALPHEN, V. D. M. Amſteladamenſi.

Amſtelædami, apud Jacobum Borſtium, 1708, 4.

Alph. 5 pl. 9½.

AD ſenſum verum e Sacris Literis eruendum nihil magis conducere Cl. Autori videtur, quam inveſtigatio ſcopi, quem ſcriptor quisque ſacer ſibi propoſuit, & accurata diſpoſitio totius libri. Prorſus vero diſſentit ab illis, qui non ubique in libris ſacris ex antecedentibus & conſequentibus de ſenſu dictorum judicari poſſe exiſtimant, idque exemplo ſcriptorum Novi Teſtamenti probare nituntur, qui loca nonnulla Veteris Teſtamenti, non habito reſpectu antecedentium aut conſequentium explicare ipſi videntur. In Prolegomenis fuſe agit de vita Pauli & Timothei, quorum nomina hæc Epiſtola præfert, de urbe Corintho & moribus incolarum, de numero Epiſtolarum a Paulo ad Corinthios ſcriptarum, quarum tres fuiſſe, unamque deperditam eſſe ſtatuit, de Epiſtola priore hodie adhuc ſuperſtite, cujus argumentum breviter exhibet, de tempore, quo Paulus Hieroſolymis in vincula conjectus eſt, nempe A. C. 55, de tempore porro, quo poſteriorem Epiſtolam ſcripſit, quod eodem anno contigit, denique de occaſione, ſcopo, argumento, divinitate & uſu hujus Epiſtolæ. Præmiſſa eſt operi tabula ſynoptica totius Epiſtolæ, ubi ſingulæ diviſiones ac ſubdiviſiones peculiaribus numeris, literis etiam aliisque ſignis forma diverſis indicantur. Hæc ſigna per totum etiam Commentarium repetuntur: utque Lectori ſtatim in oculos incurrat, quæ pars Epiſtolæ in quaque pagina explicetur, ad latus ſupremæ lineæ ſigna diviſionum tam generalium quam inferiorum, usque ad ſubdiviſionem infimam, de qua in illa pagina agitur, junctim appoſita reperiuntur. Ad dictum cap. IX, 6, ubi Paulus dicit, *parce ſerentem*, *parce etiam meſſurum*, Cl. Autor annotat, Apoſtolum conſulto non dicere *parum* ſerentem, ſed *parce*, ne qui homines, qui animum quidem habent beneficum, ſed opibus deſtituuntur, ea re contriſtentur: a Deo enim non opus externum, ſed cor reſpici. Intem-

tempeſtiva vero illa parſimonia effici, ut homo minore fruatur lætitia Spiritus ſancti, minore parrheſia erga Deum in precibus, minore ſenſu pacis Divinæ, quæ rationem omnem tranſcendit: non poſſe etiam ab ejusmodi homine excitari tantum ſolatii in fratribus tentatis, nec tantam laudem Dei in miſeris: neque ab eo tot homines a ſtatu ſalutis alienos ad Chriſtum allici ac perduci; ideoque ipſi longe inferiorem gloriam in altera vita eſſe exſpectandam. Per *lites*, quas Paulus in Corinthiis cap. XII, 20 improbat, Cl. Autor docet non intelligendas eſſe diverſas ſententias: fieri enim non poſſe, quam diu in his terris vivimus & tantum ex parte cognoſcimus, ut omnia membra eccleſiæ circa omnia idem ſentiant. Significari itaque vocabulo litium aliud quidpiam non referendum ad perpetuas & quotidianas infirmitates fidelium, ſed aut ad opera carnis in infidelibus, aut ad ſingulares lapſus in ipſis fidelibus, quando caro ſpiritum in lucta ſuperat. Hujus generis lites eſſe, ſi fundamenta fidei, exempli gratia reſurrectio mortuorum, oppugnentur, itemque ſi diverſæ ſententiæ minoris momenti absque amore ventilentur, & alter alterum propterea damnet.

DE WAAGEN DER CHERUBIM &c.
h. e.
CURRUS CHERUBINORUM, SEU VISIO Ezechielis ad fluvium Chebar; Autore BALDUINO HUNNIO, V. D. M. in Inſula Valacria.

Dordraci, apud Theodoricum Goris, 1707, 4.
Alph. 1 pl. 5 cum fig. æn.

EXplicatur hoc libro caput primum Ezechielis, ubi Propheta Cherubinos currumque eorum, quos viderat prope fluvium Chebar, deſcribit. Utitur Cl. Autor methodo erotematica, quam tanquam longe utiliſſimam laudat, optatque, ut illa loco methodi concionatoriæ in eccleſiis introducatur. Allegat hunc in finem canones ſynodorum generalium, Veſalienſis

Digitized by Google

enſis A. 1568 & Embdanæ A. 1571 habitæ, quibus conſtitutum eſt, ut methodus iſta ubique in eccleſiis recipiatur. Allegat etiam exemplum exulum Germanorum, Gallorum ac Belgarum, qui tempore Eduardi VI Regis Angliæ Londini in Eccleſia
p. 89. ſua eo docendi modo fuerunt uſi. Scopum viſionis, quæ Ezechieli apparuit, hunc fuiſſe ſtatuit, ut indicaretur, Deum tempore captivitatis Babylonicæ, relicto ſanctuario, quod Hieroſolymis habuerat, diſceſſurum in terram Babylonicam, at-
138. que ibi etiam curam geſturum populi ſui. Hæc omnia ad eccleſiam Chriſtianam applicat, namque & hujus in Babylonia Antichriſtiana commorantis Deum ſemper curam geſſiſſe.
146. Qua occaſione comparationem inſtituit inter Babylonem novam & veterem. Illam a Johanne *Apoc. XVII* ſiſti ſub imagine meretricis ſedentis ſuper multas aquas, cum qua ſcortati ſint Reges terræ, & de cujus vino impuro biberint omnes gentes, viſam eam eſſe in deſerto & appellari magnam Urbem, cui ſit imperium in Reges terræ. Eodem modo & Babylonem veterem gerere imaginem fœminæ mollis ac delicatæ, *Jer. XLVII, 1,* & ſediſſe ſuper multas aquas, *Jer. LI, 13,* etiam cum hac ſcortatas gentes ac vino impuritatis ejus inebriatas eſſe, *Jer. LI, 7,* terram Babylonicam itidem vocari deſertum, *Jes. XXI, 1,* & Babylonem dominam Regnorum, *Jes. XLVII, 5.* Additæ ſunt a Cl. Autore tabulæ æneæ, quibus figuram Cherubinorum curruſque eorum, nec non delineationem Geographicam Aſſyriæ ac terræ Cananææ ſiſtit.

CORPORIS HUMANI ANATOMIÆ LIBER primus, una cum Supplemento Anatomico corporis humani Libro ſecundo, in quo partium ſolidarum, Libro primo deſcriptarum, uſus & munia explicantur; Autore PHILIPPO VERHEYEN, in Univerſitate Lovanienſi Art. & Med. P. Anat. & Chirurg. Profeſſore Regio & Ordinario.

Bruxellis, apud Fratres t' Serſtevens, 1710, 4.
Alph. 4 plag. 19 & Fig. Tabb. 47.

Poſt-

Digitized by Google

POſtquam in Actis A. 1711 Menſe Martio de Libro primo diximus, nnnc ſupereſt, ut de ſecundo quoque agamus, qui Phyſiologicus eſt, indice itidem, cum capitum, tum verborum & rerum exornatus, atque nonnulla ex iis contemplemur, quæ in *quinque*, ex quibus conſtat, *Tractatibus* comprehenduntur. In *primo* videlicet horum, dum de Elementis, Temperamentis, Humoribus & Spiritibus agitur, tanquam inſtrumentis præter partes ſolidas ad functionum exercitia neceſſariis, loco elementorum pro phænomenis explicandis nunc principia Carteſiana, nunc chymica magis commendantur. In tempe- p. 6.
ramentis deſcribendis ratio qualitatum, tum primarum, tum 7.
ſecundarum, jubetur habenda; omnesque qualitates corporis 9.
in certa elementorum diſpoſitione quoad numerum, magnitudinem, figuram, conjunctionem & reſpectum ad invicem, motum vel quietem, collocantur. Calor corporis primario 12.
ſanguini, veluti liquori valde heterogeneo, non autem partibus ſolidis aut liquoribus ſimplicioribus, nec ſpiritibus, ca- 13.
lore omni in ſe deſtitutis, adſcribitur; inter partes vero ſolidas æque ac fluidas omnes cor reſpectu ventriculi ſiniſtri, in ſtatu naturali conſtante minimeque fugitivo calore inſtructi, cenſetur calidiſſimum. Temperamentorum alias ſigna a cau- 15.
ſis petuntur & effectibus, non neglectis tamen juvantibus & 19.
nocentibus; circa ætatum vero & ſexus temperamenta decrepita ætas non tam pro peculiari ætate, quam ſenectutis parte venditatur. Humores in genere perhibentur ſubſtantia liquida, 21.
palpabilis, in corpore humano genita, illique naturalis, ut partes ſolidæ & alvi fæces, ſpiritus, aqua, vinum & affines liquores, pus itidem ac ſanies, numero humorum excludantur. Et quamvis præter chylum & ſanguinem, veluti humores ali- 23.
biles primarios, admittantur humores alibiles ſecundarii in genere, qui extra communem circuli viam in meatibus partium ſolidarum pro nutritione harum hæreant, exploduntur tamen Veterum decantatæ ſpecies quatuor, nempe innominatus, ros, cambium & gluten, tanquam infirmo fundamento ſuperſtructæ. Chylum naturaliter ad albedinem vergere aſſevera- 24.
tur, quia inprimis color iſte noſtris alimentis valde ſit familiaris,

ac

Digitized by Google

ac per experientiam una pateſcat, colorem aſſumtorum ante
habitum plerumque per chylificationem intendi, & non ha-
p. 27. bitum aliquatenus acquiri. In ſanguine non tam quatuor
humores cum Veteribus quam partes ſubtiliores & craſſiores,
volatiliores & fixiores, magis minusve coctæ, ſulphureæ, ſa-
linæ, aquoſæ & terreſtres, adeoque fluidiores & ſolidiores, a-
limentares & excrementitiæ, illæque vel limpidæ, vel albo, ru-
29. bro, nigro aut flavo colore tinctæ, conſiderantur. Quæ au-
tem mutationes ſanguinis inſequantur ejus conquaſſationem,
coctionem & variorum admiſcelam, non minus fuſe recenſetur,
ac qualia in ſanguine corpuſcula per microſcopium cernantur
35. quæque producta ex illo per chymiam obtineantur; ruborem
tamen ſanguinis a ſolis proficiſci globulis ex ſimilium in lacte
candido præſentia dubitatur. Quemadmodum vero inter hu-
mores non alibiles, utiles nihilominus, Lac, Semen, Succus
pancreaticus, Bilis excrementitia, Sanguis menſtruus, Serum,
Lympha, Humor pericardii, & Saliva prolixe deſcribuntur;
ita pro mere excrementitiis & inutilibus Lachrymæ, Mucus na-
rium, Aurium ſordes, Urina & Sudor venditantur. Ex qui-
bus tamen omnibus examen ſolius ſeminis virilis, & per mi-
croſcopium, & per chymiam inſtitutum, ſuffecerit huc attu-
69. liſſe: quæ enim particulæ mobiles in maſculo ſemine per mi-
croſcopium deprehenduntur, ob motum earum valde confu-
ſum & ab alio principio, quam a ſe ipſis dependentem, ex a-
nimalculorum conſortio expunguntur; ex ſemine autem tau-
ri deſtillato primum phlegma, deinde oleum fœtidum in no-
tabili quantitate, parum ſalis volatilis, prodiiſſe indigitatur,
relicta multa terra leviori ac liquore in rectificatione nihil ſpi-
139. ritus fundente. Spirituum denique exiſtentia, ex nervorum
144. ligatura vel reſectione comprobata, ab aliorum vindicatur ob-
150. jectionibus, poſtquam eſſentia eorum partim aerea, partim
ſulphurea fuit declarata. *Tractatus* hinc *ſecundus*, motui a-
nimali deſtinatus, ab anima rationali, actiones nonnullas vel
producente, vel dirigente, vel percipiente, a functionibus & a-
ctionum diviſionibus, auſpicatur, ad muſculorum contractio-
58. 155. nem, & ſanguinem & ſpiritus poſtulans, quo ab illo fibrarum
car-

Digitized by Google

carneatum cavitates aliquatenus repleantur, ab his autem tam materia ſanguinea diutius in fibrarum cavernulis retineatur, quam fibræ ipſæ inflectantur. Motus tamen progreſſivus parcius, amplius Reſpiratio explanatur: inque inſpiratione, cu- p. 164.
jus uſus primarius nitro aereo maſſæ ſanguineæ in pulmonibus admixto juxta Mayow debeatur, eatenus aerem pulmones ingredi defenditur, quatenus a lateribus thoracis & parte anteriori thoracis ille protrudatur; omnis autem reſpiratio pro actione partim animali, partim naturali venditatur, quia perfe- 179.
cte quidem ſine anima peragi queat, ſubinde tamen ab illa etiam modificari. Tum in *Tractatu tertio*, repudiata anima ſenſitiva, quæ in homine ab anima diſcrepet rationali, ſenſus & ſenſationes, cum in genere, tum externæ & internæ in ſpecie, una cum paſſionibus animi, fame ac ſiti, ſomnoque, inſomnio & vigiliis, dilucidantur. Sicuti vero cerebri veſtigia ſive impreſſiones, memoriam actualem conſtituentes, nihil aliud aſ- 237.
ſeruntur, quam certa diſpoſitio ſeu aptitudo viarum in ſenſorio communi ſive ſubſtantia medullari, orta ex frequenti motu ſpirituum, objectum cujus memoriam habemus repræſentantium, propter quam illi poſtmodum conſimilem motum facillime repetant; ita in ſomno defectus eorum ſpirituum, qui motum ab objectis ad ſenſorium commune deferunt, inſuf- 249.
ficienti ipſorum ſequeſtrationi in cerebri cortice attribuitur, quod vel abſolute in maſſa ſanguinea deficiant, vel reliquis particulis firmius intricentur, vel verſus etiam dictam ſubſtantiam ſanguinis propellantur. In *quarto* porro *Tractatu* inter actiones naturales, genitalibus contradiſtinctas, chylificatio, chyli ex ventriculo expulſio & tranſitio ad ſanguinem, circulatio ſanguinis, ſanguinis motus inteſtinus & fermentativus, pulſus, ſanguificatio, nutritio, generatio ſpirituum & humorum non alibilium, varia denique humorum & ſpirituum ſeparatio, evolvuntur. Speciatim ex vena, directe ma- 265.
gis in cordis cavitatem, quam auriculam patente evincitur, ventriculos cordis non modo ab auriculis, ſed & a venis una recipere ſanguinem, ſanguinem quippe per venas eo advenientem tempore, quo auriculæ conſtringuntur, recta omnino cordis intrare ventriculos. Secretionis autem doctrina figu- 303.

ris pariter illuſtratur ac ſuperius illuſtrata fuere muſculorum motus, reſpiratio, viſioque directa, reflexa & refracta. In *ultimo* demum *Tractatu* intricatum generationis negotium a conceptionis momento ad partum usque parturitionis & lochia extricatur figuriſq; tali adumbratur ratione, ut ſecundinarum quoque figuræ cum integro de iisdem capite ex prima Anatomiæ editione huc translatæ, nonnullæ autem fœtus partes in
p. 316. *Tabula* VI delineatæ habeantur. Conceptionem nempe in teſtibus fœmineis fieri eo certius propugnatur, quo minus dubitari poſſit, in fœmellarum ſuum caſtrationibus, nunc totum uterum cum teſticulis adhærentibus, nunc teſticulos ſolos eximi, prout illæ vel tenellæ, vel ſenes extiterint; hinc eam etiam ſuem, cui alteruter tantum teſtis exſecatur, ad conceptionem ſupereſſe aptam, exemplo notabili comprobatur. Du-
324. bia e contra, quæ vel partium delineamento in oculo ante fœcundationem in ſpecie videntur obeſſe, vel contra generatio-
329. nem viviparorum ex ovo a *Sbamgli* moventur in genere, di-
364. ſtincte ſolvuntur. Fœtus autem humanus quia tunica allantoide ſive urinaria deſtituitur, urinam in illo non tam ſecerni & excerni, quam in maſſam ſanguineam matris reſumi conjicitur; ſingulare interim eſt, in parvuli infantis cada-
374. vere intra venam & arterias umbilicales multum coccineum pulviſculum apparuiſſe, ſine dubio a craſſiori ſanguinis parte relictum, quem in fœtu in lucem edito tribus abſumi poſſe modis edocetur. Ceterum in cavitate abdominis fœtus Autor
377. ſemper abundantiam humoris ſeroſi nonnihil rubeſcentis, in pectoris autem cavo humorem ſeroſum, minus rubeſcentem, quam in abdomine, invenit; duramque meningem fœtus in
379. tres facile diſpeſcuit lamellas. Tandem controverſia ſubnectitur, quæ Autori cum *Dn. Mery* de uſu foraminis ovalis & circulatione ſanguinis in fœtu interceſſit, tanto minus hic referenda, quanto evidentius ſingularis *Dn. Mery* ſententia in *Actis noſtris*, cum alibi, tum *A. 1693 p. 231*, jamjam legatur excerpta, quantoque difficilius cuncta, quæ circa *Dn. Mery* aut fundamenta, aut facta & propoſitiones a Noſtro ſigillatim monentur ac reſpondentur, breviter queant exhiberi.

MEMO-

Digitized by Google

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, Poetarum, Hiſtoricorum & Philologorum, inde a Megalandri Lutheri reformatione ad noſtra usque tempora clariſſimorum, renovatæ Decas II; collegit, recenſuit, & cum addidamentis quibusdam edidit M. REINHARDUS HENRICUS ROLLIUS, Weſtphalus.

Roſtochii & Lipſiæ, apud Chriſt. Gotthold Garmann, 1710, 8.
Alph. 2 plag. 18.

CUm de Decade I paucis actum fuerit in Actis A. 1710, M. Januario p. 45, nunc alteram quoque perluſtrabimus. Deſcribuntur in ea vitæ Hermanni Tulichii, Scholæ Luneburgenſis Rect. A. 1540, Valentini Fridlandi Trocedorffii, Rectoris Scholæ Goldbergenſis, A. 1556, Rieneri Reineccii, Hiſtoriarum Profeſſoris Helmſtadienſis, A. 1595, Juſti Lipſii, Philologi Critici Lovanienſis, A. 1606, Petri Laurenbergii, Poeſeos Profeſſ. Roſtoch. A. 1639, Stephani Heynii, Ebrææ Linguæ Prof. Roſtoch. A. 1643, Henrici Vagetii, Profeſſoris Gymnaſii Hamburgenſis, A. 1659, Chriſtiani Daumii, Critici & Philologi Cygnei, A. 1687, Dan. Georgii Morhofii, Eloqu. Poeſ. & Hiſtor. Profeſſ. Kilonienſis, A. 1691, Wilhelmi Erneſti Tenzelii, Conſiliarii & Hiſtoriographi Dresd. A. 1707 defuncti. Ex his vitis memoria Valentini Trocedorffii memoratu lectuque imprimis digna viſa fuit, de qua adeo pauca trademus ex Oratione Wittebergæ recitata A. M D LXIV a Balthaſare Rhauo, Sileſio, & Trocedorffii diſcipulo. Is eum natum eſſe tradit A. 1490, Patre agricola, Bernhardo Fridelando, in pago, a quo cognomen traxit, qui uno milliari a Gorlicio ſuperioris Luſatiæ oppido diſtat. Suaſu monachorum, qui indolem diſcendi avidam & doctrinarum capacem in eo deprehenderant, tradebatur Scholæ, unde paullo poſt, cum literas noſſet, domum rediit ad operas ruſticas, ubi tamen mater, quæ filium a literis abduci nolebat, ob optimam de eo ſpem ex monachorum judicio conceptam, a Paſtore & cuſtode pagi impetravit, ut hic lectionem & pronunciationem pueri ſubciſivis horis exerceret, ille

ille literas eum formare ac pingere doceret. Ad hunc uſum ei interior betulæ cortex chartas, anſer calamos & fuligo infumibuli atramentum ſuppeditabat. Biennio itaq; hiſce exercitiis conſumto repudiavit vitam ruſticam, & urbe repetita, inſtinctu matris totum ſeſe ſtudiis dedit, ac tanta quidem aſſiduitate, ut ſpem de ſe ſummam concitaret. Anno 1513, quo Parentes amiſit, Lipſiam ſe contulit, audivitque ibi Petrum Moſellanum, qui in Latina lingua puriore, & Richardum Crocum, Anglum, qui in Græca excellere judicabatur. Suſcepto hic primo in Philoſophia gradu, Gorlicium revocatur ad docendum in Schola, ubi etſi inferiore erat loco, tamen tanta ejus eruditionis fuit opinio, ut non ſolum ſcholaſticos erudiret, ſed ipſos etiam Collegas, quibus Libros Ciceronis de officiis explicabat, & Plutarchi libellum de puerorum educatione. Haut ita multo poſt cum B. Lutherus indulgentias oppugnaret, quas venales circumferebat Tezelius, excitus Viri fama, Vitembergam, illius viſendi cauſa, profectus eſt. Tunc temporis forte in Judæum, ſacris Chriſtianorum initiatum, incidit, cui operam ſuam addixit ad miniſteria domeſtica, ut ſine ſumptu elementa addiſceret linguæ ſanctæ, in qua celeriter tantum profecit, ut Pſalmos aliis explicare poſſet. In Academia Vitembergenſi ad annum quintum usque commoratus, aſſiduum præbuit auditorem Luthero & Philippo, tanto fructu, ut poſterioribus annis privatim enarrando Ciceronis ſcripta & Græcas D. Pauli Epiſtolas, commode ſe ſuſtentaret, donec ad reſtitutionem ſcholæ Goldbergenſis evocaretur, quæ poſt diſceſſum Hieronymi Wildebergi prope collapſa erat. In Sileſia crebros inſtituit ſermones cum amicis de ſuſcepta religionis emendatione, & certamini interfuit, quod Uratislaviæ Doctori Joanni Heſſo, Theologo præſtanti, cum monachis & ſacerdotibus ejus loci ſubeundum erat, & Swenckfeldii deliriis fortiter ſeſe oppoſuit, ac plurimos annos ſcholam Goldbergenſem præclare gubernavit, donec ſub extrema tempora ſæviſſima peſte diſſiparetur ſchola, & vix collectis e naufragio tabulis ſubito incendio totum conflagraret oppidum, quo ædificia ſcholæ ſimul perierunt. Poſt eam cladem cum agmine ſcholaſtico in exilium

Digitized by Google

lium ſeceſſit, in quo dum occupatur colligendis ſumtibus ad ædificia reſtauranda, ætate & laboribus fractus, ſubita apoplexia opprimitur inter docendum, cum enarrare cœpiſſet Pſalmum XXIII, die VI Calend. Maji anni 1556, poſtquam annum attigiſſet ſexageſimum ſeptimum.

JACOBI FRIDERICI REIMANNI HISTORIÆ Litterariæ particula, ſive de libris Genealogicis vulgatioribus & rarioribus Commentatio.

Lipſiæ & Quedlinb. ſumptibus Gottl. Ern. Strunzii, 1710, 8. Alph. 1 pl. 6.

DIviditur nobiliſſimum argumentum in Sectiones duas; qua-
rum altera, ſeorſim antea jam edita, uno velut intuitu o-
mnem Hiſtoriam litterariam Genealogicam ab O. C. ad hæc
usque tempora delineat; altera arcanæ aliquod Hiſtoriæ litte-
rariæ ſpecimen proponit. De priori ut paucula diſſeramus,
quatuor Noſter ipſius conſtituit periodos. *Hebraicam*, quam a
tempore Moſis usque ad exciſam Hieroſolymam deducit, præ-
cipuos Genealogiarum & autores & admiratores Judæos ha- p. 5 ff.
bens. *Græcam*, quam a Cyri ævo usque ad Xerxis refert æta-
tem; quo temporis intervallo *Muſæus*, *Heſiodus*, *Acuſilaus*,
Ariſteas, *Hellanicus*, *Epimenides*, aliique Græcorum, Genealo- 31.
gias texendi ſtudio dediti fuerint adeo, ut non in excelſorum
modo heroum ſtirpes ſucceſſionesque, ſed in Deorum etiam
ſuorum ſtemmata inquiſiverint. *Romanam*, ſive *Italicam*,
qua a tempore Ciceronis usque ad Auguſti mortem, *T. Pompo-* 41.
nii Attici, *M. Terentii Varronis*, *M. Valerii Corvini Meſſalæ*
& *C. Julii Hygini* opera amœniſſima hæc ſtudia quam maxime
floruerint. *Germanicam*, in tres iterum periodos ſubdiviſam; 49.
quarum primam a Tacito ad Carolum M. usque deducturus,
verſus, quos in laudes heroum cecinifſent olim, totos fuiſſe hi- 52.
ſtorico-genealogicos, ait: alteram a Carolo M. usque ad Ma-
ximilianum I; tertiam ab eodem usque ad noſtram ætatem
pertexit. Et *Maximilianus* utique primus audit Genealogi-

arum apud Germanos reſtaurator, quippe qui tot excellentia Germanorum ingenia excitavit, quæ in ſcientiam longe utiliſſimam omne ſtudium diligentiamque contulere; quos deinde ſecuti ſunt plures, e quibus Noſter commendat *Reinerum Reineccium*, *Reuſnerum*, *Henningen*, *Rittersbuſium*, *Bucelinum*, *Ubbonem Emmium*, *Diepholdum*, *Lairitium*, *Lohmayerum*, *Spenerum*, *Imboffium*. Claudit hanc ſectionem catalogus ſcriptorum, qui hiſtoriam Genealogicam Zollerano-Brandenburgicæ domus illuſtrarunt, quorum maxime commendabilem *Rentſchium* nominat in Cedreto ſuo Brandenburgico. Sequitur altera Sectio, quæ ſuperiori anno prodiit, potiorumque Genealogicorum, vel impreſſorum, vel MSS. Synopſin exhi-
pag. 6 bet. Et de MSS. primum agens, Latinos raros, rariores Græcos, rarisſimos Hebraicos eſſe pronunciat. In his porro cum rariora dicantur, quæ ante annos quingentos vel octin-
4. gentos fuiſſent exarata; omnium rariſſima fore exiſtimat apographa *Adami* Genealogica, & *Eſdræ* MStum, quod ſolos Bononienſes posſidere, & *Anonymi* Hebraicum de origine Mel-
10. chiſedech Regis Salem, quod in Neophytorum collegio Romæ inveniri perhibeant. Sed Græcorum MSta inventu difficillimis adnumerari, vel inde auguratur, quod brevi tempore præſtantiſſima ſcientia apud Græcos floruerit. In horum vero numero Græcum habet *Athanaſianum*, de genealogia Melchiſedech, quod apud Vindobonenſes, & *Damaſcianum* περὶ ἀρχῶν, quod apud Oxonienſes, Meurſianumque de familiis At-
12. ticis, quod apud Suecos conſervari memorat. Atque inter Latinorum rariora volumina *Jani Jacobi Boiſſardi* MS. de genealogia & imaginibus Deorum ponit, *Rupertique* ac *Reineſii* labores. Nec intacta relinquit aliarum gentium MSS. quorum complura adhuc in publicis privatisque Bibliothecis ſupereſſe ferantur. Germanorum opera quod ſpectat, vel in Latina,
54. vel in Germanica diſpeſcuntur. Illorum inter potiora inedita *Chriſtiani Eberhardi*, Academiæ Juliæ quondam Hiſt. & Poeſ.
57. Profeſſoris, Genealogica, Brunſuicenſium imprimis & Luneburgenſium Ducum & familiarum, refert: & *Anonymi Weingartenſis* Guelforum principum Genealogiam. Tacemus tot Comi-

Digitized by Google

Comitum familiarum monimenta, quæ paſſim in ſcriniis cuſtodiuntur, ut Gleichenſium, Thuringiacorum, Honſteinenſium, Wiatzenburgicorum, Catenellenburgicorum. Sic Germanicis adnumerantur antiqua Germanorum carmina a Tacito laudata: *Dominici Dineri* opera: tum quæ ad hiſtoriam imprimis Genealogicam Brandenburgicam conducunt, quæque maxime commendata a Rentſchio legimus, *Moningeriana* & *Wurffbeiniana*: & *Guilielmi* præſertim *Budæi*, Halberſtadienſis, opus Genealogicum, cujus hic & ſeries, & contenta communicantur. Varia deinde, quæ Noſter poſſidet, MSS. *Brotuffiana* explicantur. Inter impreſſos tandem rariores relatos præ ceteris videmus Arabicos, quod ſcilicet in illuſtrium familiarum conſignandis hiſtoriis Arabes ſolerent eſſe negligentisſimi. In Hebraicis (præter S. Scripturam) ſec. XV ſcriptoris R. *Abraham Zachut* liber proſapiarum: in Græcis *Meurſiana* & *Reinecciana* memorantur. Et repertu quidem faciliores eſſe Latinos; neque tamen e rariorum noſtrorum ſerie eximenda ſtatuit genealogiarum opera *Timocratis Arſenii*, *Cordilli*: *Franciſci Irenici* opus Genealogicum, exegeſeos Germanicæ titulo inſignitum: Theatrum Genealogicum *Henningii* & plura. Addita huic etiam Sectioni eſt Diſquiſitio hiſtorica de neceſſitate ſcepticiſmi in ſtudio Genealogico.

p. 60 ſeqq. 77. 98, 99, 100. 160, 161. 162, 163. 165. 166.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE &c.

i. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM Tomus XVI; Autore LUDOV. ELLIES DU PIN, Doctore Theol. Paris. & Prof. Regio. Editio ſecunda.

Amſtelædami, apud Petrum Humbertum, 1710, 4.
Alph. 1 pl. 3.

CElebertimus Pinius, in ſua ſcriptorum Eccleſiaſticorum Bibliotheca plus præſtans, quam pollicetur titulus, honeſta quidem impoſtura, & in tantum laudanda, in quantum reprehendi debet eorum jactantia, qui ampullis titulorum & ſeſ-

Digitized by Google

ſeſquipedalibus verbis majorem, quam pro vero, opinionem de ſcriptis ſuis Lectori inſinuare ſtudent, poſtquam tomis XIII & XV omnem eccleſiaſticam ſeculi XV hiſtoriam enarraſſet, tomo XIV & XVI ſcriptores ejusdem ſeculi, Theologicis ſcriptis claros, complecti inſtituit. Et tomum quidem XIV eorum memoriæ dicavit, qui usque ad annum 1550 defuncti ſunt: eumque in Acta noſtra relatum meminimus Anno 1703 p. 253. Præſenti itaque Tomo XVI reliquos illius ævi ſcriptores eccleſiaſticos more ſuo ita deſcribit, ut vita cujusque ſtrictim expoſita, & librorum catalogum & argumenta optimorum librorum recenſeat, ac denique judicium ſuum de ſtylo atque eruditione autoris ſubjungat. Illud tamen apparet facile, eum, ne migraret morem Pontificiorum, quo Chinenſium exemplo ſe ſolos in religione oculatos eſſe, reliquos orbis incolas aut cœcutire aut plane in tenebris verſari ſibi perſuadent, nonniſi eos in ſcriptorum eccleſiaſticorum cenſum retuliſſe, qui Romam inveterato atque ob id ipſum amabili errore adorarunt. Sed age excerpamus nonnulla ex præclaro hoc
p. 2. opere. De Adamo Sasbouthe refert, eum tam prodigioſa polluiſſe memoria, ut Virgilii poetæ XII libros ſine ulla hæſitatione recitare poſſet. Quæ res non ſolum nobis in memoriam revocat Lipſii exemplum, Taciti libros a capite ad calcem recitare valentis, teſte Erythræo in Pinacotheca tertia: ſed & poſteritatis memoria dignum judicamus, quod teſtimoniis omni exceptione majoribus compertum habemus de duobus Jenenſium Theologis, Chriſtiano Chemnitio & Valentino Velthemio, quorum ille propoſito quocunque dicto, immo nomine proprio Biblico, illico indicavit, in quo libro librique capite & capitis commate id legeretur, hic commemorata quacunque ſententia, quin etiam phraſi, ex Grotiano opere de Jure belli & pacis, nihil hæſitans nec unquam errans docuit, in quo pariter libro, capite, paragrapho, numero ea reperiretur. Quid? quod Velthemius aliquando memoriæ ſuæ fiducia cum auditoribus ſuis ea de re ſponſionem fecit, ita ut uni denario ipſe opponeret aureum: ſed cum complures ſuum perdidiſſent denarium, nec quisquam ob fidelitatem Velthemia-

themianæ memoriæ ullum aureum reportaret, veriti ſunt amplius pecuniæ ſuæ facere periculum. Sed hæc heſtenus. Redimus ad Pinium, qui Johannis Feri Commentarios in Scriptu- p. 2,3.
ram ſacram eximiis ornat laudibus, inter alia & hoc referens, quod is verba illa: *Tu es Petrus, & ſuper hac petra* &c. ita expoſuerit, ut per *petram* caperet Eccleſiam. Ambroſii Ca- 3.
tharini verum nomen fuit Politus Lancellotus, quo antea uſus nomine Jus Civile docuit in pluribus Academiis Italiæ, eoque anno 1515, cum annos natus 32 ordini Dominicanorum ſe addiceret, abdicato, adſcivit Ambroſii Catharini nomen. Ex hoc intelligimus, cur Sadoletus in Epiſtolis ſuis *p. 533 ſeqq.* eum appellet Ambroſium Catharinum Politum. Laurentius de 165.
Villavicentio, Auguſtiniani ordinis monachus & Philippi II Regis Hiſpaniæ concionator, doctis annumerandus impoſtoribus eſt, quippe cum editos ſuo nomine libros IV *de recte formando ſtudio Theologico*, Antverpiæ anno 1565 impreſſos, ad verbum deſcripſerit, paucis additis vel immutatis, ex ejusdem argumenti opere Andreæ Hyperii, Theologi Marpurgenſis, anno 1559 Baſileæ excuſo. Addimus, hanc Villavicentii fraudem jam notatam eſſe ab Hottingero Primit. Heidelb. p. 7 & Analect. p. 139. Pinius vero memorat inſuper, eundem etiam tres libros publicaſſe, *de ſacris concionibus formandis*, &, cum eodem de argumento idem Hyperius duos libros conſcripſerit, veretur, ne & hic doctis impoſuerit, immo plane hoc confirmat teſtimonio Valerii Andreæ. Georgii Caſſandri non 42-61.
modo ſummam eruditionem & chriſtianiſſimos mores laudat, 119 ſeq.
verum etiam, quæ in ejus libris continentur, copioſiſſime recenſet. De Johannis Stephani Duranti, Præſidis Parliamenti Toloſani, libro *de ritibus Eccleſiæ Catholicæ* dum diſſerit, commemorat, Bretium, Martennium, & Anonymum quendam contendere, verum hujus libri auctorem eſſe Petrum Daneſium, cujus Bibliotheca coemta Durantus librum hunc ibi inventum præfixo ſuo nomine emiſerit. Sed ipſe quidem Pinius, Ephemeridum Eruditorum (*Journal des Scavans*) auctoribus aſſenſus, illorum conjecturas leves eſſe judicat, & ſecundum Durantum fert ſententiam. Ceterum ut & vitas

 cla-

Digitized by Google

p. 31 ſeq. clariſſimorum aliquot Virorum delibemus, *Dominicus Soto*, Segoviæ in Hiſpania anno 1494 natus, hortulani fuit filius. Cum Segoviæ rudimenta Grammatica didiciſſet, inopia adactus eſt æditui munus in parvo oppidulo, cui nomen Orcando, ſuſcipere ad vitam tolerandam. Poſtea vero Complutum petiit ſtudiorum cauſa, curſumque Philoſophicum abſolvit magiſtro Thoma de Villa nova, poſtea facto Archiepiſcopo Valentino. Hinc Sotus in Academiam Pariſinam ſe contulit, ibique factus eſt Magiſter artium. Reverſus in Hiſpaniam, Compluti docuit Philoſophiam, & aliquo tempore poſt nomen ſuum dedit Ordini Dominicanorum. Ex eo tempore perrexit docere Salmanticæ & alibi locorum, editis quoque Commentariis Philoſophicis ſuper Ariſtotelem. Anno 1548 miſſus eſt ad Concilium Tridentinum, ubi vices geſſit Generalis ſui Ordinis, & maximam ſibi comparavit exiſtimationem. Tridento abiens ad Carolum V profectus eſt, qui ipſum elegerat ſuum Confeſſionarium, facturus quoque eum Epiſcopum Segovienſem. Sed Sotus recuſatis his honoribus, delatum tamen ſibi ab hoc Imperatore arbitrium ſuſcepit de celebri controverſia id temporis inter Sepulvedam & Bartholomæum de las Caſas intercedente, de acquiſitione Indiarum Indorumque libertate. Quæ controverſia pluribus enarratur *p. 64 ſeqq.* Poſtea Salmanticam rurſus ſe contulit, ibi mortuus anno 1560 d. 6 Decembris. *Franciſcus Sixtus*, a patria *Se-*
101 ſeq. *nenſis* dictus, erat ortu Judæus. Ad Chriſtianiſmum converſus eſt a Pio V Pontifice, qui tum erat Generalis Dominicanorum: ex cujus manu etiam Sixtus accepit habitum hujus Ordinis, in quo per reliquam vitam ſuam vixit, Concionatoris fungens munere. Simul vero aſſiduam Scripturæ ſacræ operam dedit, cum jam peritiſſimus eſſet linguarum Græcæ & Hebraicæ. *Bibliothecam* ſuam *Sanctam* abſolvit anno 1566, ætatis ſuæ anno 46: defunctus Genuæ anno 1569, annos 49
115 ſeq. natus. *Bartholomæus Carranza*, ſcriptor *Summæ Conciliorum*, natus Mirandæ in Navarra, admodum juvenis ordini Dominicanorum ſe adſcribi paſſus eſt in Caſtella, confectoque ſtudiorum curriculo, Theologiam docuit ſingulari cum applau

ſu

ſu. Anno 1546 ad Tridentinum Concilium miſſus acriter propugnavit, reſidentiam, quam vocant, Prælatorum juris eſſe divini. Philippus Auſtriacus cum in Angliam proficiſceretur, matrimonium cum Maria Regina initurus, eum ſecum duxit, idoneum arbitratus fore ad Catholicam religionem in hoc Regno inſtaurandam. Hic Maria Regina eum adſcivit Confesſionarium ſuum, Rex vero eum conſtituit anno 1557 Toletanum Archiepiſcopum. Carolo V morituro adfuit, eique audita confesſione criminum ſacramenta adminiſtravit. Cum deinde ſuſpicio invaluiſſet, Carolum V non eſſe mortuum in fide penitus Catholica, hujus rei culpa collata eſt in Carranzam. Quare Inquiſitores eum anno 1559 in carcerem conjecerunt tanquam hæreticum, & cauſa ejus in Hiſpania fuit acta usque ad annum 1567. Hoc enim anno, cum provocaſſet ad Pontificem, miſſus Romam eſt, & ibi quoque in carcerem Inquiſitionis conjectus, multa pertulit intra decem fere annos, quibus aſſervatus eſt. Tandem anno 1576 hæc promulgata ſententia eſt, ut, quia deſint certæ probationes hæreſeos ejus, nec tamen deſint validæ conjecturæ, abjuraret imputatos ſibi errores. Huic mandato cum paruiſſet, in Conventum Minervæ miſſus eſt, ubi paulo poſt obiit d. 2 Maji A. 1576, annos natus 72. *Hieronymus Oſorius* natus p. 121 ſeq.
Lisbonæ ex ſtirpe illuſtri, primum Salmanticæ litterarum ſtudio vacavit, deinde Pariſiis, tandem Bononiæ. In patriam redux Conimbricenſi in Academia Scripturam ſacram expoſuit. Hinc Eccleſiæ Traverenſi præfectus, deinceps factus Evoræ Archidiaconus, adjuncto tandem titulo Epiſcopi de Silves, vitam egit probatisſimam, ſuaque ſibi humanitate omnium conciliavit amorem. Mortuus eſt anno 1580 d. 23 Auguſti, annos 74 emenſus. Operae jus omnia Romæ IV tomis edita ſunt. Pinius judicat, jure eum appellatum eſſe *Ciceronem Portugallicum*. *Joannes Maldonatus* nobili familia prognatus 125 ſeqq.
eſt anno 1534 in Extremadura Hiſpanica. Poſtquam in Academia Salmanticenſi linguas & humaniores excoluiſſet literas, nec nullam civili Jurisprudentiæ dediſſet operam, tandem totum ſe dedit ſacris ſtudiis, magiſtris uſus Dominico Soto ac

Franciſco Toleto. Antea, quam nomen ſuum daret Jeſuitarum ordini, quod Romæ factum anno 1562, Salmanticæ docuit linguam Græcam, Philoſophiam item ac Theologiam. Anno 1563 Lutetiam miſſus, ibi per triennium Philoſophiæ præceptorem egit, poſtea quatuor annos Theologiæ, extraordinarium nactus auditorum numerum. Anno 1570 una cum novem ſui ordinis ſociis conſilio Cardinalis Lotharingi Pictavium miſſus eſt, qui reſiſteret hæreticis magno numero ibi locorum degentibus. Hinc itinere in Lotharingiam ſuſcepto Sedanum tranſiens, Colloquium habuit cum viginti Theologis hæreticis, quorum duo brevi tempore poſt tranſierunt in caſtra Pontificiorum. Inde Lutetiam reverſus, perrexit Theologiam auditoribus exponere, idque ſolidiori & accuratiore, quam antea factum fuerat, ratione. Inter hæc inciderunt ei duæ controverſiæ. Primum enim accuſatus fuit in foro politico facti, in gratiam Societatis Jeſu teſtamenti a Præſide Montebrunio, cui moribundo adfuerat: ſed hoc quidem crimen Curia ſuprema, cognitæ Maldonati probitatis rationem habens, pronuntiavit falſum. Deinde Academia Pariſienſis & Senatus Theologorum ei inuſtum ivit hæreſeos notam, quod immaculatam conceptionem Mariæ negaverit eſſe creditu neceſſariam. Nimirum Maldonatus cum in prælectionibus ſuis hanc quæſtionem agitaſſet inſtar problematis, ea res vehementer movit Theologos, qui indubitatam eam veritatem putabant eſſe, nixi decreto Baſileenſis Concilii, quod Maldonatus rejiciebat, tanquam non œcomenicum. Hac de cauſa Rector Academiæ, congregatis quatuor Facultatibus, queſtus, Maldonatum imprudenter nec ſine offenſione plebis id feciſſe, cum tamen inde a Concilio Baſileenſi Eccleſia Gallica contrarium ſenſiſſet, eum dixit ſchismati locum facere. Quo facto miſſi ſunt ad Petrum Gondium, Pariſinum Epiſcopum, qui eum rogarent, ut anteceſſorum ſuorum exemplo immaculatam Virginis conceptionem tueretur. Epiſcopus Maldonato favens duodecim Theologos elegit ſuam ſententiam ſuper hac re dicturos. Horum tres pro immaculata conceptione pronunciarunt: novem reliqui ſtatuerunt, Facultatem

Theo-

Digitized by Google

Theologicum hoc dogma habere non pro articulo fidei, ſed tantum pro incitamento pietatis. Addiderunt, Concilium Baſileenſe ſanxiſſe feſtum hujus conceptionis diem tanquam rem fidei non contrariam & pietati conformen: Concilium Tridentinum libertatem ſentiendi cuivis reliquiſſe illibatam. Etſi vero tres priores Theologi jubebant de vera Facultatis Theologicæ ſententia integrum eorum Collegium conſulere, tamen Epiſcopus anno 1576 d. 17 Januarii edita ſententia ſua declaravit, Maldonatum nil docuiſſe hæreticum aut religioni adverſum. Ortæ hinc magnæ turbæ. Nam Jeſuitæ iſtam Epiſcopi ſententiam non ſolum Pariſiis, ſed in toto Regno affigi curarunt. Quid? quod publice quidam declamabant contra *Conceptionarios*: ita enim eos vocabant. Facultas Theologica interim edidit ſententiam d. 2 Februarii, qua declaravit, ad articulos fidei pertinere conceptionem Virginis immaculatam. Qua re offenſus Epiſcopus ſacris interdixit Decano & Syndico Facultatis; qui injuriam ſibi factam eſſe rati provocabant ad Senatum Regni ſupremum. A quo, cauſa præſente Epiſcopo acta, duo illi Doctores abſoluti ſunt *ad cautelam*. Nihilominus Maldonatus relicta Lutetia in Biturigum urbem ſe contulit, ibique Commentarios compoſuit in IV Evangelia & Prophetas, quos minores vocant. Hinc Romam a Gregorio XIII juſſus venire eſt ad edenda Biblia Græca. Sed hic paulo poſt quam adveniſſet, in morbum incidit, ac mortuus in lecto inventus eſt anno 1583 d. 5 Januarii, anno ætatis 49. Scriptorum ſuorum, quoad in vivis fuit, nihil emiſit in lucem. Sed anno 1596 Muſſiponte editus eſt Commentarius ejus in quatuor Evangelia, rurſus Breſciæ in Italia 1598, Lugduni & Moguntiæ 1601 & Pariſiis 1617. Quæ poſt ea tempora editiones prodiere Coloniæ, Moguntiæ & Pariſiis, in aliquot locis ſunt corruptæ. Pinius *p. 127* judicat, hunc Commentarium ſumma cura & judicio confectum eſſe: autorem quippe literalem ſenſum ſollicite inveſtigare & perſpicue proponere: nec ſuperſtitioſe inhærere explicationibus veterum, ſed libertate uſum eam amplecti ſententiam, quæ ipſi videatur ſimpliciſſima, hincque & a vulgato interprete ſubinde recedere, & ſæpe Calvi-

num Bezamve ſequi. Obiter hic annotamus, de commemorata Maldonati controverſia etiam nuper Simonium egiſſe Tomo I Bibliothecæ Criticæ, pariterque ampliſſimum ei tribuiſſe præconium. Sed miſſam jam facimus Pinii Bibliothecam, uno tantum verbo addentes, agi quoque ibi præter alios minus celebres de *Iſidoro Clario*, *Alphonſo de Caſtro*, *Reginaldo Polo*, *Joachimo Perionio*, *Melchiore Cano*, *Bartholomao Latomo*, *Joanne Heſſelio*, *Thoma Campegio*, *Carolo Molinao*, *Onuphrio Panvinio*, *Joanne Mercero*, *Claudio Eſpencao*, *Joanne Geneſio Sepulveda*, *Franciſco Balduino*, *Cornelio Ianſenio*, *Laurentio Surio*, *Stanislao Hoſio*, *Petro Ciacconio*, *Billio*, *Herveto*, *Turriano*, *Adrichomio*, *Salmerone*, *Sigonio*, *Antonio Auguſtino*, *Martino Navarro*, *Jacobo Pamelio*, *Guilielmo Lindano*, *Franciſco Toleto*, *Emanuele Sa*, *Gilberto Genebrardo*, *Aria Montano*, *Franciſco Ribera*, *Thoma Stapletono*. Quod reliquum eſt, Celeberrimo Pinio proſpera quæque apprecamur, ut, quem ſe propediem editurum in Præfatione promittit, Tomum de ſæculi XVII ſcriptoribus eccleſiaſticis quamprimum in conſpectum litterati orbis proferre queat.

ANTIQUITATES GROENINGENSES.
oder
Hiſtoriſche Beſchreibung der vormahligen Biſchöfflichen Reſidentz Gröningen.
i. e.
HISTORICA DESCRIPTIO SEDIS OLIM Epiſcopalis Grœningenſis in Principatu Halberſtadienſi.

Quedlinburgi, apud Theod. Philippum Calviſium, 1710, 4.
Alph. 1 plag. 15.

POſtquam Pl. Rev. Autor aliorum inferioris potiſſimum Saxoniæ oppidorum ac monaſteriorum hiſtoriam ſcriptis ſuis illuſtravit, & intra paucos abhinc annos Antiquitates Walkenridenſes, Gandersheimenſes, Ilfeldenſes aliasque in his Actis jam laudatas edidit, non alienum ab inſtituto ſuo duxit, illi etiam civitati

vitati, in qua ſacerdotis munere fungitur, eandem operam impendere. Hoc ergo ita exequitur, ut non modo ipſius urbis Grœningenſis nomen, ſitum, originem, varias fortunæ viciſſitudines, & viros in ea ſacris vel civilibus muneribus functos, diligenter recenſeat, ſed ad vicina etiam loca, præfecturæ Grœningenſi addicta, excurrat, tum & Principes atque Epiſcopos, quorum ditioni urbs iſta ſubjecta fuit, enumeret. Pri- Cap. III p. 17.
mum inter hos, de quo ex certis monimentis conſtet, fuiſſe putat Luitholfum Wittikindi Saxonum Ducis nepotem, quem in Saxoniæ Ducatu ſecuti ſunt Otto filius deſtinatus aliquando Rex Romanorum, &, qui recuſatam a patre dignitatem ſuſcepit, Henricus Auceps. Hunc cum ab exercitu Conradi I, ſui in Regno Germanico anteceſſoris, in arce *Grona* gravi obſidione preſſum, & aſtu Ditmari Comitis Wettinenſis liberatum fuiſſe, tradant hiſtorici, nec tamen, ubi Grona illa ſita fuerit, ſatis conſentiant, Noſter cum Fabricio & Peckenſteinio ipſam Grœningam ſuam per illam intelligendam eſſe, contendit. Pro- 22.
greſſu temporis hæc ad Epiſcopos Halberſtadienſes pervenit, quorum nonnulli etiam domicilium ibi habuerunt. Hoc Cl. Autori occaſionem dedit totam eorum ſeriem inde a Caroli IV.
M. temporibus usque ad medium ſeculum XVII, quo per pacem & tranſactionem Osnabrugenſem ditio Halberſtadienſis *FRIDERICO WILHELMO* Magno, Electori Brandenburgico, Principatus ſecularis nomine obvenit, inſerendi. Hodie urbs iſta *FRIDERICO* Potentiſſimo Boruſſiæ Regi paret, qui eam Sereniſſimæ Conjugi *SOPHIÆ LUDOVICÆ* poſt mortem ſuam poſſidendam deſtinavit, eidemque jam A. 1709 menſe Majo civium ac ſubditorum fidem ſacramento obſtrinxit, qua de re ſub finem hujus commentationis fuſius exponitur, ſi- 926.
mulque Genealogia Sereniſſimæ Reginæ ſubjicitur.

MEMOIRES DE M. L. D. D. N.

i. e.

COMMENTARII RERUM IN GALLIA DURANTE civili Bello Pariſienſi geſtarum, X ferme annorum Hiſtoriam, ab A. 1643 usque ad A. 1652, complexi.

ab

Coloniæ, A. 1709, 12. Pl. 12.

IN Præfatione virtutes atque eximiæ animi dotes Sereniſſimæ Nemoroſii Principis, quam nuſpiam quidem nominatam, Libri autorem eſſe facile patet, copioſius enumerantur, eamque omnium arcanorum negotiorum & conſiliorum, in Gallicana Aula ſuo tempore agitatorum, peritiſſimam fuiſſe, aſſeritur. Præcipue vero inteſtinos motus ac tumultus, a Pariſienſibus contra Mazarinium, Romanæ Sedis Purpuratum, omnibus inviſum, excitatos, atque a præcipuis Galliæ proceribus haud obſcure fotos, accurate hic deſcripſit, cauſas diſſenſionum recte aperuit, bellique civilis incrementa pariter atque exitum ſumma cum dexteritate explicavit. Quum enim Mazarinius, in Richelii locum ſuffectus, apud Reginam viduam, quæ Regis junioris nomine ſummæ rerum præerat, plurimum valeret, omniaque pro nutu ſuo adminiſtraret, Principes, regio ſanguine procreati, auctoritate ſupremi Senatus Pariſienſis uti, Italumque ampliſſimis non modo honoribus, quibus in Gallia fungebatur, exuere, ſed & Regno expellere cenſuerunt. Neque in Senatu, vulgo Parlamento, ulla mora fuit; quippe qui lata ſententia Mazarinium proſcripſit & Regno excedere coegit. Qui vero ejus auctoritate nitebantur, *Funditores* (cujus nominis origo vid. p. 11 & 57) dicti ſunt; cum Regina autem & *Cardinali* facientes, *Aulici*, ſive Aulæ partibus addicti, appellati fuerunt. Inter Mazarinii adverſarios maxime eminebant Condeur, Contius & Longovillius, fratres & affines, quibus deinceps ille, in priſtinum honorem dignitatemque, ad legitimæ atque imperio idoneæ ætatis annos perveniente Rege, reſtitutus, multum nocebat, ſibique illatam injuriam ſevere ulciſcebatur. Quæ omnia diligentiſſime exponuntur, ac plurima, alibi haud obvia, rebuſque ea tempeſtate in Gallia geſtis maximam lucem fœnerantia, commemorantur. Imprimis autem ſingulares animorum characteres, in Principibus viris fœminiſque, qui publicis negotiis ſeſe immiſcuerunt, conſpicui, memoratu digni ſunt, & majorem in modum illuſtriſſima Princeps Nemoroſii hoc nomine laudanda eſt, quod illos accurate deſcripſit, iiſdemque, Velleji Paterculi, graviſſimi ſcriptoris, exemplum prudenter ſecuta, Hiſtoriam ſuam locupletavit.

* * *

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. XI.

MEMOIRES CONCERNANT LES VIES &c.

h. e.

COMMENTARII DE VITIS ET SCRIPTIS Virorum recentioris ævi noſtri in literaria Republica celebrium; Autore CAROLO ANCILLONIO, *Regiæ Societatis Berolin. Socio.*

Amſtelodami, ex officina Wetſteniana, 1709, 8.

Alph. 1.

QUod Plinius ad Caninium ſuum Libr. VI Epiſt. 20 ſcribit: *ſum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio;* id Nobiliſſimus Commentariorum iſtorum Autor cogitaſſe nobis videtur, cum calamum ſuum deſcribendis nonnullorum vitis laudibusque commodavit, qui ultimam hanc noſtram ætatem monimentis ornarunt doctiſſimis, Galliæque cumprimis, unus etiam Germaniæ noſtræ, decori fuerunt. Sunt iſti Valentinus Conrartus, Barthol. Herbelotus, Urbanus Chevræus, Henricus Juſtellus, Adrianus Bailletus, Jacobus Benjamin, Ludovici duo, cum Johanne & Claudio, Auberii, Joh. deinde Baptiſta Cotelerius, & Laurentius Begerus, de quorum in rem literariam meritis copioſe ſtyloque perquam commodo & venuſto exponit, & quæ in Ephemeridibus Eruditorum paſſimque alibi de iisdem fuerant conſignata, labore repetit diligentiſſimo. Dabimus inde decerpta quædam, quæ legentes nos præ ceteris

p. 23. adverterunt. Refertur de Conrarto, quod Græcæ Latinæque linguæ deſtitutus cognitione ac ſolius naturæ beneficio & judicii rectitudine ſecreta ſcientiarum penetraverit, quem a Richeleto quendam *Muſarum Secretarium* appellari inferius tradit, & dicendi formam ſibi comparaverit elegantem, ex quo Balſacio nata ſit occaſio ſcribendæ diſſertationis, quod homines dentur unico naturæ ductu ſapientes, quæ T. II Operum ipſius p. 653 ſ. legitur, & Conrarti, quamvis non nominati, elogium eſt. Idem Conrartus libelli toties impreſſi, & non ita pridem in vicina nobis Academia Germanica quoque verſione ornati de actione oratoria perhibetur Autor; ſed eum
44. libellum ipſum correxiſſe tantum, edique curaſſe, a Faucherio, divini verbi Miniſtro, ſcriptum, memoratur; foreque, addit Ancillonius, ut vita Guilielmi Farelli a Patre ſuo olim compoſita, ſed obſervationibus Conrarti in margine aucta, cum MSCtum ipſum amiſſum ſit, ſub hujus nomine aliquando pro-
125. deat. Uxorem Conrarti ab amicis, quos plurimos hic habebat, magni quoque æſtimatam, ut maritus ſuaves mittendo literas, ita hos eosdem vel melicratum, vel paſtillos aut dulciaria alia donando, non parum, ſcribit, exhilaraſſe, ac potuiſſe illos adeo delicias humani generis jure nuncupari. Ex eodem Noſtri
126. hoc libro diſcimus, Henricum Juſtellum, qui ob purioris fidei profeſſionem e Gallia in Angliam ſeceſſerat, cum infans ipſi natus ibi eſſet, Academiam Oxonienſem invitaſſe, quæ pro infante baptiſmi ſalutari lavacro abluendo ſponderet, ad quem modum Mommorantius Conneſtabilis in Gallia civitati Lutetiæ idem munus commiſit, & Franciſcus I in filii cujusdam initiatione Helvetiorum Rempublicam iis partibus defungi volu-
293. it; itemque Adrianum Bailletum, qui Patrem habuit ruricolam, inter cetera ingenii monimenta anno 1694 Hollandiæ evulgaſſe Hiſtoriam in Annalium Hugonis Grotii quaſi ſupplementum, ſub Domini de Neuville latitantem nomine. Benjamini Au-
317. berii, Chriſtianisſimi Regis ad Batavos Legati, magnam ubique gloriam dum fuiſſe ſcribit, haud raro cinctum trecentis Gallorum nobilibus, qui Hagæ Comitum, Mauritii Arauſionenſis
325. Principis fama tum exciti, agebant, ad Ordinum conſeſſus iviſſe ad-

Digitized by Google

ſe addit. Idem Auberius Mornæum, Henrici IV In Anglia Legatum, minus benigne exceptum audivit ab Eliſabetha Regina, quod Buzanvalius, apud eandem aliquando Legatus, inter cœnandum cum Mornæo ridiculam Reginæ Gallica vocabula pronunciandi rationem ſuggillaſſet, dicentis nimirum productis nimium ſyllabis *paar Dieu, paar ma foi*, quod ita male habuit ipſam, ut & ab ipſo Mornæo, quin & Gallis omnibus alieno eſſet deinceps animo. Dum Jo. Baptiſtæ Cotelerii memoriam Noſter celebrat, a Johanne Clerico notat obſervari, quod Latinæ p. 382. elegantiæ parum hic fuerit ſtudioſus, in Græcorum nimirum monimentis verſandis nunquam non occupatus, atque vocem κεφαλαιωδῶς exempli cauſa barbare capitulatim verterit, cum ſummatim debuiſſet ſcribere, & ubi Latini præpoſitione *a* utuntur, præpoſitionem *per* ubique adhibeat; eundem Cotelerium 392. infantem nutrice deſtitutum, quam peſtis ſcilicet tum ſæviens ſuſtulerat, capræ ubera porrigentis lacte altum, atq; hinc febri haud raro correptum, imo & melancholicum fuiſſe, Graverolii narrat verbis, eademque occaſione de morbis ex iſtiusmodi nutritione contractis disquirit, & IV Monumentorum Eccleſiæ 411. Græcæ Tomum a Stephano Baluzio, in cujus manus poſt Cotelerii obitum tranſierat, ante mortem, quam & ipſe ſubiit, non editum fuiſſe, nobiscum dolet. De Laurentio Begero, qui in aula Caroli Ludovici, Palatini Electoris, olim verſatus eſt, conſtare poteſt, quod, cum Princeps hic Degenfeldiam cœpiſſet deperire, pro juſtitia Polygamiæ Serenisſimis auſpiciis mandatisque librum ſcripſerit, ſub Daphnæi Arcuarii nomine la- 493. titans; at enim vero ſingulare eſt, quod Ancillonius noſter ſubjungit, neque notum in vulgus, nimirum Carolum, novum Electorem, qui Patri anno cIↃIↃCLXXX ſucceſſerat, adegiſſe Begerum, ut, quicquid ad Polygamiam excuſandam conſarcinaverat, commentatione nova confutaret, idemque illud ſcriptum poſt Caroli mortem ſingulari caſu ad Begerum rediiſſe atque hærere nunc in viduæ ipſius manibus. Hæc pauca ex ipſo Commentariorum libro placuit hac vice delibare, in cujus Præfatione cum Elogiorum e Thuano excerptorum, & cum additionibus ſuis edendorum, meminit, clariusque omnino

Digitized by Google

nunc Regum ea Principumque & Cardinalium aliorumque in ſago potiſſimum illuſtrium heroum fore ſubjicit, Inſtituti ejus quod diverſum tenet a Teiſſierii laboribus, noſque minus recte viſi ſumus intellexiſſe, nobis jam non poteſt non ratio perſpici, rogantibus vehementer, ut, quicquid molitur, cum litereriæ Reipublicæ civibus propediem velit communicare.

STATUS EQUESTRIS CÆSARIS ET IMperii Romano-Germanici, Germanice conſcriptus, a JO. STEPH. BURGEMEISTERO, D. Conſil. Sax. & Reip. Ulm.

Ulmæ, ſumptibus Dan. Bartholomæi, 1709, 4.

Alph. 4 pl. 5.

POſtquam Nobiliſſimus Autor in Codice Diplomatico, ſupra Sect. VII p. 321 recenſito, documenta publica edidiſſet, quæ ad ſtatum liberæ immediatæque Nobilitatis, Franconicæ, Suevicæ, tractusque ad Rhenum ſpectant, nunc ejusdem exponit immedietatem, prærogativas, immunitates, antiquitates, priſtinum ſplendorem, incrementa ac decrementa, & alia, quæ hic ordo expertus eſt, fata. In Præfatione mentionem facit eorum, qui in re ſimili fuerunt occupati, ut Caſparis Lerchii a Dürnſtein, qui in rariſſimo opere Moguntiæ 1626 in fol. edito (cujus tamen Pars altera igne abſumpta lucem plane non aſpexit) de Nobilitate Rhenana, eruditiſſimi porro Equitis, Reinhardi de Gemmingen, Jo. Conradi Kreidenmanni, Philippi Knipſchildii, qui Hippolyti de Treysbach nomen adſcivit, Jo. Bidenbachii, Chr. Beſoldi, Er. Mauritii, qui de Nobilitate Suevica, nec non Joh. Frid. de Lendersheim aliorumque, qui de Franconica vel ſcriptis ſeparatis vel ſparſim commentati ſunt. Diviſus eſt liber in Sectiones XIV, quæ in ſua iterum capita diſtribuuntur. In prima non modo generatim originem immedietatis hujus inde repetit, quod terræ ipſis ac bona a ſummis Imperatoribus conceſſa eſſent, verum in ſpecie etiam de Suevicis agit nobilibus, eorundemque & privilegia & jura ab eo potiſſimum deducit tempore, quo Imperium ad Aleman-

lemannos translatum legitur. Præter functiones nobilium & officia, quæ Sect. II docet, in nomen Equitum Imperii inquirit, quos cum aliis dictos vult inde, quod Imperatores olim eorum opera bellicis in rebus fuiſſent uſi. Equites ſcilicet fuiſſe cenſet milites præſidiarios, qui ſuis in arcibus, vel caſtellis, locisque aliis, vel natura, vel arte munitis, acquiſitas bello terras, vel gubernaſſent, vel defendiſſent. Tertia originem tractat bonorum Imperii nobilium, quam a Regia deducit diſtributione, qua jure partim feudi, partim & allodii, propter officia belli tempore præſtanda, nobilibus ab Imperatoribus fuerunt conceſſa. Unde vaſallorum Dominicorum, Regni miniſterialium, ſervorumque orta fuiſſe nomina oſtendit, ſimulque de erectione Ducatus Sueviæ in familia Auſtriaca accurate agit. Quarta immunitatem exponit a collectis & oneribus Imperii, quam præter alia documenta inprimis ante CC jam annos ab Imperatoribus pace Weſtphalica & capitulationibus Cæſareis conſtitutam confirmatamque prolixe demonſtrat. Quinta agit de ſubſidiis charitativis, quæ a Friderico III, Maximiliano I, & Carolo V deducit. Nobiles autem ab his exemptos ſemper fuiſſe, ſic ut corpore, non ære belli tempore ſervierint Imperio, dilucide probat. Tum rationem ejusmodi ſubſidia ipſos inter nobiles colligendi, Sectio ſexta exponit. Paullo prolixius vero in ſeptima de ſubſidiis agit, quibus corpus nobilitatis equeſtre conſervetur. Atque hic ſimul de origine cantonum ac ſocietatum, quas, uti ex cujusque cantonis inſignibus, quibus ineunte jam ſeculo VIII uſi fuiſſent, pateat, longe antiquiores ducit S. Georgii fœdere, A. 1392 inito, de incrementis porro horum cantonum, de corpore, quod univerſa Imperii Nobilitas ſub Ferdinando I & Maximiliano II conſtituit, deque ærario agit nobilitatis, qua ratione conſervari illud augerique poſſit. Octava rationem modumque & proportionem ſubſidiorum charitativorum aliorumque onerum inter ipſos nobilium cantones exponit, quibus limites & inſignia addit diverſarum claſſium Ordinis Equeſtris Sueviæ. Nona de trium circulorum, ut vocant, Correſpondentium, Suevici, Franconici & Rhenani mutua conjunctione tractat, quam Mergentheimii de-

Digitized by Google

mum ſtabilitam A. 1577 dicit, deque limitibus cantonum Franconiæ, Alſatiæ, tractusque ad Rhenum. Decima Sectio tota fere Heraldica eſt, & de ludis agit equeſtribus, de iis, qui minus admitti ad torneamenta potuere, de familiis item, quæ ludis interfuere, de numero ludorum equeſtrium, & reliqua. Undecima originem docet rationemque nobilium nominum, inſignium, armorumque & titulorum. Duodecima de priſtino ſplendore agit nobilium, deque decrementis, quæ partim ex ſeparatione nobilium a Comitibus, Baronibus & Prælatis; partim ex interitu tot nobilium familiarum ampliſſimarum orta ſunt. Ex decima tertia hiſtoria præſertim directoriorum, capitaneorum nobilium, eorumque & negotia & jurisdictio peti poſſunt. Sic tota hiſtorica eſt ultima, quæ ſtatum nobilium imperii, Suevicorum imprimis, qualis ſeculo XIV, XV & XVI fuit, exponit. Hinc de origine Nobilitatis Teutonicæ, & de ejus dignitate præ reliquis, tractat, nec non de patritiis urbis Ulmenſis, quæ tota olim habitata fuerit nobilibus. Varia tum etiam de diſſidiis, quæ inter nobiles olim ruri degentes & urbes, præſertim Ulmenſem, interceſſere, & de decrementis tum familiarum tum urbium imperialium refert. Tandem & de urbis Ulmenſis præ ceteris olim in Suevia ſitis præſtantia & prærogativis Autor doctisſimus accurate ediſſerit.

VORTREFFLICH-HOCH-ADELI-ches Controfee;

d. i.

Vollkommener Adel/ durch dreyfach mit vielfachen Meritten unvergleichlich-erworbene Glory in Geiſtlich-Staat-und Krieges-Ständen des Hoch-Fürſtlich-und Hoch-Gräfflich-Uralten Hauſes vom Lamberg ꝛc.

h. e.

ICON PERFECTÆ NOBILITATIS IN HEroibus Sacris, Togatis & Sagatis Celſisſima ac Illuſtrisſima Gentis Lambergiæ delineata a JOSEPHO MA-

MATER, Ord. S. P. P. E. Abbate ad S. Andream de Saar & Monoſtra &c.

Viennæ Auſtriæ, typis Andreæ Heyinger, 1709, fol.

Conſtat Alphab. 4 cum tabb. æn. inſertis.

LAmbergiorum Gentem, in hæreditariis Auſtriacorum Archiducum provinciis per annos ſexcentos, & quod excedit, meritis potentiaque illuſtrem, noſtra ætate non tantum Reverendiſſimus S. Celſiſſimus Dominus, D. JOANNES PHILIPPUS Comes Lambergius, Epiſcopus & Princeps Paſſavienſis, & S. Sylveſtri Cardinalis Presbyter eminentisſimus; verum etiam Celſiſſimus Princeps ac Dominus, D. LEOPOLDUS MATTHIAS, S. R. I. Princeps Lambergius ac Landgravius in Leuchtenberg, S. Cæſ. Regiæque Majeſt. in Sanctiore Conſilio Senator, nec non ſupremus Comes Stabuli, nuper admodum die 10 Martii A. 1711 fatis functus, ad ſummum famæ honoris faſtigium evexerunt. Quamobrem ex virorum litteratisſimorum cœtu nonnulli de conficiendis Genealogiæ Lambergianæ commentariis ſolliciti fuere, in quorum numero primas, ceu videtur, laureas decerpſit Vir Magnificus *Ferdinandus Ludovicus de Bresler & Aſchenburg*, S. Cæſ. Maj. Conſiliarius & Reipubl. Vratislavienſis Senator amplisſimus, multis in ſtudio Genealogico & Hiſtorico nominibus clarus. Is enim pro ſuo, quo ad hæc ſtudia fertur, ardore ineffabili, perlectis omnibus, qui de Gente Lambergia unquam litteris aliquid conſignarunt, ſcriptoribus, fuſo ac pereleganti opere illam ita curioſe delineavit deſcripſitque, ut poſt præmiſſum moderni ſtemmatis auguſti conſpectum reliquæ inſuper lineæ omnes, ſive florentes iſtæ aut demortuæ jam fuerint, oculis Lectorum ſeſe ſiſtant, quas deinde confecto de Prærogativis, Titulis, Officiis, Inſignibus ac Dynaſtiis, quas in Auſtria Carinthiaque poſſident, commentario doctisſimo illuſtravit. Subjecit ulterius novas quasdam Tabulas, quibus moderni Landgravii in Leuchtenberg cum invictisſimo Imperatore Romano, Auguſtiſſima Imperatrice, Potentiſſimis Regibus, aliisque primi ordinis in Europa Principibus cognationem, ex rationibus genea-

genealogicis oſtendit. Splendidiſſimi hujus operis Partem primam, quæ originem Gentis Lambergiæ usque ad Mathiam Leopoldum S. R. I. Principem deducit, Nobiliſſimus Breslerus noſter Celſiſſimo huic Landgravio curaverat offerendam; qui curam & elegantiam ſuſcepti laboris admiratus, multas Autori gratias dixit, codicemque manuſcriptum Illuſtriſſimo Parenti ſuo FRANCISCO JOSEPHO Comiti Lambergio, autoritate Cæſarea Superioris Auſtriæ Gubernatori, communicavit. Qui cum illius copiam *P. Joſepho Mayer* faceret, anſam inde hic ſumſit *Iconem* hanc *perfectæ Nobilitatis* concinnandi, & præſens, cujus vel e titulo Autorem velut ex ungue leonem cognoveris, opus in publicam lucem emittendi. Iſthoc opere oſtenſurum ſe Orbi univerſo pollicetur, ex unica Gente Lambergia prodiiſſe complures Heroes, in Eccleſia, in Aula Vindobonenſi, in bellis Auſtriacis undiquaque clariſſimos.

Prima Claſſis novem Viros eccleſiaſtica dignitate illuſtres allegat: 1. *Sigismundum* ſcilicet a *Lamberg*, Friderici III Imperatoris ſupremum Cancellarium Aulicum, poſt prælium ad
p. 3. Labacum anno 1461 feliciter commiſſum, primum dictæ urbis Epiſcopum-Principem; 2. *Balthaſarem a Lamberg*, Præpoſitum
7. Capituli Salisburgenſis; 3. *Chriſtophorum a Lamberg*, Bal-
13. thaſaris in Præpoſitura Succeſſorem, deinde Seccavienſem in Styria Epiſcopum-Principem, qui tamen anno 1546 ab eccleſiaſtico munere ſe abdicavit, & privatus conſenuit; 4. *Ja-*
18. *cobum Baronem Lambergium*, Gurcenſem in Carinthia Epiſcopum-Principem, qui religioni Lutheranæ, circa annum 1603 illis in finibus incrementa ſumenti, pro viribus reſtitit; 5.
25. *Carolum Baronem Lambergium*, anno 1606 Archi-Epiſcopum Pragenſem, & Ordinis Hoſpitalarii Equitum Cruciferorum cum rubea ſtella ſupremum Magiſtrum creatum, qui tamen anno 1612 d. 18 Septembris fatis conceſſit; 6. *Georgium*
34. *Godefridum Comitem Lambergium*, Equitem ordinis Mariani atque in Auſtria & Carinthia Commendatorem; 7. *Joan-*
41. *nem Philippum, Comitem Lambergium* Epiſcopum ac Principem Paſſavienſem anno 1689 conſtitutum, Legatum D. Leopoldi Imperatoris ad Comitia Varſovienſia A. 1697 in Poloni-

loniam dimiſſum, ab Innocentio XII Pont. Rom. d. 20 Junii A. 1700 Cardinalem ſub titulo S. Sylveſtri creatum & jam per annos plures Imperatoriæ dignitatis & negotiorum in Conventu Ratisbonenſi adminiſtrum primarium; 8. *Joſephum Dominicum Comitem Lambergium*, Præpoſitum Paſſavienſem; & 9. *Joannem Ferdinandum Comitem Lambergium*, Canonicum Paſſavienſem.

p. 55. 64.

Secunda Claſſis XIX Viros aulicis muneribus optime defunctos ſiſtit: 1. *Hermannum* nempe *Lambergium*, Rudolphi Habſpurgici Imperatoris miniſtrisſimum, qui Genti ſuæ magna incrementa attulit; 2. *Berengarium a Lamberg*, ab Alberto I Imperatore anno 1300 Pariſios in Galliam ablegatum, ut Blancam, Philipppi IV ſive Pulcri Galliarum Regis ſororem, Rudolpho Alberti filio ſponſam adduceret: qui etiam Alberti II Conſiliarius aulicus, & *Auſtriæ Regulus*, in Privilegiis Academiæ Vindobonenſis appellatur; 3. *Joſephum a Lamberg*, ejusdem Alberti II Archiducis Legatum ad Venetos, & Mareſchallum aulicum; 4. *Dietmundum a Lamberg*, Alberti II Imperatoris Conſiliarium intimum, omniumque expeditionum comitem fidiſſimum; 5. *Franciſcum a Lamberg*, qui coronationi & nuptiis Imperatoris Friderici III cum Eleonora Principe Regia Luſitanica A. 1452 Romæ magnificentisſime celebratis interfuit, atq; tunc Caroli M. Imperatoris gladio percuſſus Eques Auratus factus eſt; 6. *Chriſtophorum a Lamberg*, Friderico III a ſanctioribus ſtatus ac belli conſiliis, nec non Burgundicæ ac Hungaricæ expeditionis ſocium, cujus etiam gratia Pöttevinianorum inſignium augmentum ſcuto Lambergiorum gentilitio accesſit; 7. *Joannem a Lamberg*, quem D. Ferdinandus I Imperator Baronatus titulo decoravit, & Supremum Aulæ ſuæ Præfectum eſſe juſſit; 8. *Sigismundum II Baronem Lambergium*, Conſiliarium laudatisſimi Regis intimum, & ſummum aulæ ac venationum Magiſtrum; 9. *Joſephum Baronem Lambergium*, apud Ferdinandum Regem ſimili dignitate præditum, qui in colligendis familiæ ſuæ annalibus nulli operæ, nullis etiam ſumptibus pepercit; 10. *Sigismundum III Baronem Lambergium*, Maximiliani II Cæſaris commilitonem cariſſimum, poſtea copiarum ductorem & hæ-

71. 85. 92. 98. 106. 114. 123. 128. 134. 140.

Digitized by Google

p. 145. reditarium Auſtriæ Mareſchallum; 11. *Georgium Sigiſmundum Baronem Lambergium*, IV Imperatorum Conſiliarium intimum, cui inſignium Scaligeranorum acceſſionem gens Lambergia
253. acceptam refert; 12. *Joannem Franciſcum Comitem Lamber-*
154. *gium*, Ordinum Auſtriacorum Præſidem Provincialem; 13. *Joannem Maximilianum Comitem Lambergium*, Ferdinandi III & IV ac Leopoldi I Cæſarum Conſiliarium intimum, Cubicularium, Camerarium & Aulæ Leopoldinæ Magiſtrum ſupremum, Equitem aurei velleris, Pacis Weſtphalicæ nomine Imperatoris arbitrum primarium, & ſæpe ad aulas maximorum Regum Legatum ſplendidiſſimum, cujus ſtudio Lambergiorum
175. proſapia multis in Auſtria officiis, titulis ac honoribus hæreditariis aucta eſt; 14. *Franciſcum Joſephum*, præcedentis Filium, Equitem aurei velleris, Legatum Cæſaris in Hiſpaniam, Conſiliarium intimum, & in Auſtria ſuperiore vices Archiducis ob-
186. euntem; 15. *Caſparem Fridericum*, hujus Fratrem, Cubicula-
193. rium Imperatoris; 16. *Carolum Benedictum*, Caſparis Filium,
100. Cubicularium Cæſaris; 17. *Leopoldum Matthiam*, S. R. I. Principem Lambergium, Landgravium in Leuchtenberg, Sacratiſſimi Imperatoris JOSEPHI Conſiliarium intimum, ſupremum Comitem Stabuli, Aulæ & rei venatoriæ Præfectum, gratia invictiſſimi Principis ſui, dum viveret, maxime florentem: cui, ceu in limine hujus relationis a nobis dictum eſt, Genealogiæ Lambergia-
219. næ Tomum primum obtulerat *Breslerus* noſter; 18. *Joannem Adamum*, Leopoldi Matthiæ Fratrem, Lichtenſteinii Principis, in Hiſpaniam cum Carolo III Rege profecti, ibidem-
225. que negotiorum fere omnium adminiſtri, generum; & 59. *Joannem Philippum*, Franc. Joſephi Filium, Comitem Lambergium, maximam ſpem Principi & bonis omnibus de ſe facientem.

Tertia demum claſſis Heroes ſagatos complectitur nu-
232. mero XIV, & quidem 1. *Volradum a Lamberg*, Equitem Cruciatum in Palæſtina & ſub Duce Henrico II Toparcham
240. Auſtriæ; 2. *Walterum a Lamberg*, Toparcham & militiæ du-
247. ctorem in Auſtria; 3. *Volradum II a Lamberg*, Leopoldi VII Ducem bellicum, qui expeditiones cruciatas pro more illius

lius ſeculi frequentavit; 4. *Volradum III a Lamberg*, ſub Leopoldo VIII Ducem militarem; 5. *Caſparum a Lamberg*, Au- p. 254. 261.
ſtriacorum militum ſub Erneſto Duce imperatorem; 6. *Caſparum II a Lamberg*, ſub Friderico IV Cæſare ſupremum ex- 267.
cubiarum Præfectum; 7. *Wolſgangum Baronem Lambergium*, ſub Maximiliano I Auguſto contra Venetos Ducem Cæ- 277.
ſareum; 8. *Jacobum Baronem Lambergium*, Legionum Ca- 287.
rolinarum in prælio Ticinenſi, quo Franciſcus I Galliarum Rex A. 1515 a Cæſareanis partibus capiebatur, Tribunum primipilarem, ac de Gentis ſuæ hiſtoria contexenda valde ſollicitum; 9. *Melchiorem Baronem Lambergium*, Caroli V Cæ- 295.
ſaris Conſiliarium intimum, ſupremum aulæ Mareſchallum & copiarum ductorem, in obſidione Turcica Vindobonenſi A. 1524 magnam fortitudinis laudem adeptum; 10. *Maximilianum a* 302.
Lamberg, ſub Rudolpho II Præfectum exercitus in Carinthia; 11. *Sebaſtianum a Lamberg*, ſub eodem Cæſare Ducem mi- 308.
litarem in Croatia; 12. *Wilhelmum Baronem Lambergium*, 315.
ſub eodem Rudolpho copiarum anteſignanum in Hungaria; 13. *Sigismundum Fridericum Baronem Lambergium*, eadem 323.
tempeſtate Tribunum Cæſareum in Hungaria; 14. *Franciſcum* 330.
Antonium Comitem Lambergium, ſub auſpiciis Cæſareanis in Italia hodie militantem. Subſequuntur Tabulæ aliquot æri inciſæ, quibus partim Stemma Lambergianum a Wolrado deductum, partim LEOPOLDI MATTHIÆ Principis Lambergii cognatio cum D. Imperatore JOSEPHO, cum Imperatrice WILHELMINA AMALIA, & cum *Maximiliano Philippo* Bavaro, ultimo nuper Landgravio in Leuchtenberg; partim etiam antiqua & nova Lambergiorum Inſignia repræſentantur. Quibus appendicis loco obſervationes quædam de titulis & dignitatibus Lambergiorum hæreditariis, nec non oratiunculæ duæ, quarum altera inveſtitura Landgraviatus petitur, altera vero Cæſari pro impetrata gratiæ aguntur, ſubjunctæ ſunt.

Hæc ſumma eſt totius operis, quod ex ſchedis Breſlerianis compilaſſe nonnullis viſus eſt *Mayerus*, qui *Breſleri* tamen mentionem nusquam fecit & præterea auguſtum illud ſtemma Lambergianum variis erroribus hiſtoricis, vitiisque

orthographicis, & incultis verſiculis oneravit. Ecquibus enim rationibus hiſtoricis probare poterit, Wilhelmum IV Ducem Bavarum Philippi Marchionis Badenſis filium; Carolum Auſtriæ Archiducem Alberti V Bavari filium; Franciſcum Wolfgangum Hohenzolleranum Chriſtophori Marchionis Badenſis filium; Joannem Chriſtophorum de Scala Franciſci Wolfgangi Hohenzollerani filium; & Georgium Sigismundum Baronem Lambergium Joannis Warmundi de Scala filium fuiſſe? id quod tamen in tabulis Appendicis ſuæ expreſſis verbis pronunciavit. Sic & alienisſima deflexione nominum *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob* & *Rachel* probare voluit, familiam & nomen Lambergianum indubie ab hac Patriarcharum Judaicorum proſapia derivandum eſſe: qua quidem in re num & alios habeat conſentientes, oppido dubitamus. Tacemus nodos *Gorgonios* h. e. Gordios, quos nectit, & alia minus accurate ab illo prolata. Singulis quoque Lambergiorum a ſe laudatorum vitis emblema quoddam cum expoſitione metrica Latino-Germanica ſubjunxit: ubi tamen Germanicos verſus fatemur nimis hiulcos, ἀμέτρες, obſcuros ac ridiculos videri. Atque ut de Epigrammatum Latinorum elegantia extero etiam Lectori conſtet, quædam hic producamus. Sic in Alluſionibus metricis ſuper expreſſos frontiſpicii conceptus ſequentes exſtant.

Alluſio II ad Epigraphe ſub Agno: AG. in monte triumphans,

Si qua trophæa gerit, penetravit ut ardua virtus;
Sane AGNINA penetrato in MONTE triumphans.

Alluſio X. ad Scalam in medio Inſignium Canibus ſuſtentatam.

Non mirum eſt, quod celſa petas LAMBERGICUS AGNE,
Scala tibi duplo fixa fidele domi eſt.

Quid vero hic *Lambergicus Agne*, vocativus ſcilicet cum nominativo, ſibi velit, haud perſpicimus. Eam vero novam & inſolitam conſtructionem Mayerus noſter pag. 23 hunc in modum repetit:

Serviit Labano, ſed es Euchariſticus AGNE,
Pro te ſollicito munere, Rachel, ove.

Pro

Digitized by Google

Sed omnem metri legem ſuperant poſtrema duo diſticha ex Alluſione XI ad Inſignia Landgraviatus, in quibus eminet humana facies:

Juncta AGNO facies præſtabit noſſe, quod in Te eſt
Manſueta humanitas, humana manſuetudo.
Alæ conjuncta canibus, quod & ipſe, loquentur
Sis prompta fidelitas, fidelis promptitudo.

MISCELLANEOUS TRACTS.

ſeu

TRACTATUS MISCELLANEI; AUTORE MICHAELE GEDDES, J. V. D. & Cancellario Eccleſiæ Sarisbur.

Volumen I.

Londini, apud A. & I. Churchill, 1702, 8.

Alph. 1 pl. 8.

BIs jam in Actis his Tractatuum Miſcellaneorum Geddeſii ampliſſimam mentionem fecimus; & prima quidem vice, cum Volumen II Tractatuum horum Menſe Novembri A. 1707 p. 482, altera vero, cum Volumen III Suppl. Tomo IV Sect. 3 p. 100, recenſeremus. Jam ne manca mutilave maneat in hac parte hiſtoria literaria, promiſſi noſtri memores, ordine utut retrogrado, brevem Voluminis quoque I, quod nuper admodum nacti ſumus, enarrationem adjicimus. Continet autem univerſum hoc Volumen primum Diſſertationes VI, miſcellaneas, quæ res pertractant ad Hiſtoriam Hiſpanicam, tum civilem tum eccleſiaſticam, pertinentes. *Prima* harum ſiſtit Hiſtoriam ſpecialiorem expulſionis Mauritanorum ex Hiſpania quæ regnante Philippo III facta eſt & conſummata, ac ſummam hominum depopulationem & inopiam, non ſecus ac Judæorum expulſio univerſalis tempore Ferdinandi Catholici inſtituta Hiſpaniæ regno attulit. Autor culpam expulſionis tam cruentæ omnem, cujus fundamenta prima jam Cardinalis & Archi-Epiſcopus Toletanus Ximenius

tempore Ferdinandi & Iſabellæ per coactum Mauritanorum baptiſmum jecerat, in Bernardum de Sandoval, Cardinalem itidem & Archiepiſcopum Toletanum, ac fratrem ejus Ducem de Lerma, Philippi III Regis Miniſtrum primarium, transfert, nec non in Joannem de Ribera, Archiepiſcopum Valentienſem, Mauritanorum expulſioni omnimodæ ultimam veluti manum admoventem. Quorum conatibus machinisve etſi Barones & Comites Regnorum, Valentiæ, Arragoniæ, Caſtellæ, Granatæ & Murciæ ſubinde ſeſe graviterque opponerent, qui ſummam demum depopulationem a tot mille Mauritanorum expulſione Hiſpaniæ exſpectandam eſſe urgebant, & vere ominabantur: tamen quæ ſemel ſollicitantibus Clemente IV, Clemente VII, & Gregorio XIII Pontificibus maximis decreta fuerat expulſio, A. 1610 demum per Comitem de Carazena, Philippi III in Regno Valentiæ Pro-Regem, & per Comitem de Aytona, Arragoniæ Pro-Regem, nec non per Comitem San-Germanum, regnorum Murciæ & Granatæ Pro-Regem, executioni data fuit, adeo ut juxta quosdam 600000, juxta alios vero plus quam 900000 homines ex Hiſpania, uno propemodum eodemque tempore, in Barbariam ejecti exterminatique fuerint, artibus modisque inhumaniſsimis, qui p. 143 & 155 commemorantur. Subjicit huic Diſſertationi Autor ſermonem ſanguinem ſpirantem publice a Jo. de Ribera, Archiepiſcopo Valentienſi, ad colorandam Maurorum expulſionem in Gal. V, 12 die publicati decreti Regii habitum, idque ſimul innuit, quod dum parentibus Mauritanis invitis infantum numerus admodum ingens expulſionis iſtius tempeſtate ſurreptus fuerit, hodieque plures adhuc in Hiſpania familiæ ſanguinem genusque ſuum ipſis Mauritanis expulſis debeant. *Altera* Diſſertatio continet Hiſtoriam bellorum civilium, quæ a Senatu populoque Caſtellenſi poſt Iſabellæ, matris Caroli V, obitum, qui in annum 1504 incidit, & ſub ipſis imperii Caroli V auſpiciis geſta ſunt. Cauſam his bellis & motibus cunctis dediſſe videntur Miniſtri Caroli V ex Gallia partim, partim ex Flandria oriundi, qui ſummam per minorennitatem Caroli poteſtatem tenentes avaritiæ & commodis ſuis nimi-
um

um litaſſe, ingentesque propterea opes ex Hiſpania ſecum in Galliam Flandriamque deportaſſe incuſantur. Atque inter Gallos quidem Miniſtros principem locum iſta ætate tenebant Philippus & Wilhelmus fratres Chevrii, quorum penes illum in civilibus, penes hunc ſumma in rebus eccleſiaſticis erat poteſtas. Et prior etiam autor & machinator fuiſſe dicitur p. 219 matrimonii inter Emanuelem, Regem Luſitaniæ, & Eleonoram, Caroli V ſororem, contranitente licet Procerum Caſtellæ Senatu omni, contracti, quod ille juſſu Legati Luſitanici per trapezitam Valliſoletanum 21000 ducatorum ſummam accepiſſet. Aſt inter Miniſtros ex Flandria oriundos eminebat Adrianus, Cardinalis & Caroli V antehac præceptor, quique Carolo V Imperatoriam dignitatem in Germania capeſſente in Hiſpania rebus gerendis, majori tamen, quam fratres Chevrii, cum prudentia & humanitate præerat. Graviſſimum Caſtellanorum bellum fuit, quod ab A. 1520 usque ad A. 1522 duravit, & in quo Comitis de Padilla vidua facinora heroica ſexum ſuum ſupergreſſa edidit. Ceterum Cl. Autor hiſtoriam bellorum horum omnem ex literis Virorum illuſtrium ad Petrum Martyrem, qui tum in Germania penes Imperatorem erat, ex Hiſpania ſcriptis, hujusque ad illos compilavit, ut adeo major huic hiſtoriæ ex literis iſtis excerptæ fides ſit habenda, quam ipſis ſcriptoribus Hiſpanis partium ſtudio nimium addictis. Diſſertatio *tertia* Hiſtoriam complectitur duorum Comitiorum liberorum, a Caſtellanis ea cum libertate & autoritate habitorum, ut ex ſententia Autoris noſtri ipſis Comitia moderna Britannica proxime accedant. Priora horum Comitiorum Hiſpanicorum habita ſunt Madriti A. 1390, poſteriora vero Toleti A. 1406. Utraque comitia convocavit Henricus II Rex Caſtellæ, ex cujus Vita a Gill. Gonzalez de Avila, Philippi IV Regis Hiſtoriographo, deſcripta Autor noſter omnem rerum in his Comitiis geſtarum enarrationem eo fine excerpſit, ut oſtenderet, Comitia hujusmodi optima eſſe eaque propemodum inexpugnabilia Regnorum propugnacula adverſus anarchiam & tyrannidem, peſtes iſtas duas generis humani exitioſiſſimas, Maxime vero lectu digna eſt p. 333 oratio Rui Lopez

Digitized by Google

pez Davilæ, Conſtabularii Caſtellæ, ad Ferdinandum Principem Regium tum temporis nomine Procerum Caſtellæ congregatorum habita. Diſſertatio *quarta* diſquiſitionem exhibet manuſcriptorum & reliquiarum, quæ partim ſub ruderibus urbis Turpiani in Regno Granatenſi ſitæ A. 1588, partim ſub colle prope urbem Valparayſo in Hiſpania repertæ traduntur per Petrum de Caſtro & Quinones Archiepiſcopum Granatenſem. Inter manuſcripta plumbea & membranacea ſub ruderibus Turpianenſibus juxta cum ſudario B. Mariæ Virginis, quo lacrymas ab oculis ſuis in paſſione Filii ſui ſacratiſſimi abſterſiſſe fertur, nec non cum pede dextro Stephani primi Martyris inventa, eminet Prophetia Joannis Evangeliſtæ de conſummatione mundi, quam, in diebus Apoſtolicis per Patritium ſacerdotem & ſervum Dei aſſervatam, demum S. Cecilius Apoſtoli Jacobi diſcipulus & Epiſcopus Granatenſis, accepit, ſi quidem verum eſt teſtimonium, quod hac de re ipſe Cecilius, ut fertur, perhibuit in Commentario ſuo Arabico in iſtam Joannis Prophetiam. Nec ingratum fore Lectori benevolo putamus, ſi integram hanc Prophetiam Latine translatam huc apponamus, maxime cum eam nec in Abdiæ Hiſtoria Apoſtolica, nec alibi inter ſcripta Apoſtolorum Apocrypha invenerimus.

Prophetia JOANNIS Evangeliſtæ de conſummatione mundi.

„Tempus lucis exoriebatur cum Domino & cum paſſione ejus „per cruciatus corporis acerbiſſimos conſummata; & Prophe„tæ, qui fuerunt, illuminatique erant a perſona tertia, anxie ex„ſpectabant adventum ejus; cumque ego ceteris miſericor„diter antehabitus fuerim, conſummationem mundi enarrabo, „uti eam ex ore Domini accepi. Poſt conſummationem *ſex* „ab adventu Domini *ætatum* tenebræ ingruent propter pec„cata mundi atrociſſima, & tenebræ erunt magnæ in *Oriente*, „quæ ipſum quoque *Occidentem* invadent per furorem mi„niſtrorum ex iis ſeſe proripientium, qui cum venient, Sol ipſe „obnubilabitur, & templum Domini perſecutiones ſubibit diriſ„ſimas. Et poſteaquam *quindecim ætates* per obduratas & obſtinatas

natas

„ natas hominum mentes decurrerint, ſecundæ quædam tene-
„ bræ ſurgent in regionibus *Septentrionis*, per quas aſcendet
„ *draco*, qui jactabit ſemen ex ore ſuo; quod ubi diſſeminatum fuerit, fidem in Sectas dividet, quæ cum aliis junctæ occupabunt univerſum orbem. Surgent item in regionibus Occidentis *tres hoſtes*, qui voluptati Domini ſui litabunt, & in malitia ſua grandeſcentes hujusmodi orbem lepra inficient, quanta non fuit unquam; propterea lux multum imminuta, ſed in ipſis tabulis naufragii ſuſtentata protegetur per *Columnam petræ*. Comminatio prodigiorum horum, omniumque ſignorum, quæ cœlum oſtentet, contremiſcere faciet omnes homines, maxime vero ſacerdotum greges, & quamprimum Anti-Chriſtus, cujus adventus eſt in propinquo, revelabitur, Prophetia hæcce impleta erit, judiciumque extremum appropinquabit; & poſteaquam hæc Veritas, Veritas, Veritas manifeſtata erit orbi & adimpleta, judex Veritatis hora ſibi conſtituta adveniet *ab Auſtro*.

Enarratam hactenus Prophetiam interpretes *Commentarii Arabici* a S. Cecilio in eandem conſcripti ita explicare Autor monet, quod nempe per *Ætatem* nihil aliud intelligatur, quam *integrum Seculum*, hincque irruptio priorum tenebrarum incidat in iſtud tempus, quo *ſex ætates* ſeu *ſecula* impleta erunt; contra vero Draconis apparitio in Septentrione poſt decurſum *quindecim* a nativitate Chriſti *Seculorum* ſit exſpectanda. Igitur per *tenebras in Oriente* orituras *Mahometem*, Prophetam falſum; per *draconem* vero *Septentrionem* in ſecundis tenebris invaſurum *D. Lutherum* indigitari. Sed cum Interpretes prædicti commentarii nullam *trium hoſtium in Occidente* mentionem faciant; Autor ipſe ſuſpicatur, quod *D. Ægidius D. Conſtantinus* & *D. Cazala*, qui ſub initium imperii Philippi II ob fidem Proteſtantium confeſſam in Hiſpania combuſti ſunt, ſub trium iſtorum hoſtium nomine intelligendi veniant; perinde ut ex mente D. Maderæ, editoris & propugnatoris fictitiarum iſtarum antiquitatum accerrimi, per *Columnam Petræ* ipſa *Hiſpania* intelligatur, quod Propheta Eſaias capite vigeſimo quarto, de Hiſpanis vaticinaturus, eos *Habitato-*

tatores Petra appellaret. Præter hanc vero S. Joannis Prophetiam alia quoque Manuſcripta & monumenta vetuſta ſub monte Valparayſo, vix dimidium milliarii ab urbe Granata diſtante, tempore *Petri de Caſtro*, Archiepiſcopi Granatenſis, inventa & effoſſa Autor memorat, ut laminam plumbeam hanc inſcriptionem ſuſtinentem: *Corpus uſtum Divi Meſitonis Martiris, paſus eſt, ſub Neronis Imperatoris potentatu*; item aliam laminam hac inſcriptione inſignitam: *Anno ſecundo Neronis imperii, Marci Calendis, paſus fuit martirium in hoc loco illapalitano electus ad hunc effectnm ſanctus Hiſcius Apoſtoli Jacobi decipus cum ſuis diſcipulis Turillo, Panuncio, Marenio, Centulio*; nec non arculam plumbeam, in qua in laminis plumbeis ſcriptus liber aſſervabatur cum hoc titulo: *Liber de eſſentia Dei, quem Divus Thiſiphon, Apoſtoli Jacobi diſcipulus, in ſua naturali lingua Arabica Salomonis characteribus ſcripſit*; & alius liber, *Fundamentum Eccleſiæ* appellatus, qui in hujus ſacri montis cavernis jacet; & quæ ſunt alia. Verum Autor monet, quod, utut poſt effosſionem horum documentorum pervetuſtorum Archiepiſcopus Granatenſis in Baſilica ſua hymnum Ambroſianum cani juſſerit, illaque ex decreto ſolenni convocati eam in rem omnium Eccleſiaſticorum & Laicorum in Regno Granatenſi concilii magni pro veris & genuinis declarata fuerint; attamen ab aliis, maxime vero Monachis Dominicanis, per ea, quæ ſequuntur, argumenta tum Prophetia Joannis, tum reliqua monimenta dubia admodum, imo fictitia & ſuppoſititia fuerint reddita. Primo enim Prophetiam Joannis ſcriptam eſſe lingua Hiſpanica moderna, quæ vero tempore Neronis penitus inuſitata erat & incognita. Secundo S. Cecilium paſſim in his MStis vocari Epiſcopum Granatenſem, cum tamen ipſa urbs Granatenſis 700 annis poſt Neronis ætatem a Mauris primum excitata, & Epiſcopatus Granatenſis non niſi a Ferdinando & Iſabella, ſicque 1400 annis poſt ætatem Neronis conſtitutus fuerit. Tertio linguam Arabicam nonniſi 500. annis poſt mortem Neronis in Hiſpania in uſu eſſe cœpiſſe. Quarto uſum titulorum Divi & Sancti ætati Apoſtolicæ repugnare. Quinto Spiritum S. ævo Apoſtolico

Digitized by Google

lico nondum perſonam tertiam appellatum. Sexto librum, Fundamentum Eccleſiæ, a Papa Gelaſio tanquam ſpurium jam ante mille annos fuiſſe condemnatum. Septimo manifeſtum eſſe, quod cineres & oſſa Sanctorum in collibus iſtis reperta potius cineres ſint & oſſa maleficorum, qui ad ſupplicia publica in locis iſtis pertracti fuerunt; & quæ ſunt reliqua. Diſſertatio *quinta* deſcribit artes tyrannicas Judicii Inquiſitionis, quod in Luſitania ſedet, ſimulque exhibet Album captivorum ejusdem judicii, in Fidei quodam, ut vocatur, Decreto A. 1682 vulgatum. Et Diſſertatio denique *ſexta*, Martyrologium complectitur Hiſpanorum quorundam religioni Proteſtantium addictorum, quique ſeculo XVI martyrii coronam in Hiſpania impetrarunt. Sunt inter hos D. Auguſtinus Cazalla, Canonicus Eccleſiæ Salmanticenſis & Sacellanus Caroli V in Germania, D. Perez, ſacerdos ſecularis, Carolus de Seſo, Eques, Eleonora de Ciſneros, Herezuli, ICti & martyris itidem, vidua, D. Jo. Aegidius, Rector Univerſitatis Complutenſis & Caroli V Concionator, D. Conſtantinus Pontius, Caroli V Sacellanus & Confeſſionarius, Jo. Gonſalva, ſacerdos ſecularis, Chriſtophorus Loſada, Medicus, aliique, qui plerique omnes ex commercio cum Reformatis in Flandria tempore Caroli V veritatem fidei Proteſtantium amplexi, & inde in Hiſpaniam reverſi, veritatem agnitam propagare anniſi, ſed martyrium idcirco perpeſſi ſunt, id quod Geddeſius noſter ex ipſa Hiſtoria Pontificali, nec non ex Parami Hiſtoria Inquiſitionis Hiſpanicæ confirmat.

D. BENTLEYS DISSERTATIONS ON the Epiſtles of Phalaris &c.

h. e.

D. RICHARDI BENTLEJI DISSERTATIOnes de Epiſtolis Phalaridis & Fabulis Æſopi examinata a CAROLO BOYLE, Equite.

Londini, apud Thomam Bennet, 1699, 8.

Plag. 20.

A DISSERTATION UPON THE EPISTles of Phalaris, with an Anſwer, &c.

h. e.

DISSERTATIO DE EPISTOLIS PHALAridis, cum reſponſione ad objectiones Boylei; Autore RICHARDO BENTLEJO D. Theol. Majeſtatis Regiæ Capellano Ordinario & Bibliothecario.

Londini, apud Henr. Mortlock, 1699, 8. Alph. 1 pl. 18.

QUæ in Actis noſtris A. 1696 p. 101 recenſita eſt Epiſtolarum Phalaridis editio, a Cl. Boyle, Equite, A. 1695 Londini in forma octava curata, ea præſentibus ſcriptis occaſionem ſuppeditavit, quorum mentionem, huc usque, neſcimus quo fato, neglectam, vel nunc faciendam eſſe exiſtimavimus. Cum illæ Phalaridis Epiſtolæ lucem viderent, in Præfatione Cl. Editoris injuria ſibi affectus videbatur Cl Bentlejus, quam a ſe amoliturus, ac eadem opera ipſas Epiſtolas νοθείας convicturus, ſingularem de illis diſſertationem V. C. Henrici Wottoni *Obſervationibus de veterum & recentiorum eruditione*, ex editione ſecunda Londini 1697, 8 editis, ſubjungendam cenſuit. In ea autem non ſolum Epiſtolas Phalaridis, ſed & eas, quæ Themiſtoclis, Socratis, Euripidis &c. nomine circumferuntur, itemque Æſopi Fabulas examini ſubjecit, quæ deinceps in tertia libri Wottoniani editione, Londini 1705, 8 curata, ita repetita eſt, ut ea, quæ ad Phalaridem ſpectarent, omitterentur, ideo quod illa una cum Diſſertatione Apologetica, Boyleo oppoſita, non ſine acceſſionibus eſſent recuſa. Nos quidem de origine hujus controverſiæ, quæ ad literas atque adeo literatos non pertinet, nihil dicemus, quamvis illi ediſſerendæ & confirmandæ non exigua pars ſcriptorum utrinque editorum deſtinetur; ſed de ipſius cauſæ momentis pro inſtituti noſtri ratione paucis diſpiciemus, omiſſis etiam iis, quæ interdum acerbius aut liberius dicta videntur. In limine itaque diſſertatio-

tationis ſuæ Apologeticæ monet Cl. Bentlejus, morem ſcripta ſpuria alienis nominibus inſcribendi ſatis antiquum eſſe, inprimis tamen eo tempore frequentatum, quo Pergami & Alexandriæ Reges, inito quaſi certamine, de prærogativa in Bibliothecis inſtruendis obtinenda dimicarent, quod Galeni teſtimonio comm. 2 in Hippoc. de natura hominis p. 17 comprobatur. Hæc æmulatio librariorum animos, pecuniæ cupiditate abreptos, incendebat, ut de ſcriptis varii generis magnorum Virorum nominibus inſigniendis cogitarent, non quod germanos eorum fœtus eſſe intelligerent, ſed quod hoc pretio libri amplificando peridoneum fore arbitrarentur. Quod itaque conſilium primo lucri cauſa, vel deinde affectata quadam honoris & oſtentandi ingenii cupiditate ſuſceptum eſt, potiſſimum a Sophiſtis, in quorum Scholis more receptum erat, ut illuſtres quidam Heroes ſermones vel epiſtolas ſcripſiſſe fingerentur, quæ deinceps nonnullis ab ipſis, quorum nomina præferebant, viris profectæ videbantur, ipſis quidem adeo non reluctantibus, ut deinde data opera eorum, quorum perſonam induerant, nominibus præſcriptis legentibus imponerent; quod vel Sibyllinorum Oraculorum & Ariſteæ exemplo conſtat. Circa illud Galeni teſtimonium Cl. Boyle id inprimis monet, eundem alibi, nempe comment 1 in lib. Hippocr. de Nat. Hiſtor. falſo dicere, quod illa libros ſupponendi ratio non niſi ſub memoratorum Regum temporibus fuerit recepta. Cl. Bentlejus p. 19.
itaque hac ratione Galenum tuetur, ut poſtquam varia librorum ante illa tempora ſuppoſitorum exempla in medium attuliſſet; Galenum de iſtiusmodi adulterinis fœtibus accipiendum cenſeat, qui turpis lucri cauſa illuſtrium fama Virorum nominibus inſcripti fuerint. Hinc propius ad ipſas Phalaridis 14.
Epiſtolas accedit, atque inter vetuſtos quidem ſcriptores præter Stobæum Tit. VII & XLVII, Suidam in Φάλαρις & Jo. 17.
Tzetzem in Chiliadibus neminem eſſe obſervat, qui earum fecerit mentionem, ita quidem ut de fraude eas ſuſpectas non haberent, quorum autoritatem ex recentioribus Th. Fazellus in Hiſt. Sicula p. 118, Jac. Cappellus Hiſtor. Sac. & Exotica p. 149 & Jo. Saldenus in Marmor. Arundel. p. 106 ſint

Digitized by Google

ſecuti. Nec tamen defuerunt, qui in contrariam abirent ſententiam, fraudem ſubeſſe ſuſpicati, nominatim Cœl. Rhodig. III, 7, Menagius ad Laert. p. 35. Luciano tribuere maluerunt Aug. Politianus ep. 1 & Gyraldus Hiſt. Poet. p. 88 & 332. Cl. Boyle hac occaſione p. 31 monet, alibi etiam apud Stobæum illarum epiſtolarum fieri mentionem, nempe tit. CCXVIII; & rem ipſam quidem non diffitetur Cl. Bentlejus p. 20, quamvis in allegatione ipſa peccatum fuiſſe recte obſervet, dum non Stobæus, qui titulos tantum CXXI habet, ſed Maximus p. 218 laudari debuiſſet, Stobæi autem tit. LXXXVI advocari potuiſſet. Neque id negat Bentlejus, quod Adverſarius p. 30 obſervaverat, fuiſſe etiam alios ex veteribus, puta Photium, Nonnum ad invectiv. Nazianz. & Ariſtophanis Scholiaſtam, qui has Epiſtolas laudarint; de Scholiaſta tamen monet, locum ejus
p. 22. eſſe ſpurium, atq; ſimul de Euſtathii & Suidæ ætate erudite commentatur, & hunc quidem illum ducentis annis antevertiſſe conficit. Nonni teſtimonio non multum tribuendum cen-
24. ſet, cujus inſcitiam non uno exemplo commonſtrat, atque ex eo efficit, non eſſe eum, qui Dionyſiaca exaravit. Addi poterant, ut obiter hoc moneamus, alii, niſi Cl. Fabricius, ſpectatæ Vir diligentiæ, in Bibliotheca ſua Græca lib. II p. 404 eos jam laudaſſet. Hinc initium facit Cl. Bentlejus demonſtrandi νοθείας Epiſtolarum non quidem argumento ex dictione tantum & ſtylo, cui ſeorſim adhibito parum, nec immerito, tribuendum cenſet, ſed aliunde deſumto. Inquirit itaque primo in Phalaridis ætatem, cujus initium Euſebius in Olympiad. XXXI, 2, finem autem in Ol. XXXVIII, 2 refert; Hiero-
28. nymus autem in Ol. LIII, 4, vel, ut alii Codd. habent LII, 2, quem poſteriorem calculum tuetur etiam Suidas. Si Euſebium ſequamur, manifeſta fraus erit ex Epiſtolis ad Steſichorum & Pythagoram ſcriptis, quorum ille ſub obitum Phalaridis ſex tantum annos natus erat, hic autem octoginta demum poſt Phalaridis obitum annis vivere cœpit. Cum autem Ariſtoteles Phalaridem Steſichori, Jamblichus autem Pythagoræ, æqualem faciat, Bentlejus ita ſubducendas temporum rationes putat, ut initium imperii Phalaridis ad Ol. LIII, 4 finis autem

in

in Ol. LVII, 3 incidat. Hanc ſententiam pluribus argumentis ſtabilire & Boylei objectionibus vindicare annititur p. 32, oſtendens, non exſtare in aliis Scriptoribus veſtigia ulla, ex quibus ætatem Phalaridis recentiorem efficias, quam in rem Syncelli, Suidæ, Oroſii, Plinii aliorumque loca affert. Inprimis autem Pindarum & ejus Scholiaſtam ad hoc negotium perficiendum non ſine ingenii acumine adhibet, eumque ſecum amice conſpirare oſtendit. Quo facto Cl. Dodwelli, Phalaridem in diſſ. V de Cyclis Sect. 10 ad Olymp. LXXII revocantis, ſententiam examinat, & de Symonidis ac deinceps de Pythagoræ ætate erudite & fuſe commentatur, cum ex Pythagoræ potiſſimum ætate Phalarideam deduci poſſe ideo arbitretur, quod Philoſophus hic Agrigenti tempore Phalaridis diem obeuntis verſatus dicatur, quem tamen aliunde conſtet, non ante combuſtam Cylonis malitia Scholam Pythagoream h. e. Ol. LXXII, 2 in Siciliam perveniſſe. Hic autem in alia omnia abit Cl. Bentlejus, qui Pythagoram nihil quicquam ad dejiciendum de dignitate ſua Phalaridem contuliſſe, & ante factam Cylonis conſpirationem in Sicilia fuiſſe, ac deniq; conſpirationem ipſam ante Ol. LXXII contigiſſe, affirmat. Hac occaſione varia vitæ Pythagoræ capita ex antiquiorum ſcriptorum locis nunc emendatis, nunc illuſtratis ediſſeruntur, quorum ſummam paucis dicere non poſſumus ex ſcripto ipſo rectius intelligendam. His confectis & ætate Phalaridis, Cl. Boyleo ipſo non repugnante, in Ol. LVII, 3 collata, ex ipſarum Epiſtolarum nonnullarum argumentis evincit, Scriptorem illarum omnino recentiorem eſſe ea, quæ Phalaridi propria eſt, ætate. In Epiſtola enim ultima, ad Hyblenſes data, commemorantur Phintienſes: jam autem ex fragmento quodam Diodori Siculi p. 867 conſtat, Phintiam urbem ſibi cognominem, a qua Phintienſes dicuntur, eo tempore condidiſſe, quo Romanis cum Pyrrho bellum intercederet, h. e. Ol. CXXV ſive CCLXX poſt Phalaridis obitum annis. Huic argumento ita occurrit Adverſarius p. 122, ut duas in Sicilia urbes eodem Phintiæ nomine celebres fuiſſe diceret, quarum altera a Diodoro laudata fuerit maritima, altera ex Ptolemæi & Plinii teſtimoniis cognita, mediterranea

[margin: p. 37. (beside "Quo facto Cl. Dodwelli"); 46. (beside "bit Cl. Bentlejus"); 92. (beside "repugnante, in Ol. LVII, 3")]

& in

& in iſta Phalaridis epiſtola reſpicienda. At enim vero Cl. Bentlejus ſatis luculente oſtendit, Plinium, Ptolemæum & Diodorum de eadem urbe loqui, quamvis ab aliis maritima dicatur civitas, quod mari eſſet propior & portu etiam inſtructa, ab aliis mediterranea, quod vere regione contineretur. Cum-
p.94 que illud etiam Adverſarius p. 123 objeciſſet, forte Didorum æque in conſtituenda urbis conditæ æra, ac in ſitu ejus delineando antea, erraſſe; Diodori fidem quoad ſitum urbis ex con-
96. ſentientibus teſtimoniis Antonini in Itinerario p. 21 & Ciceronis III in Verrem adſtruit. Eundem non minus in originibus urbis Phintiæ conſtituendis accuratum fuiſſe, partim ex nu-
98. mis, partim ex aliorum Hiſtoricorum teſtimoniis evincit. Poſtea ad aliud argumentum aggreditur, ex Epiſtola XLII ad Steſichorum data depromtum, in qua ſcilicet Halæſæ mentio fit, quæ cum primum ab Archonide Siculo Ol. XCIV, 2, vel a Car-
102. thaginenſibus duobus annis ante condita ſit (vide Diodor. Sicul. p. 246) apparet, ejus origines CXL ipſa Phalaridis ætate eſſe inferiores. Hanc autem Archonidis Alæſam, cum plures urbes idem nomen tulerint, in laudata epiſtola innui, ex ſitu patet, quoniam Himera & Aluntio, quæ hic commemorantur, parvo intervallo diſtant. Cum tamen vel ſic Adverſarius aliam hic ſignificari Halæſam, affirmaret p. 124, Cl. Bentlejus ipſius
106. teſtimonio, antea ad epiſtolas Phalaridis prolato, ſe tuetur, cum Alæſam & maritimam eſſe & in occidentaliori inſulæ latere, & Aluntium non procul ab Alæſa eſſe remotam, dixiſſet. In Ep.
109. LXX inter cetera dona, quibus Polycletus a Phalaride mactatus dicitur, invenias ποτήρια Θηρίκλεια h. e. *Thericlæa pocula*, quæ nomen acceperant a Thericle, figulo quondam Corinthiaco, quem Plinius XVI, 40, ex Theophraſti Hiſt. Plant. V, 4 verbis non recte intellectis, tornatorem facit. Figulum fuiſſe teſtatur Heſych. v. Θηρίκλειος & Etymolog. M. Hunc Thericlem Athenæus p. 470 tempore Ariſtophanis Comici vixiſſe memorat, forte fabulæ cujusdam, ab Ariſtophane ſcriptæ, autoritate adductus, quem omnes ſuas fabulas tempore inter Ol. LXXXVIII & XCVII interjecto ſcripſiſſe conſtat. Quod ſi igitur Ol. LXXXVIII vixiſſe cenſeatur Thericles, annis CXX a Pha-

a Phalaride erit ſejunctus. Neque approbandi ſunt ii, qui pocula illa, teſte Athenæo p. 471, ἀπὸ τῶν θηρίων vel ἀπὸ τοῦ θηρὸς κλονεῖν Thericlea dicta putant, cum vel analogia oſtendat, eadem ratione Θηρίκλειον dici a Θηρικλῆς qua Σοφόκλειος dicitur a Σοφοκλῆς. Hujus argumenti vim ut effugeret Cl. Boyle, locum ita mutandum cenſuit p. 146, ut pro ποτηρίων Θηρικλείων legeretur ποτηρίων θ' Ἡρακλείων, quam emendationem locum hic invenire poſſe, Cl. Bentlejus tum ex autoritate trium MSS. prorſus conſentientium, tum ex eo quoque manifeſtum facit, quod nunquam fuerit poculorum genus ab *Hercule* appellatum. Qui enim affertur Athenæi locus ex p. 469, ex eo nihil aliud colligas, quam Herculem poculo iſto ſingulari quadam ratione & conſilio uſum eſſe. Dicitur enim a Sole poculum ſumſiſſe mutuum, quo inſtructus mare ad Solis exemplum trajecerit. Eam utique eſſe Athenæi mentem, ex Euſtathio ad Odyſſ. p. 359 probat, cujus hæc ſunt verba: διὸ καὶ Ἡράκλειον δέπας λέγεσθαι τὸ καὶ ἡλίου. Cicero IV in Verrem pocula *Heraclea* commemorat, ubi *Thericlea* legendum eſſe, cum Salmaſio in Solinum & Cantero V, 28 Nov. Lect. confirmat. Quoniam vero Cl. Boyle p. 149 Athenæi, Thericlem Ariſtophani æqualem facientis, fidem in dubium vocaverat, Bentlejus eam Eubuli Comici verſibus vindicat, qui leguntur apud Athen. p. 471. Deinde etiam reſpondet ad objectionem nonnullius momenti p. 152 allatam, quod Athenæus his utatur verbis p. 470: καὶ μήποτε Ἄλεξις ἐν Ἡσιόνῃ Θηρικλείῳ ποιεῖ τὸν Ἡρακλέα πίνοντα h. e. *& fortaſſe Alexis in Heſione Herculem ex Thericleo poculo bibentem inducit.* Ex quo conſequitur, pocula Thericlea ex Athenæi ſententia ad Herculis ætatem acceſſiſſe, quod Alexis Poeta Herculi illa tribuiſſe ipſi videtur. Sed reſpondet Cl. Bentlejus, Poetas ſæpe temporis rationem negligentes ea ſuis Heroibus tribuere, quæ ex rei veritate illis tribui non poterant, quem morem Alexis etiam obſervaſſe viſus ſit Athenæo: niſi dicere malimus, quod Alexis Herculem tanquam Deum vel Heroem, ipſo Thericle vivente, cum ceteris Diis convivantem & ex Thericleo poculo bibentem repræſentarit. Hoc cauſæ momento erudite & ingenioſe in ſequentibus confecto, digreditur Cl. Bentlejus ad obſervatio-

Margin: p. 111. — 115. — 117. — 123. — 124. — 132.

nem quandam ſuam, quam in Diſſ. ad Millium Joanni Antiocheno ſubjecta p. 26 propoſuerat, contra Boylei objectiones vindicandam. Obſervaverat autem, veteres Poetas non æque, ac recentiores, ultimam Anapæſtorum ſyllabam communem habuiſſe, ſed eam, quæ ipſi propria eſt, accurate ſervaſſe. Hoc perperam & liberalius dictum videbatur Boyleo, qui propterea p. 158 varia Græcorum & Latinorum Tragicorum exempla attulerat, in quibus Anapæſti vel Trochæo vel Tribrachis terminantur. Atque illis quidem ita occurrit Cl.
p. 140. Bentlejus, ut non ſine ingenii acumine ſingula illa a librariorum oſcitantia profecta eſſe oſtendat, quamvis vereamur, ut emendationibus ſuis fidem ubique facere poſſit Vir ceteroquin ſagaciſſimus. Epiſtola LXXXIV & LXXXV novum νοθείας argumentum noſtro offerunt; poſterior enim *Zanclæorum*, prior *Meſſeniorum* facit mentionem, ex quo colligas, ſcriptorem Epiſtolarum *Meſſenem* & *Zanclem* pro diverſis urbibus habuiſſe,
136. qui error in Phalaridem non cadit, cum ex Strabonis lib. VI, Herodoti lib. VII & Diodori lib. IV perſpicuum ſit, nomina hæc eſſe ejusdem urbis, ita tantum diſtincta, ut quæ antea *Zancle* diceba-tur, ea poſtea *Meſſenes* nomen ferret, & quidem eo tempore, quo Phalaris jam ante 60 annos obierat, ceu oſtendit ex Thucydide, qui teſtatur, Samianos ab Anaxilao, Rhegii Rege, ex Zancle expulſos, & oppido Meſſenes nomen datum eſſe. Jam autem Anaxilai mortem Diodorus lib. XI p. 37 collocat in Ol. LXXVI, 1, & octodecim annis imperio defunctum tradit. Hunc enim & ceteros ei conſentientes magis audiendos putat, quam Pauſaniam, qui in Meſſen. p. 134 Anaxilaum CLXXX annis antiquiorem facit, quam Herodoto & Thucydidi viſum fuit.
149. Cumque deinde Boyleus p. 131 a Pauſaniæ potius partibus ſtandum eſſe diſputaret, Bentlejus totum negotium fuſe illuſtrat & in priori ſententia perſiſtit, ceu ex ipſo opere rectius intelligetur.
169. Nos pergimus ad aliud argumentum, quod Ep. XCII ſuppeditavit, in qua hæc leguntur verba: ὃς αὐλὰς ἐκτρίψω πίτυος δίκην. Herodotus lib. VI c. 37 hujus phraſeos originem ita reddit, ut Crœſo Lydorum Regi, Lampſacenis interitum minanti, accepta feratur, quamvis Noſter exiſtimet, ipſum

ipſum Herodotum hanc loquendi formulam primum adhibuiſſe, ex cujus ſcriptis, centum poſt obitum Phalaridis annis exaratis, Sophiſta, qui Phalaridis perſonam ſuſtinet, hauſerit. Hac obſervatione contra Adverſarium ſatis vindicata, pergit ad Ep. LXXXV, ubi Tauromenitæ tanquam a Phalaride devicti commemorantur, quos tamen Naxianos illa ætate dictos fuiſſe, ex Plinio III, 8 & Diodoro XIV p. 282 apparet, quorum poſterior lib. XV p. 411 ſatis diſerte tradit, mutationem nominis Ol. CV, 3 contigiſſe. Neqne obſtat, quod Porphyrius & Jamblichus urbis Taurominii in Vita Pythagoræ ita meminerint, ut jam Pythagoræ tempore ita dictam conjicere poſſis; cum familiaris illa ſit Hiſtoricis conſuetudo, ut per prolepſin locis ea tribuant nomina, quæ ſuis quidem, non autem illis, de quibus loquuntur, temporibus conveniebant. His contra Adverſarii objectiones dextre vindicatis, ex Ep. XXXV in eandem ſententiam producitur proverbium *λόγος ἔργου σκιά*, quod a Phalaride ſcribi non potuit, cum Laertius in vita Democriti & Plutarchus in lib. de Educatione Puerorum illud Democrito minimum centum annis Phalaride inferiori acceptum ferant. In Vindiciis addit Suidam, qui *v. πένταθλος* itidem ad Democritum refert; quibus majorem fidem tribuendam cenſet, quam vel Pſello vel Iſidoro Peluſiotæ, quorum ille Simonidem, hic Lacedæmonios autores proverbii profitetur. In Ep. LI legitur: *θνητοὺς γὰρ ὄντας ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν, ὥς φασί τινες, οὐ προσήκει.* Gnomen hanc, quam etiam laudat Ariſtoteles lib. II c. 21 Rhetoric. ex Comico aliquo vel Tragico petitam putat, ac ſpeciatim ex Philoctete Euripidis, ex quo eam affert Stobæus tit. XX *περὶ ὀργῆς*. Hanc autem fabulam Olymp. LXXXVII h. e. annis CXX poſt C. N. ſcriptam, teſtatur Ariſtophanes Grammaticus in argumento Medeæ Euripidis. Hanc ſuam conjecturam ut tueatur Cl. Bentlejus contra Adverſarium, erudite de tempore Comœdiæ primum adhibitæ commentatur. In Ep. XII *δαίμονα ἕτερον* h. e. *malum genium* commemoratum legit, quam phraſin Pindaro Pyth. III debere arbitratur, vel Callimacho, cujus Scazontem ſimilem affert Scholiaſta l. c. In Vindiciis contra Boyleum, qui phraſin Poeti-

p. 178. 188. 189. 191. 195. 197. 216. 218.

Poeticam hic agnoſcere nolebat p. 144, oſtendit, eam pro tali habendam, & vocem ἕτερος hic non *alium* ſignificare, ſed *malignum* ſive κακοποιὸν, quod recte ibi monuit Scholiaſtes. In
p. 220. Ep. XXIII Pythagoræ diſciplina vocatur Philoſophia & Ep. LVI ipſe appellatur Philoſophus. Cum autem Diogenis Laertii & Ciceronis teſtimonio conſtet, Pythagoram ipſum hujus nominis fuiſſe inventorem, vix veri videtur ſimile, Phalaridem eo tanquam familiari & frequentato fuiſſe uſurum, de quo vix aliquid inaudiverit, vel, ſi inaudiviſſet, indicium nominis ab ipſo Pythagora inventi facturus fuiſſe videatur.
224. Ep. LXIII & XCVII Tragœdias contra ſe ab Ariſtolocho & Lyſino ſcriptas conqueritur, quod fieri a Phalaride non poteſt, cum Theſpis & nominis & rei primus habeatur autor, & quidem Ol. LXI, h. e. duodecim poſt Phalaridis obitum annis.
230-309. In vindicando hoc argumento fuſa & erudita commentatio de tempore Tragœdiæ inventæ inſtituitur, ut oſtendatur, Cl. Boyleum præter rationem p. 165 & ſqq. inventum hoc Epigeni Sicyonio adſcripſiſſe. Theſpidi itaque primo rem vindicat, deinde in illius ætatem inquirit, ac denique Adverſarii ſententiam confutat, non ſine inſigni eruditionis & aliarum obſervationum apparatu, quas tamen hic per inſtituti noſtri ra-
210-292. tionem delibare non licet. Poſtea ex ipſa dictione, quæ Attica eſt, fraudem ſubodoratur, cum Phalaridem Agrigentii imperio defunctum fuiſſe, atque adeo Dorica dialecto uti debuiſſe, conſtet. Qua quidem occaſione de Dialecto Attica & Dorica, ac in excurſu de Charondæ legibus, multa erudite obſer-
392. vat. In hoc vero dicendi genere idem novas quasdam & veteribus Atticis ignoratas loquendi formulas invenit, a Phalaridis ſeculo remotas, v. c. in Ep. I ὧν ἐμοὶ προτρέπεις, quod veteres dicerent προφέρεις: in Ep. CXLII θυγατέρας τέτταρας
427. ὁμήλικας, ubi θυγατέρες ſignificant *virgines*. Aliud argumentum deſumitur ex illis Epiſtolis, in quibus talentorum fit mentio, ſine ulla deſignatione, quod talentorum genus innuatur, cum tamen talentum Siculum & Atticum adeo diverſa ſint, ut illud quidem trium tantum drachmarum Atticarum ſummam exæquet. Ex hac itaque talentorum diverſitate conficit,

Digitized by Google

ficit, Phalaridem ipſum omnino accuratius deſignaturum fuiſſe, quod talentorum genus velit, præcipue cum in Ep. LXX ita egerit, ubi diſerte *μυριάδας Ἀττικὰς πέντε* commemorat. His p. 480.
ſatis luculente expoſitis & vindicatis, in ipſis Epiſtolarum argumentis quædam invenit, quæ nec cum temporum ratione, nec cum Phalaridis dignitate & ea, quam gerebat, perſona conciliari poſſint, ſed Sophiſtæ & indolem & mores referant. Id 506.
quoque non præter rationem ſuſpectas reddit easdem Epiſtolas, quod illæ adeo ignotæ fuerint veteribus, ut intra mille annos nemo eas commemorarit. Superſunt & aliæ voces, manife- 523.
ſtum argumentum impoſturæ præ ſe ferentes, quales ſunt *πρόνοια* providentiæ notione Ep. III, *κόσμος* Ep. CIV & *στοιχεῖα* de *elementis*. Jam vero Laertius in Platone autor eſt, Platonem & *στοιχεῖον* & *πρόνοιαν* iſto ſenſu adhibuiſſe, quemadmodum Pythagoras mundum *κόσμου* nomine inſignivit, quod Cl. Bentlejus p. 352 idoneis teſtimoniis evicerat. Hæc & nonnulla alia argumenta Cl. Bentleji ſententiam nemini non probabunt, & ipſe Cl. Boyle vim eorum nonnunquam vix diſſimulat, quamvis operam dederit, ut, quoad fieri potuit, dubia quædam, quæ ingenii facilitas ſuggeſſit, moverentur. Ceterum multa in ipſa Bentleji diſſertatione leguntur, quæ ad illuſtranda vel emendanda veterum Scriptorum monimenta faciunt, a nobis deſtinato conſilio prætermiſſa, ne ab inſtituto longius diverteremus.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII Centuriæ ſecundæ Exercitationum Medico-Philologicarum, ſacrarum & profanarum,

Decas III.

Jenæ, apud J. Felicem Bielckium, 1711, 4.
Conſtat pl. 13.

ITa captus eſt literarum elegantiorum amœnitatibus celeberrimus Wedelius, ut juxta ſeria illa Medicinæ ſtudia, cujus penitiores omnes theſauros jam exprompſiſſe tot voluminibus videtur, non deſinat ex patentibus Philologiæ campis aliquid

decerpere, e quibus collecta eſt & tertia hæc Decuria ſecundæ Exercitationum Centuriæ. In Exercit. *prima* agitur de rhabarbaro, cujus genuinam ſpeciem ita ſollicite diſtinxit Autor a ſpuria, ut non ſit metuendum amplius, ne, quæ in noſtris hortis alitur, confundatur cum illa ex remotioribus Orientis regionibus, Sinenſi imprimis imperio, ad nos delata. Hinc in *ſecunda* cum rhabarbaro comparat Θησεῖυ plantam, a Theophraſto Ereſio commemoratam L. VI H. P. cap. II, & in hunc modum deſcriptam: ἡ δὲ τῦ Θησείυ, τῆ μεν γεύσει πικρά, τριβομένη δὲ κοιλίαν καθαίρει, cum quibus pene conveniunt, quæ ex hoc compilavit Plinius L. XXI c. 6 & L. XXII c. 22. Aſſerit inde Cl. Wedelius, nihil eſſe hanc, quam verum rhabarbarum, id quod ita ignotum huc usque fuit Botanicis, ut habita ſit pro deperdita a Theophraſti ætate. Probat id vero primo ex nomine, quod vere competat rhabarbaro, quodque ipſi videtur impoſitum ab heroe hujus nominis, more aliorum, quæ ab illuſtribus viris appellatæ ſunt. Sic enim veterum teſtimoniis confirmatur, Theſeum deviciſſe Amazonas, Ponti, rhabarbaro fertilis, accolas, ut adeo radix hæc in manus victoris pervenire potuerit, a quo deferretur in Græciam, atque ab eo nomen traheret: imo vagabundus inſtar Herculis Theſeus ubique victor facile ad illam gentem pervagari potuit, ubi radix effoderetur, eamque ſecum portare in patriam. Non vero ſolum nomen hic apte quadrat, ſed & utriusque plantæ ingenium: amara namque prædicatur illa Theophraſti, & rhabarbarum hinc nomen accepiſſe apud Sinas creditur; alvum quoque movere ſuam Theophraſtus docet, quod egregie præſtare rhabarbarum, experientia diſcimus. Ex quibus doctiſſimus Autor concludit, ſi non abſolute affirmare liceat, eſſe rhabarbarum Theophraſti plantam, certum tamen eſſe, cum nulla alia aptius comparari. In *tertia* Exercitatione agitur de orantium decoro, a Medicis præcipue obſervando, occaſione, ut videtur, loci apud Coum de inſomniis c. 2 t. 12: τὸ εὔχεσθαι (τῷ Θεῷ) πρέπον καὶ λίην ἐςὶν ἀγαθὸν, quod monitum ægrorum ſanitati operam navantibus ſtudioſe inculcandum eſſe putat. In *quarta*, ubi de formulis loquendi & præſcribendi medicis in ſacra Scriptura agit, illuſtrantur duæ imprimis formulæ, quæ exacte reſpondent

dent iis, quas Medici ſolent pharmacorum miniſtris præſcribere; utraque legitur Exodi capite XXX. In prima ad ſanctum unctionis oleum Deus jubet recipi myrrhæ primæ & electæ, caſſiæ ana ſiclos quingentos, (ſive ad mentem Autoris) libras XX & uncias X cinamomi, calami ana ſubduplum ſiclos ducentos & quinquaginta, id eſt, libras X uncias V, olei olivarum menſuram hin. Miſceantur, fiat lege artis unguentum. Quæ forma præſcribendi in omnibus cum receptis a Medicis convenit. In miſcendorum vero pondere non levis ſe difficultas prodit, quomodo nempe cum libris ſexaginta duabus ſemis pulverum miſceri debeat menſura hin vel libræ duodecim olei, unde fiat oleum vel unguentum fluidum, cum vix tantillum olei humectet maſſam pulverum. Antequam Autor huic modo ſolvendo ſe accingat, eorum rejicit ſententiam, qui in pulverum præſcriptione non ad pondus, ſed ad pretium eſſe reſpiciendum putant; ubi & Judæorum vanam credulitatem arguit, qua miraculum hic ſubeſſe ſibi perſuadent, contra ſacri ſcriptoris effatum, quo ad artis regulas rem fieri juſſit. Ars igitur chymica vocatur in ſubſidium, cujus Moſes ab Ægyptiis doctus, peritiſſimus fuiſſe vulgo creditur. Intelligitur autem per coctionem artificioſam deſtillatio, qua ex decem cinamomi libris tot olei drachmæ valent elici, tantumque ex tanto calami aromatici, ex caſſiæ libris viginti & ultra totidem drachmæ olei, quæ omnia, ſi miſceantur cum XII libris olei olivarum myrrhæ, dictum pondus diluent, & in fluidi unguenti formam redigent. Modo præparationis unguenti demonſtrato, progreditur Autor ad ſuffimentum in eodem capite deſcriptum, ad hanc formam: Recipe ſtactes, onychis, galbani odorati, thuris lucidiſſimi ana quantum placet, miſce, fiat lege artis pulvis tenuiſſimus. Equidem in pondere hic nullum dubium, & miſtio ſimplex, ſed diverſi onychis ſignificatus injiciunt ſcrupulum. De gemma dicitur Geneſeos II, 12; pro adoramento ex animalibus petito venditant alii, quam etiam ſignificationem hic locum habere probatur, & idem eſſe, de quo Dioſcorides ſcriptum reliquit Libro II capite X, quod ſit πῶμα κογχυλίῳ ὅμοιον τῷ τῆς πορφυρίας, tegumentum conchylii ſimile purpuræ, quod reperiatur

in

in Indiæ nardiferis lacubus, & nardi odorem ſpiret, quia hac veſcantur conchylia; & quanquam duplicis ſit generis, utrumque tamen in ſuffitu habet uſum. De calamo aromatico in *quinta* Exercitatione rationibus adſtruitur, noſtrum illum in officinis receptum, calamum dictum aromaticum, eſſe genuinum illum a veteribus laudatum, & illo, qui Indiæ debetur, virtute nulla in parte inferiorem. *Sexta* Exercitatio Paulum a vipera demorſum exhibet, atque demonſtrat, Apoſtolum a vera atque perniciosa vipera, &, ſi conjecturæ locus, fœmella fuiſſe dente percuſſum, ſolo autem miraculo ſine humano auxilio præſentiſſimo vitæ periculo exemptum. *Septima* agit de quæſitis per אוּרִים & תֻּמִּים urim & tummim, quæ data non ſint verbo emblematico, vel ex lapidibus pectoralibus elicito, ſed ſubſtantiali, (ut Autor loqui amat) quo Spiritus Dei cor atq; pectus ſacerdotis repleverit, ut de quæſitis redderet oracula. *Octava* Lilium convallium Salomonis proponit, cujus mentio fit Cantic. II, 1, de quo Interpretes non conſentiunt, ad quam florum claſſem referendum ſit; ſed illic utique ſignificari verum lilium convallium noſtras, evincit. Sic & in *nona* Exercitatione *œnanthen Theopraſti* de nullo aptius flore explicari, quam de eodem lilio convallium, quod omnibus antiquis, excepto Salomone, fuerit ignotum, propugnatur, & alii refelluntur, qui ante Dalechampium diverſis plantis applicarunt. Tandem & in *decima* de flore aeris ab autore libri Sapientiæ II, 7 commemorato, & convivantium deliciis adnumerato, agens a vulgari Interpretum ſententia, quaſi per florem aeris ætatis vigor vel flos ſignificetur, abit doctiſſimus Wedelius, atque iterum hic de lilio convallium ſermonem eſſe, ex ejus prædicatis pluribus demonſtrat *ἀέρος* vero florem dici loco *ἔαρος*, quod Græcis quandoque in uſu fuit, uti ex Theophraſti adductis locis evictum eſt. Cumque adeo lilium convallium in pretio tanto fuerit veteribus, parum abeſt, quin Autor ipſa Dudaim in ſacris Literis laudata, & hactenus dubia, per hoc explicet. Subjicitur huic Decuriæ ſupplementum de purpura & byſſo, quod ad Centuriæ II Decuriæ II Exercitationem III p. 14 pertinet.

THE

THE PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS and Collections to the End of the year 1700 &c.

h. e.

TRANSACTIONES ET COLLECTIONES Philoſophicæ, usque ad finem anni 1700, in epitomen redactæ & per capita generalia diſpoſita a JOHANNE LOWTHORP, M. A. & S. R. S.

Volumen III.

Londini, apud Thomam Dennet & reliquos, 1705, in 4.
Conſtat 3 Alph. 19 plag. & Fig. æn.

DE Volumine primo & ſecundo dictum eſt in hoc Suppl. Tomo IV p.290 & 362; reſtat igitur, ut recenſeamus, quænam in tertio contineantur. Dividitur id in duas partes, quarum prima Anatomica, Medica & Chymica; altera Philologica & Miſcellanea complectitur. Obſervationum Anatomicarum ingentem theſaurum ibi offendes, ita ut ſingulas indicare non liceat. Referuntur autem vel ad ſtructuram partium externarum & communia tegumenta corporis humani, vel ad caput, vel ad cervicem, vel ad thoracem, vel ad abdomen, vel ad humores & generales corporis affectiones, vel ad juncturas, vel ad muſculos, iisque aliæ de variis monſtris & duobus hermaphroditis, & adhuc aliæ de periodo vitæ humanæ ſubjunguntur. Memoratu digna ſunt, quæ *Georgius Garden* de viro quodam narrat, omnes aliorum geſtus, quamprimum oculos ipſius ſubeunt, ex neceſſitate quam dexterrime imitante, ita ut ab iis abſtinere in poteſtate ſua non repererit. *Eduardus Tyſon* pilos in medium producit in diverſis corporis partibus repertos. Infans ſine capite per quatuor dies vixiſſe perhibetur: nec deſunt alii, qui ſine cerebro nati per aliquot dies luce vitali gaviſi ſunt. *Tyſon* infantem diſſecuit, cujus cerebrum in cervicem depreſſum cernebatur. Inter caſus extraordinarios quoque referri meretur, quod quidam a prima ætate ad lumen ſolare viſu excelluerit, ad lumen candelæ autem aut flammæ prorſus occœcatus fuerit. Notabilia convulſionum, præſertim periodicarum

Digitized by Google

carum exempla afferuntur; *Holderus* ſurditatem, *Lowerus* reſpirationem, *Leighius* digeſtionem experimentatur. Structura pulmonum, lienis, glandularum, fibrarum ſpiralium in inteſtinis, teſticulorum, uteri deſcribitur. Narratur culter ex ſtomacho exciſus & multa de chylo, inteſtino cæco, dyſenteria, lumbricis latis & teretibus, calculis in veſica, lingua, glandula pineali, veſicula fellis, genitis, de horum calculorum generatione, de ovo in tuba Fallopiana reperto, oſſibus fœtus per anum excretis, miris imaginationis effectibus, de circulatione, quantitate & transfuſione ſanguinis ex uno corpore in aliud &c. occurrunt. Pauciora ſunt, quæ ex chymicis de deſtillatione frigida, digeſtione, fermentatione ac trituratione, volatiliſatione ſalis Tartari, ſale volatili ex plantis omnis generis extracto, de ſubſtantiis lucentibus factitiis, phoſphoro, ſpiritu nitri compoſito, &c. annotantur.

In parte altera Philologica in Grammatica, Chronologica, Hiſtorica & antiquitatem ſpectantia, itemque obſervationes hodœporicas abeunt. Leguntur inter hæc *Lodwickii* tentamen de alphabeto univerſali, Anonymi conjecturæ de characteribus Sinenſibus, *Walliſii* methodus ſurdos inſtruendi, ut cum aliis loqui & loquentes intelligere poſſint, variorum problematum chronologicorum ſolutio, commentationes de calendarii reformatione, deſcriptio calendarii perpetui. *Hallejus* in tempus inquirit & locum, quando & ubi *Cæſar* in Britanniam venerit. Deſcribuntur urnæ, lateres, altaria, ſepulchra, catacombæ, aliæque antiquitates Romanæ. Explicantur variæ inſcriptiones Romanæ, Runicæ, Hetruſcæ. Inter miſcellanea comparent conſtructiones lampadum, fornax fumum conſumens, obſervationes de piſcibus lucentibus, & de ligno putrido in tenebris lucente, variæ obſervationes microſcopicæ, experimenta nonnulla miſcellanea, quædam artificia, calculus *Hallejanus* de mortalitate hominum, calculus de credibilitate teſtimonii humani & explicatio virium memoriæ. Multa ex iis jam paſſim in Actis hiſce plenius deſcripta leguntur.

APOLOGETICUS CHRISTIANUS.

Alph. 1 pl. 2½ in 4.

Hæc

Digitized by Google

HÆc libri, quem nunc recenſere aggredimur, tota eſt inſcriptio, prætermiſſa & Autoris, & anni, & loci, & typographi vel bibliopolæ mentione. Neque tamen ejus memoriam exceſſe hiſce ex Actis voluimus, cum ſupra Suppl T. IV Sect. 8 p. 369 ſeq. aliud ſcriptum cum præſenti conferendum Lectoribus obtulerimus. Nimirum ſcripſerat quispiam *ἀνωνύμως* librum ſequenti (quod ex ipſo noſtro Autore p. 17 56 & 123 diſcimus) inſignem titulo: *Ragioni del Regno di Napoli nella cauſa de ſuoi benefici eccleſiaſtici, che ſi tratta nel Real Conſiglio della Maeſtà del Re nuovamente à tale affare ordinato.* Quo in libro inhiantes Neopolitanis ſacerdotiis Romanos Clericos, & exhauſtas Regni opes, Romamque transmiſſas, tragice exaggeravit, civilesque pariter & eccleſiaſticas leges ad arcendas a beneficiis alienigenas contulit. Hoc ſcriptum Noſter oppugnarat edito, ut p. 50 ipſemet fatetur, libello cum iſthac inſcriptione: *Regni Neapolitani erga Petri cathedram Religio adverſus calumnias Anonymi vindicata.* Sed alter defenſione ſui paulo poſt emiſſa noſtrum acerbisſime, uti queritur, exagitaverat. Ea re igitur permotus nunc reſpondet in præſenti Apologetico, quem ut ipſe *Chriſtianum* appellandum cenſuit, ita nos *Ciceroniani* titulo dignisſimum putamus ob dicendi genus perpolitum ac terſiſſimum. Eſt autem hæc prima duntaxat Apologetici pars, ut patet ex p. 3 & 204, adeoque plures partes vel jam edidit, vel conſtituit edere. Ceterum ſe ipſum fatetur p. 28 & 34 Neapolitanum eſſe civem Regique Carolo ſubditum. Ipſe liber, quem præ manu habemus, tripartitus deprehenditur. Et primo quidem longiſſima Præfatione usque ad p. 49 non niſi de adverſarii ſui malo in Romanam Eccleſiam animo ac de convitiis in ſe ab illo jactis conqueritur. Deinde p. 50 exhibetur *Prodromus contra mendacisſimam Anonymi calumniarum proluſionem.* Ubi Anonymum multis verbis reprehendit, quod Neapolitanos Clericos multorum vitiorum falſo accuſaſſet. Tum p. 94 ſequitur *Diatriba contra calumnias Anonymi de conjectione cauſæ*, id eſt, de mutatione ſtatus controverſiæ, ut Logici loquuntur. Hujus enim ſophiſticæ fallaciæ adverſarium ſu-

Digitized by Google

um convincere nititur, ſimul docturus, Anonymum errare, putantem, ſacerdotia ſolis indigenis tribui debere, idque per leges civiles & eccleſiaſticas. Immo contra contendit Noſter, leges de excludendis a beneficiis eccleſiaſticis extraneis adverſari exemplo Chriſti diſcipulos, & Apoſtolorum ſucceſſores eligentium, item ſententiæ Patrum Eccleſiæ, ac tandem moribus Eccleſiarum omnium.

UITLEGGINGE VAN DEN PROPHEET Micha &c.

h. e.

EXPLICATIO MICHÆ PROPHETÆ PER THEODORUM VAN TOLL, V. D. M. Woudenbergenſem.

Trajecti ad Rhenum, apud Gerhardum van Combrugge, 1709, 4.
Alph. 2 pl. 22.

ERuditus Autor in Præfatione graviter queritur, multos reperiri in ordine eccleſiaſtico, qui eruditionem & eruditos non tanti faciant, quanti deceat, licet ipſi illi contemtores eruditorum a magiſtratu ad viam rationis ingrediendam & ad fodiendum aſſidue agrum verbi divini ſint vocati. Hinc fieri, ut in homiliis eorum ſacris, quas ad populum pro concione habent, parum elegantiæ ac eruditionis reperiatur. Nihilominus homines hos in Synodis, adjutos ope juniorum quorundam ac rudiorum, quos in partes ſuas pertraxerint, interdum omnia arbitratu ſuo dirigere, ambitioni ac philavtiæ ſuæ omnia frena laxare, opinionibus ſuis ſpecioſos colores obtendere, audacter, impudenter ac more Phariſaico agere omnia, quæ ipſis ad palatum non ſint, aut intellectum ipſorum ſuperent, carpere, & tanquam Judices ac Cenſores publicos judicium de omnibus ſibi arrogare, idque rigore longe maximo. Quæ querela Cl. Autoris uti eo majorem fidem meretur, quod ſecundum leges eccleſiaſticas & cum præmiſſa approbatione ipſorum Deputatorum ad ſynodum Trajectinam hic liber ſit impreſſus: ita verendum eſt omnino, ne multi de

ti de decretis & canonibus talium Synodorum parum honorifice ſentiant, cum relatum legent, homines, quales hic deſcribuntur, in conventibus iſtis omnia arbitratu ſuo dirigere, & Clericos tamen poſtea adſtringi, ut placita ſynodorum tum in vita tum in doctrina ſua ſollicite obſervent. Ad locum
Michæ c. II v. 6, quo verbum נטף quod *deſtillare* ſignificat, P. 91.
ter eo ſenſu uſurpatur, ut ſit idem quod *prophetiam eloqui*, Cl. Autor de dono prophetandi ita ſcribit: *Verba Prophetarum ſunt quaſi amœna pluvia aut fertilis, deſtillans in aures & corda hominum & hæc replens ſapientia, veritate, juſtitia &*
ſanctitate. Ad c. III v. 8, ubi Micha dicit, ſe eſſe plenum vi 156.
Spiritus Divini, prædicatur felicitas temporum, quæ fuerunt ſub initium novi Teſtamenti, quando fideles oleo virtutis ac lætitiæ divinæ largiter uncti pleniquc fuerint fide, ſapientia, bonitate, ſpiritu ac bonis operibus: additurque, tales etiam hodie debere eſſe, aut certe, ut ſint, contendere, ſi qui ædificare
velint nova Hieroſolyma ac domum impietatis deſtruere. Ob- 204.
jectioni Judæorum, qui perſuadere ſibi ita non poſſunt, Meſſiam jam adveniſſe, quia Chriſtiani bellis tantis omni tempore fuerint impliciti, cum tamen prædictum ſit a Prophetis, tempore Meſſiæ gladios in ligones, & haſtas in falces converſum iri, ita reſpondetur: primum multa eſſe in Prophetis non ſecundum literam, ſed myſtice accipienda, qua ratione & verba illa bene admodum exponi queant, deinde quæ de Meſſia fuerunt prædicta, non eodem tempore omnia implenda fuiſſe, exſpectandum itaque Judæis eſſe tempus illud, quod Deus paci eccleſiæ in his terris deſtinaverit, tunc enim vaticinium il-
lud ſecundum literam omnino impletum iri. Nam Cl. Au- 214.
tor ſpem fovet, ſtatum eccleſiæ in diebus ultimis conſummationem ſeculi proxime anteceſſuris longe florentisſimum futurum. Chriſtum tum tanquam Regem in Eccleſia regnaturum, fideles ſuos fluminibus lætitiæ irrigaturum, optimis donis ornaturum, perfectisſimis revelationibus illuminaturum, contra omnes hoſtes defenſurum & ſalutem eorum omni mo-
do promoturum eſſe. Judæos etiam poſt tam diuturnum exi- 270.
lium iterum in terram Cananæam redituros: uti enim vati-

cinia de maledictione atque ejectione ipſorum ſecundum literam impleta fuerint, ita fore etiam ut promisſiones de reſtitutione ac benedictione ipſorum ſecundum literam impleantur. Non tamen terram ipſorum ulla alia orbis parte ſanctiorem futuram. Illis enim temporibus pios exclamaturos: *O Domine, Domine noſter, quam glorioſum eſt nomen tuum in omni terra!* Pſ. VIII, 2. Neque illic Deo preces gratiores futuras, quam alibi, totam enim terram ſanctam & Domini futuram. Ante has felicitates autem præceſſura turbida admodum tempora: eccleſiam enim ob contemtum Dei, incredulitatem, apoſtaſiam a fide priore, ſuperbiam, dominandi libidinem, doctrinam corruptam, inſtituta & commenta humana, coram Deo adeo putidam atque exoſam futuram, ut tandem eam funeſtis judiciis ac miſeris calamitatibus in deſertum ſit converſurus. Appendicis loco addita eſt Homilia ſacra a Cl. Autore in victoriam Confœderatorum, quam A. 1706 in campo Judonienſi a Gallis reportarunt, habita.

REMARQUES CRITIQUES SUR LA NOUvelle Edition du Dictionaire Hiſtorique de Morery &c.

h. e.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ IN DIctionarium Hiſtoricum Morerii, A. 1706 Pariſiis denuo recuſum.

Roterodami A. 1706, 8.

Conſt. 9 plag.

UTiliſſimus quidem, ſed non minus difficilis, ac, ſi quis alius, errandi periculo expoſitus Lexicographorum labor eſt, adeo ut opus abſolutum omniumque nævorum expers in hoc genere ſperare vix liceat. Hinc tametſi in emendando expoliendoque notiſſimo illo Morerii Dictionario Hiſtorico jamdiu eruditiſſimi Viri, ac præter ceteros Bælius, Clericus & Vaultierius laborarunt, tamen nec in noviſſima editione Pariſienſi res eo perduci potuit, ut non cum falſa

quæ

quædam remanerent, tum alia cognitu neceſſaria & ad hoc argumentum ſpectantia deſiderarentur. Id ipſum præſenti commentationi occaſionem dedit, in qua centum amplius laudati operis tituli partim ſupplentur, partim emendantur. Ut nonnulla ſaltem eorum exempli loco inde repetamus, in v. *Adrichomius* Theatrum Terræ Sanctæ & Deſcriptio Terræ S. perperam quaſi diſtincti hujus autoris libri commemorantur. *Adrianus* V & VI, Pontifices aliquot ſeculis disjuncti, confunduntur. *Briſaci* pons lapideus in Rheno commemoratur, qualis tamen nec Briſaci nec alibi unquam fluvio huic impoſitus eſt. *Clemens XI* hodiernus P. R. Alexandro VIII & *Gebbardus Truchſeſſius* Joanni Gebhardo Mansfeldio Archiepiſcopo Colonienſi, ut proximi ſucceſſores, ſubſtituuntur, cum tamen inter illos Innocentium XII, inter hos Fridericum IV & Salentinum interceſſiſſe, neminem fugiat. *Paulicianorum* origo perperam a ſeculo VIII deducitur, cum jam ſeptimo extiterint. Inter *Rapini* ſcripta Diſſertatio de nova doctrina ſeu Evangelio Janſeniſtarum omittitur, qua tamen præ ceteris inclaruit. Similiter in recenſione librorum *Scioppii* nihil dicitur de Anatomia Societatis & Stratagem. Jeſuitarum, quibus maximas turbas concitavit.

Ceterum obſervationes iſtæ primum Pariſiis prodierunt, ſed in altera, quam hic recenſemus, editione Roterodamenſi annotationibus quibusdam auctæ ſunt, quæ, nonnulla ſine ſufficienti cauſa in Morerii Dictionario reprehendi vel emendari, oſtendunt.

DICTIONARIUM GRÆCO-LATINO RUSſicum.

Alphab. 3. in 4.

Quamvis in prima hujus libri facie neque locus neque annus impreſſionis compareat, verſa tamen pagina, quæ S. Czareæ Majeſtatis, PETRI ALEXIOVICII, nec non hereditarii Principis, ALEXII PETROVICII, magna nomina continet, utrumque exhibet. Eſt autem liber hic impreſſus Moſcuæ *Anno mundi* 7213; vel *Anno incarnationis Verbi Dei* 1704.

Ne

Ne mireris autem, quod Moſci duobus fere annorum millibus a vulgari Hebræorum computo diſcrepent, qui Anno 1704 præterlapſo a mundo condito tantum 5464 numerarunt; notum enim eſt, quod Græci, quorum veſtigia Iſaacus Voſſius quoq; premit, non textum Hebræum, ſed LXX in ponenda mundi epocha ſequantur. In Præfatione ipſa, quæ Slavonico, Græco & Latino idiomate conſcripta eſt, Autor Slavonicam linguam fœcundiſſimam Bohemicæ, Sorabicæ, Bulgaricæ, Lithuanicæ, Ruſſicæ ceterarumque permultarum matrem extollit. Cui etiam exinde aliquam gloriam accedere perſuaſus eſt, quod *δόξα*, *gloria*, Slavis ſit CAABA *Slava*, indeque per nominis etymum, ab hoc ipſo nomine *Slava* Slavonica & gens & lingua ortum ſuum glorioſiſſimum deduxere. Præfationem ſequitur admonitio ad Zoilum, qua Autor oſtendit, quod maximam in editione hac adhibuerit operam, & quod aliorum meliora meditantium laudi nequaquam detrahere velit. Atque huic poſteriori præfamini Editor ſuum nomen adjecit, ſcil. *Theodorus*, *Polycarpi filius*, *Moſcovitica typographiæ corrector*. Liber diviſus eſt in duas partes, quarum prima voces ab A *as* ordine Alphabetico Slavis uſitato incipientes usque ad O *on* comprehendit; altera vero voces a П *Pocoi* & reliquis usque ad V *Iſchitze* incipientes, ubique Græca & Latina ſignificatione interpretatur; quibus tandem appendix quinque foliorum, vocum prætermiſſarum quaſi ſpicilegium, annexa eſt. Ruſſica vocabula, ſi quæ occurrunt, Autor non explicat, ſed Lectorem ad Slavonica homogenea remittit. Sic vocem *gorod* evolvi jubet, ubi *τὴν πόλιν urbem* ſignificari deprehendimus. De cetero certum eſt, quod Ruſſi præ ceteris omnibus terrarum incolis Slavonicam linguam colant, eamque reliquis omnibus etiam Ruſſicæ multum anteponant. Hi enim non ſolum ſua eruditionis documenta Slavonica lingua conſignant, ut eo quivis doctior habeatur, quo plures hujus idiomatis voces colloquiis ſuis immiſcet; ſed etiam ipſa ſacra Biblia, reliquique ad cultum divinum ſpectantes libri non Ruſſica ſed Slavonica tantum lingua impreſſi proſtant.

ERRATA.

Pag. 446 lin. 26 pro ſanguinis *lege* uberius, *& p. 447 lin. 15 pro* oculo *lege* ovulo.

Digitized by Google

ACTORUM ERUDITORUM,

Quæ Lipſiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. IV Sect. XII.

EVANGELIORUM HARMONIA GRÆCO-Latina; Autore NICOLAO TOINARD, Aurelianenſi.

Pariſiis, ex officina typogr. Andreæ Cramoiſy. 1707, fol. maj. Alph. 1 plag. 19, chart. Reg.

TRiginta & aliquot abhinc annis Cl. Toynardus hanc ſuam Evangeliorum Harmoniam typis exprimendam curavit, ſed cum eam in privatum uſum conſcripſiſſet, quinque vel ſex tantum exemplaria exſcripta ſunt, amicis ſuis diſtribuenda. Urgebant plures quidem in Gallia publicum uſum, ſumtusque neceſſarios offerebant, ſed Cl. Toynardus in cœlibatu ſuo paucis contentus, pecuniam parum curavit, & impreſſionem diſtulit. Ex præmiſſo privilegio apparet, quod Anno 1690 eam publicæ luci exponere decreverit, ſed neſcimus, qua cauſa impreſſio non ſit ſecuta. Promiſerat Autor notas quasdam in hanc Harmoniam, quæ vero poſt mortem non ſunt repertæ. Promiſerat quoque diſſertationem de Numis Samaritanis, quæ tamen hactenus non comparuit. Conſtituerat etiam ſumtibus Wetſtenii imprimere Harmoniam de Bello Judaico, & antiquitatibus Joſephi, ſed mentem mutavit, plagulasque impresſas non ſine Bibliopolæ damno miſſas fecit, uti Cl. Clericus in Bibl. Sel. tradidit. Integrum hujus Harmoniæ corpus, prout Prolegomena docent, ex quatuor Evangeliis & aliquot verſiculis cap. XI & XV Epiſtolæ I ad Corinthios, ubi Paulus de variis Chriſti poſt reſurrectionem apparitionibus nonnulla

 refert,

Digitized by Google

refert, ac denique ex duobus primis Actorum Apoſtolorum capitibus conſtat. Singulis Scriptoribus ſuæ ex ordine aſſignatæ ſunt columnæ, quæ coarctantur, ſi ſcriptor aliquis taceat, & dilatantur, ſi loquatur. Adjecta eſt in exteriori columna verſio vulgata, haud raro emendata, & in articulos diviſa, quæ quandoque ad verbum, quandoque ſummatim tantum eventa in Græco textu relata exhibet. Supra columnas omnes in ſumma pagina linea ſolitaria eſt, in qua rerum in pagina geſtarum variæ periodi, & æræ Chronologicæ, v. g. Conſtant. Julian. Auguſti & Tiber. Orbis cond. Æræ Judaicæ, Jubil. Coſſ. Ann Jul. Herodis, Annæ Pontif. Caiphæ Pontif. Pilati, Johannis ætatis & prædicationis, Chriſti ætatis & miniſterii &c. præfiguntur. Matthæi textum eodem, quo in vulgatis legitur, ordine Autor non exhibuit, quod ab aliorum Evangeliſtarum ordine a Capitis IV v. 22 ad capitis XIV verſum 13 plurimum diſcedat. Quod mirari ſubit, cum Marcus Evangeliſta epitomator ejus cum Luca & Johanne æquo pede in iis omnibus narrandis decurrat, quæ apud Matthæum varie tranſpoſita leguntur. Quod unde evenerit, niſi ex perturbatione aliqua eaque antiquiſſima ſchedarum Matthæi, difficile dijudicatur. Ne vero hæc perturbatio Lectori impedimento ſit, in limbo ſuperiori columnæ Matthæi capita & verſiculi ejus deficientes minoribus literis indicantur. Totum Hiſtoriæ Evangelicæ opus tum textu Græco, tum Latina verſione exhibitum in 477 articulos eſt diſtinctum, qui ſigno, Typographis *pes muſcæ* appellato, notati ſunt. Intermiſſam in aliquo Evangeliſta orationis ſeriem parva manus indicat, cujus digitus extenſus Lectorem ad Evangeliſtam, qui narrationem continuat, remittit. Quoniam Evangeliſtæ res nonnullas prius, alias poſterius narrant, quam temporis ratio poſtulavit, anticipationes & ſubſumtiones etiam ſigmatum & trifoliorum ſignis indicavit. Quando id quod privatim ab uno, vel etiam duobus aut tribus narratur, ad aliorum vicinorum, quorum textus interruptus eſt, intelligentiam facit, præter manus, ſigna aſteriſcorum quoque ſeu ſtellularum ** ordinem adjecit, quibus admonetur Lector, textum Evangeliſtæ loquentis ad ſilentis & ſtellulis interrupti plenio-

plenioremintelligentiam eſſe neceſſariam. Sic p. 24 Art. 94 poſt verba Matthæi: παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον, ponuntur ſtellulæ quædam, indicantes, textum Marci & Lucæ ad ſenſum complendum eſſe legendum, quod nempe quidam paralyticum in lecto jacentem & a quatuor portatum hominibus inferre, & coram Jeſu ponere quæſiverint, cum vero non poſſent ad eum accedere nec invenirent, qua peralyticum inferrent propter turbam, conſcenſo tabulato tectum domus, ubi Jeſus erat, detegunt, & facto foramine per tegulas paralyticum una cum lectulo dimittunt in medium ante Jeſum, qui viſa eorum fide dixit Paralytico: bono ſis animo &c. Textus Græcus ad vetuſtiſſimos duos Vaticanos codices ac Latinam veterem verſionem eſt excuſus, quando hæc cum illis convenit. Variantes autem a Vulgato textu Vaticanas lectiones alias non recenſitas ex codicibus excerpſit Cl. Carolus Cato de Court, Sereniſſimo Cenomanenſium Duci a ſecretis, easque cum Dn. Autore communicavit. Conſultum certe fuiſſet, ſi Cl. Autor eas variantes lectiones indicaſſet, ſed ipſi ſufficere viſum eſt Lectorem monuiſſe, quod lectiones ſuas a textu Græco Vulgato diſcrepantes ad jam dictas Vaticanas, & ad Vulgatam Latinam conſonantem excuſæ ſint. Hoc ut faceret, autoritate Roberti Stephani eſt inductus, qui præfatione N. T. p. 2 dixit: veterem verſionem negligendam non exiſtimavi, quia eam multis in locis vetuſtiſſimi exemplaris Græci loco eſſe videbam. Præterea Cl. Autor quasdam in verſuum diviſionibus mutationes tentavit, quod ex Henrici Stephani præfatione Concordantiæ ſuæ N. T. Græco-Latinæ Genevæ A. 1624 editæ, præfixa cognoverat, Patrem Robertum Stephanum N. T. in verſus diſtinxiſſe, cum Lutetia Lugdunum peteret, & quidem magnam inter equitandum partem. Inde eſt, quod easdem res in diverſis Evangeliſtis relatas varie ſecet, adeo, ut qui unus in Matthæo eſt verſiculus, nonnunquam in Marco, Luca, vel Johanne duplex ſit, & vice verſa. Columna exterior, uti dictum, Latinam verſionem partim novam, partim ex Veteri & vulgata mixtam, modo plene modo compendioſe exhibet. Hinc verſioni præfixæ ſunt lite-

rulæ, quæ in Græcis columnis reſpondentibus repetuntur. Multa in hoc Latino textu inſeruntur, puta characteriſmi temporum, locorum, quibus res contigerunt, ſed ut a ſacro textu diſcernerentur, Italico charactere expreſſa ſunt, quæ per anticipationem & ſubſumptionem dicta ſunt, ut & ea, quæ ad pleniorem Evangeliorum intelligentiam vel ex ipſis Evangeliis vel profanis ſcriptoribus deſumuntur, ubique in eadem verſione notata reperi[illegible] Quæ ſæpius in Scriptura dicta aut geſta referuntur, ea qu[illegible] vice, quove ordine facta ſint, deſignantur, v. g. Stellam Magis ter apparuiſſe exiſtimat, quare primam apparitionem p. 2 Artic. 3, cum Johannes conciperetur, ſecundam p. 5 Art. 12 & 16 cum Chriſtus naſceretur, tertiam p. 6 Art. 21, cum Bethlehemum abirent, notavit. Eodem modo miraculorum a Servatore patratorum ordo, genus & numerus deſignatur. Quæ fuſiori explicatione egere exiſtimavit, ea ad imam paginam rejecit, & quibusdam obſervationibus illuſtravit. Prætermisſis, quæ de æris & temporum periodis Cl. Autor congesſit, ad ipſam Harmoniam progrediemur & quædam notatu digna excerpemus. Conjectatur Clariſſ. Autor Art. 3, Eliſabetham concepiſſe Joannem 23 die menſis Elul, qui reſpondet diei 24 Sept. feriæ 3 Anni periodi Julianæ 4709. Ex quo colligit (Articulo 9) Joannem eſſe natum 1 Tamuz 24. Junii feria 3 anni Per. Jul. 4710. Et quoniam (Art. 21) Joannis conceptum & Salvatoris nativitatem XVII menſes intercedunt, ſequitur (Art. 12) Salvatorem eſſe natum 7 Tebeth, 25 Decembr. feria 5 anno Per. Julian. 4710. Fundamentum hujus calculi p. 2. ponitur in anno & die incenſi per Titum Templi Hieroſolymitani. Referunt Judæi ſcriptores, templum Hieroſolym. incenſum eſſe die nono menſis Ab (Cod. Taanith cap. IV n. 6 Miſchna, Heracin Cap. 11 fol. 11 b. Gemara) & quidem quo tempore exitus Sabbathi, & exitus Septennii, & cuſtodia Jojarib erat (Cod. Taanith Cap. IV fol. 29 a. Gem. Heracin uti ſupra, Seder Olam R. fol. 14 col. 2.) ubi per exitum Sabbathi intelligitur fer. 1 & per exitum Septenarii primus annus Periodi Sabbathicæ. Si itaque anno periodi Jul. 4783, Æræ Chriſt. 70, claſſis Jojarib Sabbatho mane d. 4 Aug. ſuas vices obiit, ſequitur, quod eadem claſſis anno Per. Jul. 4709 Sabbatho mane die 15 proleptico Julii

Digitized by Google

Julii recti miniſtrare inceperit. Etenim ſi ſacerdotales 161 cyclos (dierum 168 ſingulos) atque univerſim 27048 conſtantes, 4 diei menſis Auguſti anni Per. Jul. 4783 dempſeris: ope retro acti iſtius calculi aſſequeris anno Per. Jul. 4709 ſupra dictum Julii diem 15 prolepticum, quo Claſsis Jojarib in templum intravit. Ex quo ſequitur, Claſſem Abiæ ſequenti 50 die, qui 2 dies eſt Sept. prolepticus, vel 31 Auguſti reformati, miniſterii ſui vices inchoaſſe. Huic calculo deinde ingreſſum Zachariæ, qui ex claſſe Abiæ erat, ad miniſterium ſuum (Art. 1) conceptum Johannis (art. 2) & Chriſti nativitatem (art. 12) ſuperſtruxit. Sed quamvis ſupponatur, claſſem Sacerdotum a Davide ordinatam tempore captivitatis Babylon. non eſſe immutatam, Talmudiſtas quoque verum incenſi templi diem annotasſe, non tamen apparet ratio, quæ ſuaderet, Zachariæ 31 Auguſti ad miniſterium ſuum templum ingredienti angelum appáruiſſe, hoc enim manente eodem calculo etiam poſt 24 ſeptimanas, ubi eadem claſſis Abiæ recurrebat, fieri potuit. Ad nativitatem Salvatoris (Art. 14) plura obſervat eodem tempore facta, v. g. ex pervulgato paſtorum nuntio rumorem ortum eſſe, novum eſſe Judæis Regem, ſiquidem apud Judæos Chriſtus idem eſt ac Rex Judæorum; ob hunc quoque rumorem Regem Herodem a plebe Hieroſolymitana mortuum eſſe habitum, cujus mors vel ideo magis fuit credita, quod Herodes annos fere 70 natus pesſime haberet in Hiericho. Inde quoque arreptam eſſe occaſionem, ut juvenes complures virtutis ſtudioſi, quos duo inſignes Sophiſtæ (ſeu Rabbini) Judas & Matthias pridem incitaverant ad exſcindendam aquilam magnam auream, quam Herodes ſuper magnam templi portam collocaverat, facti ſint audaciores, ut meridie (hoc ipſo die quo natus eſt Chriſtus) ac multis in templo verſantibus ſuper templum aſcendentes & crasſis funibus e tecto ſe demittentes aquilam auream ſecuribus exſcinderent. Præfectus regius, re confeſtim cognita, cum multa manu advenit, & captos quadraginta juvenes, cum duobus facinoris autoribus Juda & Matthia adducit ad Regem. Joſeph. de Bello Libr. 1. cap. 21. & Antiq. Lib. XVII. cap. 8. Pag. 11 ubi Johannis baptiſtæ mentio fit, de Herodia-

dis conſanguinitate agit, dubiumque tollit ex Joſepho Antiq. L. XVIII, c. 7, ubi Herodiadis maritum Herodem appellat, & ex Luc. III, 19, Matth. XIV, 3, Marc. VI, 17, ubi idem Philippus nominatur, natum. Exiſtimat Cl. Autor, quod Joſephus Herodis nomen, Evangeliſtæ vero Herodis cognomen reſpexerint, quoniam & Judæis ſcriptoribus Herodes ille פולימוס Philippus appellatur, uti ex Gorjonide, Verbis Regum Iſrael, & Zemach David apparet. Pag. 14 Art. 55 quartam Chriſti tentationem Matth. IV, 8 ſeparat a tribus præcedentibus, quia Lucas c. IV, 13 poſt tertiam addit: Diabolum a Chriſto ad tempus deſtitiſſe. Pag. 15 ad Joh. II, 19 annotat, quod Johannes 26 Adar, 20 Martii fer. 2, quo tempore in templo agnus ſacrificii jugis matutini mactabatur, Chriſtum agnum mundi peccata mundi tollentem appellaverit. Luc. VI, 1, pag. 27 Sabbathum ſecundo primum ita explicat, ut ſecundum ſit, quia aliud primum, nempe Sabbathum magnum & proximum ante Paſcha anteceſſit, primum vero, quia eſt proxime poſt Paſcha, & primum numeratur inter illa ſeptem Sabbatha, quæ a Paſchate ad Pentecoſten habentur. Ad Luc. XXII, 8 p. 107 obſervat, quod Paſcha parare idem ſit, ac panem fermentatum perquirere, & exterminare, quia non licuit על חמץ ſuper pane fermentato paſcha mactare, Ex. XIII, 18, XXXIV, 25, Ibid. v. 10 exiſtimat, hominem amphoram aquæ bajulantem, eam ad panes azymos pinſendos hauſiſſe, quæ deinde domi nocte una integra aſſervanda fuit, quo ſuper eam 12 horæ, ex quo hauſta erat, tranſirent. Id circo haurienda erat בין השמשות inter Soles (Peſach. fol. 42 a. Orach Chaiim n. 455) id eſt, per crepuſculum, quod inter 13 diem deſinentem, & 14 diem civilem ineuntem intercedit, quo tempore diſcus quidem ſolis jam eſt ſub Horizonte, ſuperſtes autem ejus lux apparet. Ibidem ad verba v. 11: *ubi eſt diverſorium meum?* addit, quod ædes tempore paſchatis non mercede elocatæ ſint in Hieruſalem, neque lecti, (Cod. Joma fol. 12; a Megilla fol. 26, a) conceptis enim verbis dicit gloſſa, ædes gratis conceſſas fuiſſe iis, qui adſcendebant ad feſta. In fine adjectæ ſunt Notæ in Harmoniam ex Cl. Autoris adverſariis ab editoribus collectæ.

In

Digitized by Google

In his præter alia annotatur, quod verba Lucæ II, 2 αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ita vertenda ſint: *Hæc deſcriptio prior facta eſt, quam præſes eſſet Syriæ Quirinius*, ut adeo πρώτη idem ſonet, quod πρότερα *prior*, quia Cyrinus ſeu Cyrenius tempore Chriſti nativitatis, vivente Herode, non fuit Syriæ præfectus. Ex his patere exiſtimamus, Cl. Autoris induſtriam, quæ minutisſimis quandoque inhæret, evangelicas hiſtorias egregie illuſtrare, & ſacrarum literarum ſcrutinium admodum promovere, ut opus hoc diuturnis vigiliis elucubratum merito digna laude excipiatur.

JUSTI HENNINGI BÖHMERI, D. P. P. ET Facult. Juridicæ Aſſeſſoris in Regia Fridericiana, Introductio in Jus Publicum Univerſale, ex genuinis principiis deductum & in uſum Juris Publici particularis quarumcunque Rerumpublicarum adornatum.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Orphanotrophii, 1710, 8.
Alphab. 1 plag. 18.

EX quo Juris Naturæ doctrina excoli, & ad genuinos ſuos limites, opera tot eruditorum, reduci cœpit, Juris tam *privati*, quam *publici* cultura quoque inde ingentes acceſſiones & lucem inſignem accepit, ut nemo amplius incertis rationum fluctibus, quod olim fiebat, ſe committere teneatur, ſed fundamenta ſolidisſima ex regulis rectæ rationis petere posſit. Hunc ſcopum quoque ſibi præfixum habuit doctisſimus Autor, quod ſatis declarat in Præfatione, oſtendens, ſtudium *Juris Publici particularis* quarumcunque Rerumpublicarum requirere cognitionem *Juris Publici univerſalis*, cum abſque ea in Jure particulari nemo proficere posſit, id quod vel unice ſtudium Juris Publici univerſalis commendare poteſt. Ipſum tractatum parte *generali* & *ſpeciali* abſolvit, ita ut illa *generalia* circa hanc doctrinam, hæc vero *ſpecialia* jura publica tradat excutiatque. Methodum elegit aptisſimam, & quidem talem, quæ

quæ hiſce diſciplinis conveniens eſt, dum theſibus admodum conciſis ſingulas propoſitiones includit, illasque ita connectit, ut ſine ulla interruptione ſeries integra materiarum uno quaſi intuitu haberi ſimulque judicari queat, an & quatenus ex præmiſſis principiis concluſiones legitime ſequantur. Ne tamen theſium illuſtratio ſufficiens deeſſet, uberioribus notis ſingula exornavit, & tum rationum declaratione pleniore, tum exemplis ex antiquitate petitis, tum teſtimoniis aliorum, imprimis Poetarum & Hiſtoricorum, illos confirmavit & illuſtravit, ut omnium guſtibus ſe accommodaret. Habet ſane hæc methodus ſua commoda haud ſpernenda, qua ſi Grotius in opere ſuo immortali *de J. B. & P.* uſus fuiſſet, facilius connexio materiarum menti Lectoris ſeſe inſinuaret, quæ tamen, tot interjectis ornamentis, omnis generis doctrina refertis, difficilius obtinetur, ne dicamus, illa meditationes legentium variis modis interrumpere. *Pars generalis* hujus Introductionis quinque abſolvitur capitibus, & quidem *cap. I de Jure Naturæ in genere* agitur, utpote cujus portionem hæc diſciplina conſtituit. Oſtendit hoc capite Cl. Autor, ex natura hominis depravata neceſſitatem alicujus normæ, ſecundum quam actiones hominum dirigantur, fluere, cum absque illa felicitas, ad quam homo creatus eſt, quamque quilibet appetit, obtineri non poſſit. Inde inquiunt, qualis norma homini ſit neceſſaria, ut felicitatem obtinere queat, & cum hæc duplex ſit, *externa*, quæ in pace cum aliis hominibus excolenda deprehenditur, & *interna*, quæ in animi pace & tranquillitate & interna emendatione conſiſtit, inde concludit, ad utrumque ſcopum obtinendum *duplicem* quoque *normam* neceſſariam eſſe, quarum altera internam hominum emendationem promoveat, altera vero illa inculcet, quæ ad pacem & tranquillitatem cum aliis hominibus conſervandam faciunt. Utriusque normæ Deum autorem eſſe demonſtrat, quam ſingulorum mentibus inſcripſit, & præterea in ſacris literis plenius manifeſtavit, ex quo per ſe *obligatio* ad normam illam ſervandam fluit. Hæc ipſa autem, prout *§. 22 ſeqq.* Noſter declarat, pro natura normæ diverſæ ipſarumque actionum humanarum, eſt vel *interna* vel *externa*, ita ut hæc imprimis neceſſaria

ria

Digitized by Google

ria ſit ad illam normam, quæ paci externæ inter homines ſervandæ inſervit, cum absque ea vinculum humani generis conſervari haud poſſit, atque inde ipſum jus naturæ exſtruit, ejusque limites ſola felicitate externa humani generis circumſcribit, adeoque officia humanitatis, & erga Deum ad jus naturæ ſtrictum non pertinere contendit. Fundamentum juris naturæ ex his deducit, illudque collocat in *obligatione*, *qua homines ſibi invicem adſtringuntur ad pacem & tranquillitatem tanquam unicum illud vinculum ſocietatis humanæ, inter ſe conſervandam, eaque fugienda, quæ eandem tollunt*, quo ipſo evincit, præcepta Juris Naturæ juxta ſententiam Hobbeſii non eſſe nuda theoremata, obligationem tantum internam producentia, cum, quod Hobbeſius negat, ex jure naturæ alter alteri in ſocietate humana obligetur. Uno verbo: *vinculum humani generis* pro fundamento ſupponit, quod ipſi gentiles agnoverunt. Socrates cum rogaretur, cujatem ſe eſſe diceret, mundanum ſe eſſe pronunciavit. Totius enim mundi ſe incolam ac civem arbitrabatur, teſte Cicerone *lib. V Quæſt. Tuſcul.* Similiter Diogenes Cynicus a quodam interrogatus, cujas eſſet? reſpondit: *civis mundi*, Laertius *Lib. VI.* Zeno voluit, ut omnes mortales dicamus populares noſtros, Plutarch. *in orat. I de Alex. fortit.*

In *Cap. II* diviſionem juris univerſalis in privatum & publicum tradit, & ex ſtatu hominum diverſo deducit. Eſſe enim ſtatum vel *naturalem* vel *civilem* declarat, ita ut actiones in illo ſtatu jura Gentium producant, hic vero ordinem imperantium & parentium inter ſe reſpiciat. Hoc ſtatu introducto, actiones hominum diſtinctas fuiſſe in *publicas* & *privatas*, & ita ad ſtatum gentium inter ſe hunc reſpectum minime pertinere docet, cum actiones gentium magis *liberæ* dici poſſint. Cum vero jus naturæ actiones hominum in quocunque ſtatu dirigat, inde concludit, jus naturæ quoque eſſe vel *privatum* vel *publicum*, & cum poſterius quidam in dubium vocaverint, ſingulorum dubiis, & imprimis Joanni Gröningio, exiſtentiam juris publici univerſalis neganti, reſpondet, & doctiſſimum Hertium ſimul defendit.

Pro hujus uberiore illuſtratione *C. III differentias juris publici*

blici univerſalis a jure gentium, politica, notitia ſingularis Reipubl. & jure publico particulari ſuppeditat, præmittendo conceptum genuinum juris publici univerſalis, quem tum in *ſenſu* & *cognitione* legum publicarum, tum in earundem *applicatione* ad actiones hominum conſtituit. Illum haberi docet per demonſtrationes ſolidas ex primo hujus diſciplinæ principio deductas: *agenda eſſe ea, ſine quibus pax & tranquillitas hujus corporis civilis conſervari & unio civilis contineri non poteſt*; illudque reſpectu juris naturæ generatim conſiderati eſſe quidem magis *concluſionem*, reſpectu tamen hujus diſciplinæ ſpecialis *principium* dici poſſe: hanc vero, *applicationem* ſcilicet, regulas prudentiæ, notitiam ſtatus publici, & ſcita particularia cujusque Reipubl. in ſubſidium vocare, ne in illa erretur. Interim tamen, pergit, hæc tria ab hac diſciplina eſſe ſollicite diſtinguenda, cum *notitia ſingularis Reipubl.* nexum & ſyſtema totius civitatis ejusque rationes & ſtatum ſollicite evolvat, jus publicum autem tantum circa leges publicas occupatum ſit: *politica* vero, quæ utplurimum cum hac diſciplina confundi ſoleat, magis *utile* civitatis pro ſcopo habeat & regulas prudentiæ ſiſtat, cum jus publicum regulas *juſti* explicet, quæ ſolida *demonſtratione* nituntur, cum regulæ prudentiæ ſola *probabilitate* fundentur. Negari ſane nequit hanc confuſionem in libellis eorum, qui *politicam* tradiderunt, admodum frequentem eſſe, cum illa, quæ alterius diſciplinæ & juris ſunt, doctrinæ politicæ admiſcent, quod ipſum etiam Grotius in *Prolegomenis* ſuis jam obſervavit.

In *Capite IV* neceſſitatem & utilitatem hujus doctrinæ, & in genere *juris naturæ* exponit, quod vel ideo neceſſarium fuit, quia nonnulli reperti ſunt, qui non tantum uſum omnem rectæ rationis, ſed culturam quoque hujus ſtudii ſupprimere ſtuduerunt, ex illo fundamento, quod ratio noſtra ſit corrupta, adeoque ei haud fidendum ſit, quod vel ex libello, qui inſcribitur Licht und Recht/ & quidem *P. I Obſerv. 1 & 2*, apparet. Inde oſtendit, eandem eſſe neceſſitatem hujus doctrinæ, quæ eſt ipſarum legum ciuilium, quæ absque hac doctrina recte intelligi & explicari nequiunt, cum leges tam publicæ quam

quam privatæ particulares, quoad maximam partem ſint concluſiones ex jure naturæ, adeoque ex propria ejus diſciplina explicandæ, plura quoque in jure particulari non ſint definita & determinata, quæ tantum ex jure naturæ decidi debeant. In ſequentibus reſpondet dubiis hinc inde contra hanc diſciplinam motis, & oſtendit, rationem noſtram non adeo eſſe corruptam, ut præcepta juris naturæ non ſatis percipere, eisque aſſenſum præbere poſſit, nec in hac diſciplina talia tradi, quæ voluntati divinæ contrarientur, cum, quæ permittat, non alio ſenſu accipienda eſſe dictitet, quam quod non ſint contra jus naturæ, quamvis eo ipſo haud negetur, illa contra normam, internam hominis emendationem dirigentem, eſſe poſſe, cum hæ duæ normæ inter ſe ſint diſtinctæ, & aliud ſit, utrum aliquid ſalvo jure naturæ, & an ſalva pietate fieri queat? Chriſtianos quidem, qua tales, lumen divinius ſequi debere, interim tamen leges in ſtatu civili eliminari non poſſe, quæ tantum contra improbos repertæ ſunt, quales inter Chriſtianos haud deſunt.

In *Capite V Autores, ſubſidia & cautiones varias* exhibet, & hac occaſione hiſtoriam hujus diſciplinæ ſuccincte tradit, oſtenditque, Scholaſticorum nugis hanc diſciplinam valde corruptam eſſe, qui omne jus naturæ unice ex ſacra Scriptura deducere voluerunt, & cum in illa non unius generis præcepta occurrant, inde eos omnia miſcuiſſe, & infinita ad jus naturæ retuliſſe, quæ alterius diſciplinæ ſint, eamque confuſionem nec Patres evitaſſe, uti exemplo Ambroſii in libris tribus *de officiis* oſtendit. Promoviſſe porro hanc confuſionem refert ipſos JCtos antiquos, qui Scholaſticam ſubtilitatem cum legum & canonum cognitione conjunxerunt, & in aſſerendis juribus publicis varias quæſtiones inter ſe diverſas miſcuerunt. Reſtauratorem vero hujus diſciplinæ fuiſſe Grotium oſtendit, quamvis adhuc jus gentium cum hac diſciplina miſcuerit. Hobbeſium quoque idem propoſitum cum Grotio habuiſſe, in plurimis tamen lapſum, quamvis aſſeclas plures invenerit. Præterea Adrianum Houtuyn JCtum Belgam hanc excoluiſſe diſciplinam in *tr. de politica contracta generali*, qui jura imperantium nimium evehit, & ſubditos in abjectiſſimam conditionem de-

Digitized by Google

detrudit, ſicuti e contrario Autor tract. *du Gouvernement civil*, quem LOCKIUM eſſe volunt, plane diverſa inceſſit via, & libertatem populi acriter defendit, prout Autor hujus Introductionis paſſim, imprimis *p. 169, 526* alibique oſtendit. Laudat præterea labores in hac diſciplina aliorum doctiſſimorum virorum, ut Pufendorfii, Thomaſii, Hertii, Ziegleri aliorumque. Ad ſubſidia refert hiſtoriam, idque exemplo Huberi oſtendit, qui in *Hiſtoria Civili* uſum ejus in hac diſciplina obſervationibus quibusdam, in calce libri ſubjectis, declarat, quod inſtitutum etiam Dn. Thomaſius in *Specimine Jurisprudentiæ judicialis* habuiſſe videtur. Quoad *præcautiones* optime Noſter annotavit, in hac diſciplina duo extrema eſſe vitanda, ne vel in *Machiavelliſmum* vel *Monarchomachiſmum* incidamus.

Partem *ſpecialem* in tres libros diſtinguit, quorum primus *de natura & indole Rerumpublicarum & imperii civilis*, ſecundus *de juribus ſummi imperii*, & tertius denique *de obligatione & juribus ſubditorum* agunt. Liber primus abſolvitur quinque capitibus, quorum primum *originem imperiorum civilium* ſiſtit, & examinatis aliorum ſententiis, tandem Autor noſter plenius docet, *vim & libidinem imperandi* cauſam civitatum præbuiſſe: quam ſententiam ex hiſtoria ſacra probat, & Cainum, primum conditorem civitatum, in medium producit; porro eo pertinere contendit Gigantes, quorum in ſacris fit mentio, eosque oppreſſores, graſſatores & latrones fuiſſe, aliosque ſibi ſubjeciſſe; poſt diluvium Nimrodem condidiſſe imperia; plurimaque imperia ex latrociniis gentium olim uſitatis orta fuiſſe, quod præterea Taciti teſtimonio illuſtrat; Eſavum quoque Idumæorum conditorem fuiſſe; pios autem ab omni imperio civili abſtinuiſſe, & patrum familias more vixiſſe, vel ut Knichen *in Oper. polit. lib. I c. I th. 2 n. 3 in f.* ait, in populo Dei tantum ſimulacrum Reipubl. fuiſſe, veram autem inter Cainitas. Inde concludit, originem primam Rerumpubl. deberi impiis, & primitus rudes, paulisper tamen *juſtitia* imperantium correctos emendatosque fuiſſe. Concedit quidem, Reſpublicas in ſtatu corrupto fuiſſe neceſſarias, ipſam tamen primam originem vitiis non caruiſſe, ſi *modum* conſtituendarum Rerumpublicarum intuemur.

In *Capite*

Digitized by Google

In *Capite II libri 1 de nexu imperii civilis* agit, quem in *unione plurium voluntatum ad finem communem* conſtituit, eamq; conſenſu vel *expreſſo* vel *tacito* perfici, & ſocietatem vel *æqualem* vel *inæqualem* producere ſtatuit. Inde infert, in ſocietate civili conſtruenda ſupponendam eſſe conſociationem æqualem, quæ variis occaſionibus iniri poteſt, plerumq; *tacito pacto*; eſſe tamen hanc unionem ſatis fragilem & imbecillem, adeoque vinculum aliud arctius, per quod indomita multitudo contineretur, accedere debere, quod in imperio uni vel pluribus conferendo conſiſtit: & quamvis hoc novum vinculum quoque pactum novum requirat, vix tamen aſſeri poſſe, ab initio *pacto* aliquo *expreſſo & ordinato* imperium uni delatum eſſe, cum pleraque imperia primæva extra ſtatum pacis ſint conſtituta, ſed magis conſenſu *tacito*, & *ipſo facto* declarato, unde ſubjectio populi & imperandi jus in imperante oriatur. Hiſce præmisſis, examinat & rejicit illorum ſententiam, qui nexum hunc inde deducunt, quod majeſtas ſit immediate a Deo.

Capite III pergit ad *varium ſtatum imperii civilis* enucleandum, finemque civitatum in certitudine civili conſtituit, non vero primario ut pietas inde promoveatur, quamvis hæc quoque ad finem primarium obtinendum curæ Principis commendata eſſe debeat. Inde ſi a vero fine deflectunt civitates, ſtatum Reipubl. morbidum oriri, plenius oſtendit. Addit, a forma varium quoq; ſtatum oriri, dum vel uni vel pluribus imperium defertur; mixtam autem ſpeciem inter non entia referri debere, ſed his potius addendum eſſe ſyſtema plurium civitatum. Porro ex ipſis pactis quoque ſtatum Rerumpublicarum variare, indeque oriri Reſpubl. heriles, electitias, ſucceſſivas, patrimoniales, non patrimoniales &c. quas ſpecies ſigillatim illuſtrat.

Capite IV de *ſumma imperantis poteſtate* agit, ubi diſtinguit inter *jura libertatis*, quæ imperans, extra Rempubl. cum aliis gentibus exercet, & inter *jura imperii*, quæ intra Reſpublicas; quæ primario ad hanc diſciplinam ſpectant, ex quo concludit, jura ſummi imperii tantum exerceri intra limites Reipublicæ, imperantem poſſe reſtringere ſubditorum liber-

tatem, ei deberi ſanctitatem & reverentiam, hanc poteſtatem independentem eſſe & unam in Republica, eam dirigi in perſonas & ipſum territorium bonaque ſubditorum, eandemq; nec minui nec augeri ex territorii amplitudine, nec forma Reipublicæ &c.

Denique *Cap. V* de *limitibus ſummæ in Republ. poteſtatis* agit, eosque contra Hobbeſium, Houtuyn aliosque defendit, ubi ſimul *jus regium*, quod Samuel in ſacris tradit, explicat, & limites hos vel jure naturæ vel pactis ſeu capitulationibus imperanti præſcribi contendit. Poſt hæc in *Libro II* jura ſummi imperii ſpecialia tradit, & quidem, cum jura propter ſecuritatem publicam exerceantur, eaque vel *externa* vel *interna* ſit, *Cap. I* jura illa recenſet, quæ *circa publicam ſecuritatem externam* occupantur, quorſum refert (1) *jus belli*, non quatenus conſideratur reſpectu aliarum gentium, ſed *intuitu Reipubl.* quo reſpectu jus belli jura plane diverſa producit, quæ plenius ibidem explicat; (2) *jus pacis condendæ*, intuitu reipubl. exercendum; (3) *jus fœderum* eodem reſpectu conſideratum; (4) *jus repreſſaliorum*. In *Cap. II de juribus tranquillitatem internam Reip. reſpicientibus* generatim agit, oſtenditq;, civitatem inſtar corporis humani, & ſic vel *vi externa* vel *internis malis* obnoxiam eſſe, & quamvis ad hæc avertenda imprimis politica doctrina ſollicita ſit, jura tamen quædam imperanti data eſſe internis malis obviantia, v. c jus *potentiam & libertatem ſubditorum conſtringendi*, & præcavendi ne autoritas nimia cleri Reipublicæ fraudi ſit; *Rempublicam reformandi*, cum magna tamen exercendum prudentia, & ſalva juſtitia naturali, qua occaſione de *oſtraciſmo* Græcorum fuſius agit, cauſasque morborum examinat; porro jus doctrinas ſtatui publico adverſantes, factiones &c. impediendi. Quia vero potiora jura ſummi imperii ad hanc ſecuritatem internam conſervandam tendunt, ad illa Autor hujus Introductionis in ſequentibus progreditur, & *Cap. III* de *legibus* fuſiſſime agit, eorum multitudinem indicium corruptæ Reipubl. eſſe, exemplum autem bonum Principis, ut & ſimpliciores leges, & bonos mores plus proficere oſtendit. Inde de *legiſlatore*, obligatione virtu-

tibus-

tibusque potioribus legum, parte earum tam *diſpoſitiva* quam *vindicativa*, conſuetudinum etiam irrationabilium vigore legum promulgatione, interpretatione, jurisprudentiæ conceptu, actionibus, quæ per leges dirigi debeant, privilegiis, diſpenſatione &c. fuſiſſime agit, quæ ſigillatim hic referri nequeunt. Progreditur *Cap. IV* ad *jura imperantium circa collegia & univerſitates*, & quatenus ex fine Reipublicæ libertas collegia ineundi in ſtatu civili reſtringi debeat, illaque inſpectioni Reipubl. ejusque directioni ſubſint, per varia jura explicat. Et cum huc etiam cœtus ſacrorum cauſa initi referri debeant, *Capite V jura imperantis circa ſacra* exponit, oſtendens, religionem non primario referendam eſſe ad negotia civilia, neque propter illam primario civitates eſſe conditas, interim retinuiſſe ſubditos in ſtatu civili libertatem ſacrorum cauſa coeundi. *Eſt enim*, ait Tertullianus *ad Scopulam c. 2*, *humani juris & naturalis poteſtatis unicuique quod putaverit colere, nec alicubi obeſt aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi, cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur.* Interim tamen Principi jus eſſe docet peregrinis ſacris addictos non recipiendi, & aliquando emigrationem iis injungendi, cultum publicum determinandi, ſalvo cultu privato, & cum homines ſacrorum cauſa cœtus ineant, eos quoque inſpectioni imperantis eſſe ſubjectos, ne quid in iis, quod turbas in Republ. moveat, agatur, eamque inſpectionem eo magis neceſſariam eſſe, quod plebs, ubi religione capta eſt, plus vatibus quam ducibus obedire ſoleat, & ex hujus inſpectionis neglectu Hierarchia Romana orta ſit. Ex hac inſpectione totum jus circa ſacra, & ſpeciatim jus præſcribendi ordinationes eccleſiaſticas, ſacra reformandi, diſponendi circa adiaphora, modum docendi, controverſias certo modo decidendi, convocandi Synodos, cœtus diſtribuendi &c. deducit. Huc quoque pertinet *jus imperantium circa publica officia*, quod *Cap. VI* explicat, & neceſſitatem officiorum publicorum, eorum dependentiam a nutu Principis, autoritatem, conſtitutionem, exſpectativas, aliaque expendit; & cum ad officia publica quoque *judicia* ſpectent, inde

Cap.

Digitized by Google

Cap. VII de jure imperantium circa Judicia ſollicitus eſt, quorum originem ex ratione ſtatus civilis explicat, & his conſtitutis, omnem vim privatam ceſſare debere, excepto caſu *juſtitii*, vel neceſſitatis, oſtendit. Tranſit inde ad judiciorum exercitium, unde *jurisdictio* oritur, cujus naturam, modum, ordinem, præſides, & ita ſimul naturalia proceſſus judicialis expendit, differentiamque oſtendit inter imperantem & judicem inferiorem jus dicentem. Imprimis vero per judicia exercetur jus puniendi, itaq; *Cap. VIII* de *jure imperantium circa pœnas* & principaliter de eorum gemino conceptu & fine ſollicitus eſt, oſtendendo, in ſtatu naturali nullum jus puniendi adeſſe, (quod voluit autor *tr. du gouvernement civil,*) ſed ex ratione ſtatus civilis profluxiſſe, non primario, ut ſit medium emendandi malos, ſed tranquillitatis publicæ conſervandæ gratia; hoc jus puniendi & de eo diſponendi unice imperanti competere, exercendum tamen in utilitatem Reip. inde doctores hoc jus ſibi arrogare non poſſe, delinquentem tantum, & illa delicta puniri debere, per quæ ſalus Reipublicæ turbatur &c. Progreditur *Cap. IX* ad *jura imperantium exigendi a ſubditis ſubſidia*, ad quæ præſtanda ſubditos ex ſocietatis civilis natura obligatos eſſe, Principem tamen non pro ſua avaritia, ſed neceſſitate publica illa exigere debere oſtendit, & denique *Cap. X* varia jura imperantium circa ἀδιάφορα refert. Hiſce abſolutis *Libro III* obligationem & jura ſubditorum expendit, & *Cap. I* præmittit meditationem, *de ſtatu ſubditorum vario*, & inter alia *ſubjectionis* indolem exponit, ex quo diverſitatem ſtatus hominum deducit. Imprimis vero in diverſum ſtatum *imperantis* & *ſubditorum* inquirit, docens, illum ſtatum naturalem retinuiſſe, hos vero eidem renunciaſſe: eſſe tamen ſubditorum non unam rationem, quosdam adſtrictioris, quosdam liberioris conditionis, quorſum ſtatus Reipubl. ita vulgo dictos refert. In ſequentibus oſtendit, quousque ſubditi voluntatem ſuam ſubmiſerint voluntati imperantis, & quod omnes in Republ. degentes, & ſic etiam clerici, imperantis liberi, uxor, cognati in ſubditorum claſſem ſint referendi, quamvis alii *mediate*, alii *immediate* ſubſint, niſi forſan ſubjectionis vinculum vel

vel in totum ſolutum vel ita laxatum ſit, ut vix ullius imperii veſtigium ſuperſit. Pergit *Cap. II* ad *obligationem ſubditorum intuitu imperantis*, quam tum *in renunciatione omnis reſiſtentiæ*, tum in *patiendo* conſtituit. Ex prima ejus parte Monarchomachos, clerumque Pontificium refutat, & ea occaſione *jus publicum* aulæ Romanæ principiis hujus diſciplinæ adverſum eſſe docet. Illuſtrat id ipſum notabili quadam effigie, quæ deſumta eſt ex codice Gratiani ſeculo XIII conſcripto, ubi, pro more illius ſeculi, litera prima Decretorum, H ſcilicet, ſequenti effigie decorata eſt. In parte ſuperiori literæ conſpicitur Pontifex, pallio indutus, altera manu benedicens, altera manu faſciam quandam tangens; in parte vero infima, & ſic ſub Pontifice, Imperator apparet, qui dextra gladium, ſiniſtra eandem faſciam tenet, cui hi notabiles verſiculi inſcripti ſunt, ex ore quaſi Papæ profluentes:

Rex ego ſum Regum, lex eſt mea maxima legum:
Te facio Regem, tu rectam dilige legem.

Porro quatenus imperanti parendum ſit, diſtincte tradit, & ſic ex altera obligationis parte oſtendit, nec quævis mala intentanti reſiſtendum eſſe. In *Cap. III* de *juribus & obligationibus civium qua talium inter ſe* agit, quæ ex ſtatu ſubditorum vario, imo ex ſtatu civili quoque variare docet, ſimulque exemplis nonnullis oſtendit, quod jura etiam ſubditorum privata ex ſtatu civili quodammodo alterentur. Tandem *Capite ultimo jura ſubditorum vacante imperio* ſubnectit, præmittendo modos, quibus imperium vacare poſſit. Hac occaſione agit de totali Reipubl. interitu, de vacante imperio, quo ipſo imperium & libertas ad populum tranſit, non obſtante teſtamento ultimi imperantis, aut alio modo ab eo facta diſpoſitione in contrarium. Porro vacare ait imperium (1) per *mortem*, quo caſu electio populo competit, niſi aliter de ea diſpoſuerit, vel ſucceſſio locum habeat, cujus naturalem ordinem & rationem depingit; (2) per *abdicationem*, quam Principi vindicat; dethroniſationem vero vel depoſitionem omnibus modis impugnat & reprobat.

Digitized by Google

JOHANNIS HIERONYMI SBARALEÆ, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris Bononienſis, Vita, Scripta & Controverſiæ, ex Diarii Eruditorum, quod anno elapſo 1710 Venetiis idiomate Italico publicari cœpit, Tomi IV Articulo XII excerpta.

EXperientiſſ. Jo. Hier. Sbaragli Ph. & Med. D. Bononiæ A. 1641 d. 28 Octobris prodiit in lucem, parentibus honeſtis ac civicis, Hieronymo, Thomæ filio, atque Bartholomæa, quadam Juliana. Infantem hi P. Bartholomæo, ex congregatione Oratorii, tradiderunt informandum, humanioribus autem literis ac Rhetorices præceptis imbutum in Philoſophia Fulvius Magnani, & in Medicina Johannes Auguſtinus Cucchi, uterque Doctor Collegiatus & Profeſſor Publicus, eo erudierunt ſucceſſu, ut in Academia patria A. 1663 d. 27 Februarii lauream Doctoralem adipiſceretur, atque d. 6 Martii ejusdem anni in Collegium Philoſophorum & Medicorum magno ſui honore adſciſceretur. Unde theſibus inſequenti anno publice defenſis promeruit d. 2 Octobr. ad cathedram evehi primum Philoſophiæ, deinde Medicinæ atque Anatomiæ, in qua menſe Januario A. 1673 egregium ingenii ſui ac ſcientiæ documentum perhibetur edidiſſe. Cum vero lectiones ſuas per 40 annorum decurſum multo cum applauſu habuiſſet, omnium votis proclamatus fuit emeritus, quem Doctores, cum domeſtici, tum extranei magni faciebant, cuique Patavium ſpectabilem Profeſſionem A. 1688 offerebat, modo amplecti hanc valetudo ejus ſtudiis aſſiduis debilitata conceſſiſſet. Vertiginem ac tremorem capitis leviorem aliquandiu perpeſſus A. 1710 d. 5 Jun. ipſo Pentecoſtes feſto, dum a meridie templo D. Petronii egrediebatur, improviſo tam forti corripiebatur apoplexia, ut anno ætatis 87 cum 7 menſibus ac 10 diebus ſub noctem ex eadem diſcederet, magnumque peculium & inſignem bibliothecam, quam patriæ legare conſtituerat, relinqueret ſororibus. Diſſertationum epiſtolarium de Medicorum recentiorum ſtudio primam ſicuti primum Gottingæ, vel potius Bononiæ, A. 1687 nomine

nomine Ariſtidis emiſit in lucem, ita eandem Parmæ A. 1690 denuo impenſis Malpighi impreſſam, hujusque itidem Operibus poſthumis Londini A. 1697 inſertam, tertia vice Neapoli, verius Viennæ Auſtriæ, A. 1693, una cum Diſſertatione altera atque interpoſito Excellentiſſ. noſtri Bohnii Programmate, quod Therapeuticis ſuis Lectionibus publicis A. 1691 præmiſerat, ac in quo Anatomiæ ſubtilis in Praxi medica utilitatem contra diſſertationem priorem propugnaverat, proprio pariter nomine omiſſo curavit edi. Aſt nomen Sbaraleæ præfixum gerunt: de vivipara generatione Scepſis prima, ſubſidio Pii Nicolai Garelli Ph. & Med. D. A. 1696 Viennæ Auſtriæ literis Andreæ Heyingeri Univerſ. Typographi exſcripta; Exercitationes Phyſico-Anatomicæ, non ſolummodo utramque diſſertationem epiſtolarem de recentiorum Medicorum ſtudio cum Appendice, ſed & de vivipara generatione Scepſin alteram cum prima continentes; atq; Oculorum & mentis Vigiliæ, utræq; Bononiæ typis Petri Mariæ Montii, illæ A. 1701 in 8, hæ A. 1704 in 4 excuſæ. Præter quæ opuſcula edita Sbaraleæ de glandulis non minus, de nervis, de comparatione Medicorum recentium cum veteribus, an animalia ſint automata? Reſponſionem ad epiſtolam Theophili Aletini, Conſultationes Medicas, Epiſtolarum miſcellanea, & de anima brutorum, ſcripſiſſe celebratur, eorumque nonnulla dicuntur poſthac fortaſſis edenda. Quid tamen de Ophthalmoſcopia futurum ſit, ab Autore ipſo in Vigiliis oculorum & mentis hinc inde promiſſa, cum oculi muſculorum internorum deſcriptione motusque inſtar tubi optici demonſtratione, nec non ſingularibus de diverſa humoris cryſtallini configuratione obſervationibus, altum hic tenetur ſilentium. Expoſito ſiquidem numo, quem Dn. Gregorius Melardi Doctor & P. P. Bononienſis in Sbaraleæ honorem per Ferdinandum Sancturbanum fieri voluit, ad recenſendas tranſitur controverſias, quæ Clariſſ. Sbaraleæ cum immortalis nominis Malpighio aliisque interceſſere. Nempe poſtquam Sbaralea in prima Diſſertatione epiſtolari, paucisſimos ad praxim medicam recte diſponi, exinde conatus fuiſſet oſtendere, quod Anatomia ſubtilior corporis humani, Dendranatome ac anatomia comparata ſive brutorum, parum aut nihil ſolidiori pra-

ſticæ inſervirent Medicinæ, neminem facile latere poterat, Malpighium imprimis, etiamſi nulla ejus nominis mentio injiceretur, tanto tamen gravius rationibus iſtis ſugillari, quanto magis in triplici ejusmodi Anatomia ille tunc temporis excellebat. Nominantur itaque non modo, qui æque adverſus Sbaraleam, ac pro eo, calamum adhuc exercuere, ſed & plerorumque ſcriptorum, tum Sbaraleæ, tum aliorum, capita ſumma, judicio ſubinde addito, innuuntur. Ex omnibus interim nonniſi quatuor Epiſtolæ, in Malpighii gratiam exaratæ, nobis videntur libandæ, quoniam duæ earum anſam primum præbuere Sbaraleæ Amico de moralibus Criticæ regulis compendioſa monita, in hoc Suppl. Tom. IV Sect. 2 p. 80 a nobis excerpta, Coloniæ, verius Bononiæ, A. 1706 divulgandi, duæ autem poſtmodum Malpighii famam ab ejusmodi monitis vindicavere. Duæ Epiſtolæ priores Horatio de Florianis & Lucæ Terranovæ adſignantur, conjunctim Romæ typis Jo. Franciſci Buagni A. 1705 in 4 exſcriptæ, quamvis incertum habeatur, num Autorum talia nomina vera ſint, an ficta, numve ſub duplici nomine unicus tantummodo deliteſcat. In utraque nihilominus Epiſtola oculorum & mentis Vigiliæ, in quibus Sbaralea poſt Malpighii obitum tam Criticum ſcriptorum Malpighii, quam Apologetam propriæ Diſſertationis de recentiorum Medicorum ſtudio adverſus Malpighium, agere quam maxime ſtuduerat, argumentis non minus generalibus impugnantur, quam ſpecialibus. Ab utroque videlicet Autore in genere urgetur, Sbaraleam in memoratis Vigiliis ſæpiſſime Malpighium magno cum ſtrepitu eorum errorum arguere, quorum hic prorſus deprehenderetur inſons, e diverſo Sbaraleam ipſum in eos errores incidere, quorum ſine ratione poſtulaſſet Malpighium. In ſpecie, dum Terranova in Epiſtola ſua, præfationis loco alteri præpoſita, frequentiorem contradictionem, falſitatem, ſuperbiam, contemtum aliorum, obſervationum nullius & multi momenti confuſionem, eruditionis tenuitatem atque defectum eloquentiæ, Sbaraleæ exprobrat, Horatius de Florianis palam facere totus annititur, ab eodem Sbaralea adduci talia, quæ ad rem minime faciant, aliorum inventa & cogitata venditari

pro

pro ſuis, pro veriſſimis temere nonnulla aſſeri, quæ ſolido fundamento deſtituantur, Autores citatos aut impugnatos haud intelligi, nec ſcripta ipſorum fideliter recenſeri, ſibimet ipſi contradici, unumque ex alio perverſe inferri. Verum quia in moralibus Criticæ regulis non tam Sbaralea, quam Malpighius primus cenſetur provocans injurioſus, atque Horatio de Florianis & Terranovæ munus injungitur, vel probandi, primam Sbaraleæ Criticam adverſus recentiorum Medicorum ſtudia calumniis eſſe refertam, vel palinodiam canendi, Anonymus aliquis aliusq; ſub nomine Theophili Aletini A.1707 pro Malpighio ejusque aſſeclis contra morales Criticæ regulas dederunt Epiſtolas. Harum prior manuſcripta, itidem ad R. P. Alamanum Laurenti directa, quemadmodum autumno A. 1707 eruditorum oculis expoſita fuit atque poſterior A. 1709 videri demum cœpit, ita Sbaralea in utraque primus provocans injurioſus præter multa alia ex eo declaratur, quod recentiorum Medicorum ſtudia circa tres inutiles Anatomias unice occupari ſine calumnia illorum neutiquam valuerit aſſeverare. Ceterum quæ dubia Sbaralea adverſus viviparorum generationem ex ovo movit, a Verheyen diſtincte fuiſſe ſoluta, jamjam in hoc Suppl. Tomo IV Sect. 10 p. 447 indigitavimus, cum hujus Anatomiæ librum ſecundum exhiberemus.

M. GODOFREDI LUDOVICI, ILL. GYMNAſii Saxo-Henneberg. Schleuſingæ Rectoris, Hiſtoria Rectorum Gymnaſiorum Scholarumque celebriorum.

Pars I & II.

Lipſiæ, ſumpt. Hæred. Lanckiſi, 1708 & 1709, 8. Alph. 1 pl. 12.

CUm ſcholæ ac gymnaſia ſolidæ eruditionis ſeminaria ſint, vel e ſapientum inſtituto eſſe certe debeant, non immerito in his Eruditorum Actis, quæ Cl. Autor de Scholarum Gymnaſiorumque celebriorum, eorundemque Rectorum, hiſtoria commentatus eſt, pro more noſtro paucis exhibentur. Eo

magis quod, qui in narratione ſcholaſticæ hiſtoriæ elaborare voluerit, vix inveniatur, cum non deſit eorum numerus, qui in Eccleſiaſtarum, Paſtorum, Superintendentium & aliorum doctorum virorum vitis accurate pertexendis cum Frehero, Adamo, Wittenio, Pippingio, Gœzio, Clarmundo, aliisque Biographis operam collocarint. Quæ igitur per quatuordecim annos, quibus in Scholis juvandis laboravit Autor Cl. in ſchedas ſuas congeſſerat, eo nunc ordine vulgare aggreſſus eſt, ut primo Rectoris cujusdam celebre præ aliis nomen conſecuti vitam brevibus exhibeat, eaque quæ de patria, parentibus, inſtituto aliisque memoratione digna occurrunt, referat: fata deinceps & memorabilia e Rectoris illius vita peculiari articulo excerpta ſiſtat; ſcripta porro, ratione habita annorum, quibus edita ſunt a Rectoribus, recenſeat, annotatiunculisque, ubi res poſtulabat, additis declaret, denique Gymnaſii, cui Rector recenſitus præfuerat, hiſtoriam quandam initia, præcipua fata & Rectores iſtius ab ortu ad præſens usque tempus tradentem adjungat, & fontes tandem atque Autores, unde hauſta narratio omnis fuerit, ſubnectat. Quod ſi unius Gymnaſii duobus locis recurrat mentio, alia quædam ſingularia ad laudem & hiſtoriam ejus pertinentia poſteriori loco traduntur. In prima igitur parte vitæ & ſcripta leguntur 1 Andreæ Reyheri, 2 Baſilii Fabri, 3 Caſparis Sagittarii, 4 Chriſtiani Gryphii, 5 Hiobi Magdeburgi, 6 Jo. Henrici Crameri, 7 Laurentii Ludovici, 8 Ottonis Gvaltperii, 9 Valentini Trocedorffii, 10 Wolffgangi Seberi. Horum occaſione Hiſtoria & Rectores Athenæi 1 Gothani, 2 Erfurtenſis Senatorii, 3 Luneburgenſis Johannæi, 4 Uratislavienſis Magdalenæi, 5 Svinfurtenſis, 6 Gorlicenſis, 7 Lubenſis, 8 Goldbergenſis, 9 Shleuſingenſis recenſentur, iſtaque variis elegantibus digreſſionibus exornantur, nec injucundis obſervationibus commmendantur. *Reyheri* certe meritisſimi de re Scholaſtica viri (quem quidem Parens eſſedarium Heinricianum negotiationi vinariæ deſtinaverat) juſtisſimæ laudes illis Dn. Paullini verbis p. 4 deſignantur, quod fuerit linguarum, artium & ſapientiæ quaſi promus condus, abſolutisſimi Doctoris idea venuſtisſima, ſalu-

tare

„ tare Germaniæ ſidus, pubis ſtudioſæ aſylum ac Numen quod„ dam tutelare, pii Erneſti omniumque bonorum amor ac de„ liciæ, & Senex plane divinus. Scripta ejus numero L inde a p. 7 ad 17 multis recenſentur, Compendium autem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothanum, ſtudio potius Seckendorffii, Bœcleri & Artopœi concinnatum, Scholamque Latinitatis Gothanam Richtero præfecturæ tunc Gothanæ adjuncto celeberrimo, Ludolpho, qui cum eo partem œconomicam, ut Roſenbergius caput de virtutibus ac vitiis elaboravit, potiſſimum autem eidem illuſtriſſimo Seckendorfio, qui ultimam operi manum impoſuerit, omniaque ſecundum ſtylum ſuum reformarit, tribuendum p. 17, 16 perhibetur. Gymnaſii deinceps Gothani, cujus Rector ultimo Reyherus fuerat, hiſtoria a primordiis ad noſtram ætatem ſtrictim refertur, Rectores ejus ad Cl. Vockerodtium usque enumerantur, deque jubilæo Gymnaſii A. 1624 d. 21 Dec. Wilkii potiſſimum orationibus celebrato ſingularia quædam ex aliis autoribus adduntur. Occaſione *Baſilii Fabri* e Luſatia inferiori prognati hanc regionem in procreandis Viris multorum ſcriptorum prole clariſſimis longe fœcundiſſimam ſemper fuiſſe, tum e conſpectu Luſatiæ literatæ Jænichii Rect. Thorun. tum e recenſione virorum celeberrimorum ipſi non commemoratorum, p. 26 docetur. Genealogia *Sagittariorum* accurata exhibetur p. 38. *Jo. Henricum Cramerum*, virum omni liberali doctrina politiſſimum, Gymnaſii quod, A. 1632 regia Guſtavi Adolphi munificentia fundatum multisque privilegiis ornatum Svinfurti eſt, Rectorem, Joh. Gebhardo Eccleſ. Rotheleſis Antiſtiti, Carolo Perotto, Theologo Genevenſi, Chriſtophoro Wegleitero Theol. Altorffino in illorum claſſe jungit, qui nulla a ſe ratione paſſi ſunt impetrari, ut ullum luci publicæ ſcriptum ederent, de quibus prolixius agit Cl. Thomas Crenius. De *Valentino Fridlando Trocedorffio* cum ſuperiore Sect. X p. 448 ſq. uberius dictum ſit, iſtud tantum hoc loco addimus, quod eum Philippus Melanchthon non minus ad ſcholam natum, quam ad caſtra regenda Scipionem Africanum fuiſſe dixerit: qui quidem de Schola ſua ſæpius id affirmavit: tantum in ea ſe habuiſſe diſcipulorum numerum, ut ſi in unum illi cogendi eſſent, juſtum ex iis exercitum contra Turcam producere poſſet: nullum-

que

que fuiſſe vitæ genus, in quo nonnulli ſuorum diſcipulorum cum dignitate non vixiſſent, aliqui etiam degeneres malis artibus non periiſſent: unde quoties ſcholam ingrediebatur, ſalvere jubebat nobiles, conſules, ſenatores, Cæſarum, Regum, Principum conſiliarios, opifices item & artifices atque mercatores, tandemque etiam carnifices, lictores atque nebulones. *M. Wolffgangum Seberum*, Theologum & Philoſophum celeberrimum & in tantum laudandum in quantum erudita pietas intelligi poteſt, in pulvere depreſſum a Deo erectum & de ſtercore pauperem ſublatum fuiſſe. Cum enim puer oſtiatim victum ſibi quærere haberet neceſſe, & libros aliorum liberalitate accipere, ad ſummos tandem honores evectus inſtructiſſimam Bibliothecam ſibi comparatam Schleuſingenſi Gymnaſio, & alia beneficia, imprimis ſtipendium Theologicum ſexaginta quotannis florenorum, pauperioribus legavit: illis merito Germanis quorum illuſtriſſima in Græcas literas merita fuerunt, accenſendus, literarum commercio cum Viris maximi nominis, Jacobo Bongarſio, Iſaaco Caſaubono, Matthæo Dreſſero, Johanne Gerhardo, Jano Grutero, Wolffgango Heidero, Davide Höſchelio, Godofredo Jungermanno, Johanne Rudolpho Lavatero, Chriſtophoro Lehmanno, Æmilio Porto, Conrado Rittershuſio, Taubmanno, Andrea Wilkio, Johanne Weizio aliisque clariſſimus: quarum epiſtolarum in rem literariam utiliſſimarum fructum ut orbi erudito communicet, easque in publicam lucem edat, qui αὐτόγραφα ab hæredibus nactus eſt clariſſimus Junckerus, optandum. Ad ſingularia Scholarum a Cl. Autore relata hæc quoque pertinent: quod a *Laurentio Ludovico* forum Scholaſticum, e prætore uno, Cenoribus binis, & novem Senatoribus conſtans, ordinatum & a *Georgio Richtero* egregio carmine Hexametro delineatum: quod ſchola *Trocedorffii* optime conſtitutæ Reipublicæ prorſus ſimilis, & univerſus numeroſus cœtus ab ipſo veteri Attico & Romano more in claſſes ſex, claſſes in tribus certas diſtinctæ ſint, quibus ipſe tanquam Ἀυτοκράτωρ præfuerit; ſed tot Ephoris ſtipatus, ut in tanto agmine nulli manendi in ſtatione ſua deeſſent cuſtodes, cum alii domeſticæ diſciplinæ ἐπιμεληταὶ

oeco-

œconomi, morum cenſores & quaſi ἀρμοσταὶ Ephori, quæſtores alii & diſcophori menſæque miniſtrantes eſſent, ſingulis menſibus e cœtu conſul crearetur, ſenatores XII, cenſores bini, & judicium publicum ſi cui ſubeundum, dies diceretur octiduo ante. De Rectoribus quibusdam iſta imprimis notanda commemorantur, quod ſicut *M. Schofferus*, Poeta celeberrimus, primum Rectorem Smalcaldiæ egerit, poſt in Wittebergenſem Academiam ſe contulerit, indeque Schleuſingam ad Rectoris munus A. 1555, & hinc Francofurtum ad obeundam in Oderana Academia Eloquentiæ & Poeſeos profeſſionem digreſſus, ibique juris Doctor renunciatus fuerit; ita *Petrus Vincentius* e Profeſſore Gryphiswaldenſi Rector Lubecæ factus ſit, & cum poſtea per novem annos in Academia Wittebergenſi Profeſſoris munere functus eſſet, Rectoris provinciam in Gymnaſio Gorlicenſi A. 1565 d. 22 Jun. ſolenniter inſtituto ſubierit: *Thomas Sagittarius*, P. P. in Academia Jenenſi, Gymnaſii Eliſabethani Wratislavienſis, *Hermannus Tulichius*, Profeſſor Dialectices & Rector Academiæ Wittebergenſis A. 1525, poſt Lipſiæ Oratoriæ Profeſſor, Gymnaſii Luneburgenſis A. 1532, *Jo. Bachmannus*, Poeſeos Profeſſor Lipſiæ, ejusdem Luneburgenſis Gymnaſii A. 1589, & *Doct. Philippus Marbach*, primum Profeſſor Baſil. deinde Tubingenſis ac porro Roſtochienſis, Grætii in Stiria, atque demum *Otto Gualtperius* S. Theol. Doctor, Ebraicæ & Græcæ linguæ in Academia Marburgenſi Profeſſor, cum bis in Facultate Philoſophica Decani munere functus eſſet A. 1573, Lubecenſis Scholæ Rectoratum ſuſceperit, ubi etiam ob ingraveſcentis ætatis & valetudinis rationem ſolemni more rude donatus & ab inclyto Senatu liberaliſſime ſuſtentatus fuerit; quod ætatis beneficium & meritorum præmium etiam *Valentino Lolejo* Stetini, M. *Jo. Taurino* Oeringæ, M. *Samueli Schmidio* Quedlinburgi, pluribusque aliis poſt toleratos ad quinquaginta annos Scholæ labores tributum fuiſſe additur.

Pars altera hiſtoriæ ſcholaſticæ poſt vitas & ſcripta decem Rectorum hiſtoriam & Rectores Athenæi Studgartenſis, Halenſis Senatorii, Zittavienſis, Dresdenſis Cruciani, Goslarienſis, Noribergenſis Ægidiani, Heilsbrunnenſis, Budiſſini, Quedlin-

burgenſis, Curienſis, complectitur. Nec ſine voluptate hic etiam *B. Cellarii,* Collegæ noſtri, dum viveret, conjunctisſimi, memoriam primo loco extare vidimus, quæ, quacunque bonæ literæ patent valentque, merito illarum monumentis conſervatur. Hic enim fugientium literarum, dum in hac vita fuit, ſtator, diligentiſſimus purioris latinitatis vindex, & in Academia Regia Fridericiana Antiquitatum & Eloquentiæ Profeſſor longe celeberrimus, in tribus ante Gymnaſiis, *Vinarienſi, Cizenſi* & *Merſeburgenſi,* munus Rectoris, atque adeo inter omnes eruditos accurati Critici titulum ſumma laude ſuſtinuit. Certe quæ Gallia olim in Scaligeris, Caſaubono atque Salmaſio, Belgium in Lipſio, Heinſiis, & quos Germania ei dederat, Voſſio, Gronovio, atque Grævio, & ipſa denique Germania in Camerario, Berneggero, Freinshemio, Bœclero, in arte Critica admirata eſt, ea omnia fere in Cellario noſtro erant ſumma. Carus propterea is erat non Germanis modo ſuis, ſed Batavis etiam, Britannis, Danis & aliis bonarum literarum luce clareſcentibus populis. Exhibetur a Cl. Autore vita ejus & genealogia, librorum etiam, quorum plurimos hæc Acta habent, diſſertationum atque orationum Cellarii numeroſus attexitur Catalogus. Cellarium excipit *Greinzii* celebratiſſimum inter Gymnaſiorum Rectores nomen, quippe qui non minus inſigni eruditionis laude, quam docendi felicitate numeroque & applauſu diſcipulorum undiquaque manipulatim ad ſcholam ejus Halam concurrentium ſua ætate nobilitatus fuit, cum antea repudiatis pluribus ad Rectoris munus vocationibus in Acad. Witteberg. Philoſophiæ ac Juris ſtudio ſe totum dediſſet, facultatemque collegiorum Juris habendorum atque munus Advocati ordinarii in Conſiſtorio Electorali Wittebergæ obtinuiſſet. *M. Criſtianus Keimannus*, Zittavienſis Rector celeberrimus & meritorum claritate quotannis in eodem Gymnaſio ſolenni oratione commemorandus, tum aliis ſcriptis in Scholarum uſus libris, tum vero inprimis ſacrarum odarum ac hymnorum Germanicorum in Eccleſia pariter ac republica literaria nomen ſibi comparavit. *M. Johannes Bohemus,* Cruciani

ni Dreſdenſis per 27 annos Rector meritiſſimus, Sereniſſimi potiſſimum Electoris Johannis Georgii II, quem integro triennio in Ebraica literatura inſtituit, conſtanti gratia, omniumque aulæ Electoralis Heroum favore feliciſſimus, informandi autem methodo ac dexteritate, ſi quis alius, longe fuit celeberrimus. *Johannes Glandorpius* primo in Gymnaſio Brunſvicenſi Rector cum fructu juventuti præfuit, indeque quorundam injuriis extruſus cum ſchola fere univerſa Goslariam commigravit, iſtique Gymnaſio lucem ac celebritatem dedit, poſt importuni Cenſoris potentiæ cedens magno cum rei ſcholaſticæ detrimento Marburgum abiit, ibique Hiſtoriarum Profesſoris munere fungens, Hermanni Buſchii veſtigia tanta ſolertia preſſit, ut Marburgenſis Academia nullos eloquentiores viros duobus Weſtphalis Buſchio & Glandorpio audiviſſe dicatur. *Joannes Gravius* de Noricorum Ægidiano Gymnaſio præclariſſime meruit, carmineque ac oratione panegyrica a magno Theologo ac Philologo Dillherro ornatus eſt, ut pubis Noricæ Formator, in urbem cœlitus hanc miſſus, divinis dotibus auctus, exemplum fidei veteris, ſpectamen honeſti, cognitor ingenii juvenilis, & arbiter æquus, virtutis ſolidæ cuſtos rigidusque ſatelles. Nec minus *M. Johannes Stubnerus*, illuſtris Gymnaſii ad Salutis fontem Rector, *M. Johannes Theillius*, Gymnaſii Evangel. Budiſſæ Rector, *M. Samuel Schmidius*, illuſtris Quedlei Rector, & *M. Thomas Blebelius* ſcholæ Curienſis in Variſcia Rector, ſuis quisque meritis virorum celeberrimorum & publico utiliſſimorum educatione librisque in rei ſcholaſticæ ac literariæ uſum editis optimis clarisſimi ſeræque poſteritati commemorabiles perhibentur. In quorum ſcriptis ac ſingularibus percenſendis cum ſollicitam Cl. Autor curam adhibuerit, multa omnino ſcholarum hiſtoriæ apprime profutura cumulantur, quæ varietate ſua lectores delectare queant. Exhibentur hic Profeſſores e Rectoribus facti, e quibus *Cellarium*, *Franckenſteinium* & *Glandorpium* ob eruditionis famæque celebritatem nominaſſe ſufficiat. Quin & Conſul urbis Goslariæ *M. Johannes Reccius* Gymnaſii iſtius antea Rector conſtitutus eque umbra ſcholæ in Reipublicæ

Digitized by Google

lucem protractus p. 143 perhibetur. Clarorum Virorum patriæ, illuſtrantiaque has nomina p. 195, 230, 286 & alibi commemorantur. Illuſtrium ſcholarum & gymnaſiorum origines ac fatales periodi, e quibus & potiſſimum *Ægidiani* Noricorum p. 161 ſqq. *Heilsbrunnenſis*, quod pretioſiſſimum ſuum theſaurum nominare ſolebat Marchio Brandeburgicus Georgius Fridericus, p. 198 ſqq. *Budiſſini*, incendiis variis, a Biecio & Roſenbergio carminibus graphice deſcriptis, afflicti, p. 253 ſqq. & *Curienſis* p. 293 ſqq. notabiles, percenſentur.

Jubilæa Gymnaſii *Hallenſis* p. 51, *Zittavienſis* p. 83, *Heilsbrunnenſis* p. 202 deſcribuntur: doctoresque Scholarum rude donati & honeſtiſſima vacatione beati paſſim adduntur. Conrectores etiam atque aliorum ordinum Collegæ quorundam Gymnaſiorum enumerantur: in quibus ut multa clariſſima nomina occurrunt, ita commemorabile potiſſimum, quod de *M. Johannis Valentini Merbizii* Conrectoris Dresdenſis ſtupendi artificii ſtatua, Latina, Gallica, Hebræa, Græca, linguis ad interrogata prompte reſpondente, quin & ſecreta revelante futuraq; prædicente refertur, videri poſſit. Lectionum etiam publicarum Catalogi nonnunquam attexuntur. Quod cum utilitate ſua non careat, majorem inde ſperaremus, ſi docendi etiam ratio, illuſtrium ſcholarum doctoribus uſurpata, quale quid M. Godofredus Hofmannus im Ausführlichen Bericht von der Methode bey denen Lectionibus im Laubaniſchen Lyceo præſtitit, deſcribi luculentius potuiſſet. Sed ad iſtud amica aliorum Eruditorum opera opus eſſe agnoſcimus, qui ut ad hanc Scholarum & Gymnaſiorum Hiſtoriam continuandam pertexendamque ſtrenue ſuas ſymbolas conferant, Clariſſimumque Editorem ita juvent atque excitent, optamus, & ſi quid preces noſtræ valent publico nomine precamur. Ceterum nunc nuntiamus, nuperrime & Partem III hujus operis A. 1711 prodiiſſe, de qua in Actis ipſis mox dicemus.

Anna Perenna/ oder Denckwürdige Helden-Thaten der Großmächtigſten Britanniſchen Königin Anna ꝛc.

Digitized by Google

h. e.

ANNA PERENNA, SIVE RES GESTÆ MAgnæ Britanniæ Reginæ & Sociorum ejus, carmine deſcripta a C. W. S. Pars Prima res A. 1702, 1703 & 1704 geſtas complexa.

Salfeldæ, apud Jo. Ritterum, 4.

Plag. 11.

RES præſenti bello geſtæ tam ſunt illuſtres, ut non Hiſtorici ſolum, verum etiam Poetæ materiam facultate & copia ſua dignam ſuſcipere videantur, qui litteris eas memoriæ prodere aggrediuntur. In hoc numero ponendus nobis eſt Poematis hujus Autor, Chriſtophorus Wilhelmus Schneierus, Rector Scholæ Salfeldenſis in Thuringia doctiſſimus, & jamdudum domi nobilis ob elegantiam Latinorum pariter & Germanicorum carminum. Hic enim Hiſtoriam rerum anno 1702 & duobus ſequentibus in bello Hiſpanico geſtarum totidem libris complexus, omnia curate deſcribit, Poetarumque ritu orationibus aliisque ornamentis paſſim diſtinguit. Annus quidem editionis in titulo libri non comparet, ſed certo ſcimus, carmen hoc A. 1709 in lucem eſſe emiſſum. Cum vero Lectori gratum non ſimus facturi, ſi res ipſas omnibus notas inde exponamus, illud tantum dicendum habemus, Autorem eſſe Lohenſteinii non infelicem æmulum, optandumque eſſe, ut ejus ipſe exemplo loca carminis ſui paulo obſcuriora ſubjectis illuſtraſſet notulis. Multi quippe, antiquitatum atq; hiſtoriarum, ad quas paſſim alluditur, non ſatis gnari, ſubinde offendent, nec eundem voluptatis fructum ex lectione capient, quem ii, qui varia ſunt eruditione imbuti. Enimvero ſunt, qui Germanica carmina adeo volunt eſſe perſpicua, ut a quovis, etiam plebeio, ubique locorum posſint intelligi. Sed hi quidem non recte diſtinguunt inter carmina in vulgi gratiam ſcripta, qualia ſunt hymni ſacri, hymenæi, & hujus generis alia, & inter heroica. Ecquis enim credat, lippis tonſoribusque Romanis obvium ubique fuiſſe ſenſum carminum Virgilii, immo & Ovidii Horatiique? Ceterum nec illud prætermittendum eſt, Poetam noſtrum inſcriptione ſua Magnæ Britanniæ Reginæ ſacrata reſpicere ad veterum Romanorum Deam, Annam Perennam, de qua Ovidi-

us Faſtorum lib. III v. 146, 523ſqq. & 553 legendus eſt. Specimінis loco quosdam verſus ex Hochſtadienſis prœlii deſcriptione depromemus, unde, quid de ceteris exiſtimandum ſit, facile apparebit.

* *

Die Kugeln reiſſen zwar entſetzlich in die Glieder/
Sie werffen öffters ſie als Mauerbrecher nieder:
Es fällt von Bley und Stahl ſo mancher friſcher Mann/
Der auf der Wahlſtatt vor den Frantzen abgewann.
Doch muß der tollen Brut das Wüten bald vergehen/
Die Reuterey gewinnt die ſtarck beſetzten Höhen/
Woher der Hagel ſchlägt mit ſolchem Ungeſtimm/
Nach dem der Teutſche Mars ſetzt an in gleichem Grimm.
Da jetzt Tiſiphone läßt alle Schlangen fahren/
Bricht Bülau plötzlich ein mit der Cherusken Schaaren/
Nicht anders als ein Gott/ der aus der Rüſtung fährt/
Wenn ſich das Schauſpiel hat in ſchweren Stand verkehrt.

* *

p. 74. Doch deßen ungeacht/ beut Tallards Frevel weiter
Der Sieger Heere Trutz durch die erfriſchten Reuter.
Wiewohl nur dieſer Schwall wie Ungeziefer ficht/
So mit den Stachel ſich die letzte Krafft zerbricht.

Totum denique carmen hiſce concluditur verſibus:

Sieht Mauritanien den großen Atlas prangen/
84. Theſſalien den Olymp die Wolcken überlangen/
Den Pico Teneriff/ wie er ſich hoch geſtellt/
So ſieht dem Schellenberg und Hochſtädt alle Welt.

* * *

ERRATA.

Pag. 216 *lin.* 6 *lege* cupiens; *p.* 414 *lin.* 17 *lege* ſimpliciter; *p.* 416 *lin.* 2 *lege* ac; *p.* 418 *lin.* 5 *lege* voluerunt; *p.* 311 *lin.* 27 *lege* mutuatur; *p.* 322 *lin.* 12 *pro* quem *lege* quod.

IN-

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

ABu Iſmael *Poema Tograi* 156

Van Alphen (*Hier. Sim.*) *Explicatio Analytica Epiſt.* 2 *ad Corinthios.* 440

Anonymi Dialogus Sejani & Ruffini de Laderchiana Hiſtoria S. Petri Damiani. 8

Hiſtoria Caſus conſcientiæ. Tomi II. 213

Tractatus de Arcano Confeſſionis. 220

(J. A.) Conſpectus Aulæ Romanæ. 222

Rationes Scripturariorum, quibus demonſtrant terminos Scripturæ ad explicandum dogma de Trinitate ſufficere. 336

Commentationes Theologico-Politicæ ad vindicanda Edicta Regis Hiſpaniæ de reditibus Eccl. Regni Neapolitani. 369

Apologeticus Chriſtianus. 495

Baillet (*Adriani*) *Vitæ Sanctorum. Volumina XII.* 1

Vitæ Sanctorum veteris Teſt. 1

Topographia Sanctorum. 1

Chronologia Sanctorum. 1

De Feſtis Mobilibus. Voll. II. 1

Clavering (*Roberti*) *Notæ in Maimonidis Tractatus duos.* 234

La Croze *Colloquia de diverſis argumentis ad religionem &c. pertinentibus.* 399

Daubuz (*Caroli*) *pro teſtimonio Fl. Joſephi de Jeſu Chriſto Libri duo.* 245

Du Pin (*Eliæ*) *Tractatus de Poteſtate Eccleſiaſtica & Temporali.* 145

Nova Bibliotheca Scriptorum Eccl. Tomus XVI. 452

Fiſchli-

us Faſtorum lib. III v. 146, 523 ſqq. & 553 legendus eſt. Speciminis loco quosdam verſus ex Hochſtadienſis prœlii deſcriptione depromemus, unde, quid de ceteris exiſtimandum ſit, facile apparebit.

* *

Die Kugeln reiſſen zwar entſetzlich in die Glieder/
Sie werffen öffters ſie als Mauerbrecher nieder:
Es fällt von Bley und Stahl ſo mancher friſcher Mann/
Der auf der Wahlſtatt vor den Frantzen abgewann.
Doch muß der tollen Brut das Wüten bald vergehen/
Die Reuterey gewinnt die ſtarck beſetzten Höhen/
Woher der Hagel ſchlägt mit ſolchem Ungeſtimm/
Nach dem der Teutſche Mars ſetzt an in gleichem Grimm.
Da jetzt Tiſiphone läßt alle Schlangen fahren/
Bricht Bülau plötzlich ein mit der Cherusken Schaaren/
Nicht anders als ein Gott/ der aus der Rüſtung fährt/
Wenn ſich das Schauſpiel hat in ſchweren Stand verkehrt.

* *

p. 74. Doch deßen ungeacht/ beut Tallards Frevel weiter
Der Sieger Heere Trutz durch die erfriſchten Reuter.
Wiewohl nur dieſer Schwall wie Ungeziefer ficht/
So mit den Stachel ſich die letzte Krafft zerbricht.

Totum denique carmen hiſce concluditur verſibus:

Sieht Mauritanien den großen Atlas prangen/
84. Theſſaljen den Olymp die Wolcken überlangen/
Den Pico Teneriff/ wie er ſich hoch geſtellt/
So ſieht dem Schellenberg und Hochſtädt alle Welt.

* * *

ERRATA.

Pag. 216 *lin.* 6 *lege* cupiens; *p.* 414 *lin.* 17 *lege* ſimpliciter; *p.* 416 *lin.* 2 *lege* ac; *p.* 418 *lin.* 5 *lege* voluerunt; *p.* 311 *lin.* 27 *lege* mutuatur; *p.* 322 *lin.* 12 *pro* quem *lege* quod.

IN-

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

ABu Iſmael *Poema Tograi* 156
Van Alphen (*Hier. Sim.*) *Explicatio Analytica Epiſt.* 2 *ad Corinthios.* 440
Anonymi Dialogus Sejani & Ruffini de Laderchiana Hiſtoria S. Petri Damiani. 8
Hiſtoria Caſus conſcientiæ. Tomi II. 213
Tractatus de Arcano Confeſſionis. 220
(J. A.) Conſpectus Aulæ Romanæ. 222
Rationes Scripturariorum, quibus demonſtrant terminos Scripturæ ad explicandum dogma de Trinitate ſufficere. 336
Commentationes Theologico-Politicæ ad vindicanda Edicta Regis Hiſpaniæ de reditibus Eccl. Regni Neapolitani. 369
Apologeticus Chriſtianus. 495
Baillet (*Adriani*) *Vitæ Sanctorum. Volumina XII.* 1
Vitæ Sanctorum veteris Teſt. 1
Topographia Sanctorum. 1
Chronologia Sanctorum. 1
De Feſtis Mobilibus. Voll. II. 1
Clavering (*Roberti*) *Notæ in Maimonidis Tractatus duos.* 234
La Croze *Colloquia de diverſis argumentis ad religionem &c. pertinentibus.* 399
Daubuz (*Caroli*) *pro teſtimonio Fl. Joſephi de Jeſu Chriſto Libri duo.* 245
Du Pin (*Eliæ*) *Tractatus de Poteſtate Eccleſiaſtica & Temporali.* 145
Nova Bibliotheca Scriptorum Eccl. Tomus XVI. 452

Fiſchlini (*Lud. Melch.*) *Memoria Theologorum Wirtenbergenſium reſuſcitata. Partes II.* 358
Flemingii (*Roberti*) *Chriſtologia ſive commentatio de Chriſto. Tomi duo.* 347
Fowler (*Eduardi*) *Diſſertatio de deſcenſu hominis Jeſu Chriſti ex cœlis ſuper Jo. XVI, 28.* 17
Geddes (*Michaelis*) *Tractatus Miſcellanei. Volumen I.* 474
Volumen III. 100
Gerbaden (*Hermanni*) *Sacra Gentilibus patefacta in Epiſtola Pauli ad Epheſios.* 346
Gorczynskii (*Aquilini Michaelis*) *Vita B. Stanislai Caſimiritani.* 260
Gryphii (*Chriſtiani*) *Ordinum equeſtrium tam ſacrorum quam ſecularium deſcriptio.* 217
Hill (*Samuelis*) *Examen libri peſtilentisſimi*: Jura Chriſtianæ Eccleſiæ vindicata. 369
Van Hocke (*Petri*) *Explicatio analytica Prophetarum Nahumi, Habacuci & Zephaniæ.* 402
Hombergii de Vach (*Jo. Friderici*) *Parerga ſacra.* 306
Hunnii (*Balduini*) *Currus Cherubinorum, ſeu viſio Ezechielis ad fluvium Chebar.* 442
Joſephus Gorjonides *ex edit. Jo. Frid. Breithauptii.* 111
Joſippon *ſive* Joſephi Ben Gorionis *Hiſtoria Judaica Libri ſex ex edit. Joannis Gagnier.* 12
Maimonidis (*R. Moſis*) *Tractatus duo, cum notis Roberti Clavering.* 234
Maſſoulié (*Fr. Antonini*) *Divus Thomas ſui interpres. Tomi II.* 267
A S. Michaele (*Iſidori*) *de temporali humana & myſtica Jeſu Chriſti generatione Obſervatio Genealogica &c.* 342
Milles (*Thomæ*) *naturalis animæ immortalitas aſſerta.* 115
Mocket (*Richardus*) *de Politia Eccleſiæ Anglicanæ.* 118
Monti (*Renati*) *Compendium Vitæ S. Romualdi.* 258
Nitſchii (*Georgi*) *Myſta fervidus.* 54
Pinius *vide* Du Pin.

Reht.

Digitized by Google

Rehtmeyeri (*Phil. Julii*) *Antiquitates Eccleſiaſticæ urbis Brunſuigæ. Pars I & II.* 69
Rondinini (*Philippi*) *de S. Clemente Papa & martyre, ejusque Baſilica in urbe Roma Libri duo.* 140
Monaſterii S. Mariæ & SS. Johannis & Pauli de Caſamario brevis Hiſtoria. 210
Saxii (*Jo. Ant.*) *Diſſertatio apologetica ad vindicandam Mediolano SS. corporum Protaſii & Gervaſii poſſeſſionem.* 286
Schomeri (*Juſti Chriſtophori*) *Theologia Moralis ſibi conſtans.* 157
Sherlockii (*Wilhelmi*) *Scriptura S. de Deitate noſtri Salvatoris teſtimonia vindicata.* 49
Diſſertatio de deſcenſu hominis Jeſu Chriſti ex cœlo &c. 49
Soſtmanni (*Alexandri*) *Commentarius oraculi Dan. XI, 24-27 de LXX Hebdomadibus.* 391
Storrii (*Jo. Phil.*) *Commentatio Theologica de vocum carnis & Spiritus, cum de Chriſto dicuntur, genuino ſenſu & uſu.* 112
Strimeſii (*Samuelis*) *ingenua in controverſias Evangelicorum inter ſe inquiſitio.* 170
brevis delineatio Chriſtianæ unionis inter Lutheranos & Reformatos. 255
Thuillier (*Renati*) *Theatrum ordinis Minimorum.* 428
Toinard (*Nicolai*) *Evangeliorum Harmonia Græco-Latina.* 502
Van Toll (*Theodori*) *Explicatio Michæ.* 497
Whiſton (*Wilhelmi*) *Conciones & conatus varii argumenti.* 396

II. Libri Juridici.

ANonymi Lehmannus *ſuppletus & continuatus, h. e. Acta publica Imperii Romano-Germanici de Pace religionis &c.* 366

Commentationes Theologico-Politicæ ad vindicanda Edicta Regis Hiſpaniæ de reditibus Eccleſiaſticis Regni Neapolitani. 369

Volumen Juris Gentium, complectens hiſtoriam Comitum a Wartenberg &c. 432

Apologeticus Chriſtianus. 495

Bernoulli (*Nicolai*) *ſpecimina Artis conjectandi ad quæſtiones Juris applicata.* 159

Böhmeri (*Juſti Henningi*) *Introductio in Jus Publicum univerſale.* 508

Du Pin (*Eliæ*) *Tractatus de poteſtate eccleſiaſtica & temporali.* 145

Galli (*Franciſci*) *Tractatus de Fructibus.* 56

Heumann (*Chriſtoph. Aug.*) *Obſervatio de diſtinctione Juris Nat. in abſolutum & hypotheticum, & de diſcrimine juſti, honeſti, æqui ac decori.* 410

Mocket (*Richardus*) *de Politia Eccleſiæ Anglicanæ.* 118

Pinius *vide* Du Pin.

Sidney (*Algernon*) *Tractatus de Regimine.* 235

De Vera *&* *de* Cunniga (*Antonii*) *Legatus omnibus numeris abſolutus.* 436

Zouch (*Richardi*) *deſcriptio juris & judicii eccleſiaſtici, ſecundum canones & conſtitutiones Anglicanas.* 118

temporalis, ſecundum conſuetudines feudales & Normannicas. 118

III. Libri Medici & Phyſici.

A*Nonymi de moralibus Criticæ regulis compendioſa monita, ad quæ exigitur controverſia inter Marc. Malpighium & Jo. Hier. Sbaraleam agitata.* 80

Diſſertatio de animi affectionum cauſa & loco, ac de Tabaci uſu. 314

Api-

Apicii Cœlii *de Opſoniis & Condimentis, ſive Arte Coquinaria Libri X, cum notis Martini Liſteri.* 225

Behrens (*Conr. Bertholdi*) *Selecta Medica.* 404

Burggrafii (*Jo. Phil.*) *Libitina ovans ſatis Hygiea, ſeu de Medica artis ac Medicorum ſatis Diſſertatio.* 228

Dionis *Anatomia corporis humani nova.* 20

Fawleri (*Joannis*) *Relatio de duobus ulceribus ſinuoſis.* 123

Gruhlmanni (*Jo. Godofredi*) *Specimen Medicum de novo contra caliginem oculorum remedio, Herniaria ſcilicet ocularia.* 221

Keill (*Johannis*) *Leges attractionis, aliaque Phyſices principia.* 272

Lowthorp (*Johannis*) *Tranſactiones Philoſophicæ usque ad A. 1700 in compendium redacta.* *Tomus I.* 290
Tomus II. 362
Tomus III. 494

Mead (*Richardi*) *de Imperio Solis ac Lunæ in corpora humana & morbis inde oriundis.* 230

Parent *diſquiſitiones Mathematicæ & Phyſicæ. Tomus I.* 22

Sbaraleæ (*Jo. Hieronymi*) *Vita, Scripta & Controverſiæ, ex Diario Veneto excerpta.* 519

Thebeſii (*Adami Chriſtiani*) *Obſervatio Anatomica de exitu ſanguinis venoſi in Auriculis & Corde.* 124

De Tſchirnhauſen (*Ehrenfried Waltheri*) *Medicina curioſa Pars altera.* 316

Verhayen (*Philippi*) *Corporis humani Anatomiæ Liber I & II.* 443

Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Centuria II Exercitationum Medico-Philolog. Decas III.* 490

Yonge (*Jacobi*) *Relatio de glomere pilorum ex utero & ovariis fœminarum extracta.* 72

IV. Libri Mathematici.

A*Nonymi Adnotatio ſuper animadverſione in difficultatem*

Hugeniana de Centro Oſcillationis demonſtrationi oppoſitam. 29, 129
Tractatus Generalis de Monetis & cambiis. 95
Bernoulli (*Nicolai*) *ſpecimina Artis conjectandi ad quaſtiones Juris applicata.* 159
De Claire-combe (*Monerii*) *Negotiatio facilitata.* 95
Dechales *Elementa Euclidis reviſa, &c.* 280
Feuillet *Choregraphia, ſeu ars ſaltationes per characteres exprimendi.* 188
Haſſelbrink (*J. C.*) *Manuductio ad Architecturam Militarem.* 372
De la Hire (*Philippi*) *Tabulæ Aſtronomicæ.* 73
Lowthorp (*Johannis*) *Tranſactiones Philoſophicæ in compendium redactæ. Volumen I.* 290
Volumen II. 362
Volumen III. 494
Parent *Diſquiſitiones Mathematicæ & Phyſicæ. Tomus I.* 22
Ricardi (*Samuelis*) *Ars rationes expediendi.* 69
Taylor (*Joannis*) *Gazophylacium Mathematicum.* 48
Welperi *Gnomonica auctior.* 138

V. Libri Hiſtorici, Geographici, &c.

Ancillonii (*Caroli*) *Commentarii de vitis & ſcriptis Virorum recentioris ævi.* 462
Anonymi Collectio curioſa Itinerum in Indiam utramque ſuſceptorum. Tomi XVI--XXVIII. 66
Lehmannus ſuppletus & continuatus, h. e. Acta Publica Imperii R. Germ. de Pace Religioſa. 366
Continuatio Samuelis Puſendorfii Introductionis in Hiſtoriam. 87
Hiſtoria & origines Comitum a Wartenberg. 432
Hiſtoria Petri Erneſti Comitis Mansfeldenſis. 93

Col-

Digitized by Google

Anonymi Collectanea hiſtorica de habitatoribus M. Britanniæ, eorumque origine &c. 177
(J. A.) Conſpectus aulæ Romanæ. 222
Benzelii *(Erici) Elogium.* 373
Bleau *(Johannis) Novum Italiæ Theatrum. Tomi IV.* 281
Brome *(Jacobi) Itinera per Angliam, Scotiam & Walliam ſuſcepta.* 325
Burgmeiſteri *(Jo. Steph.) Corpus Juris Nobilitatis Imperii, ſeu documenta nobiles in Suevia, Franconia, tractuque ad Rhenum & Alſatia inferiore concernentia.* 321
Status Equeſtris Cæſaris & Imperii Rom. Germ. 465
Chamberlaine *(Joannis) præſens Status M. Britanniæ.* 127
De Corbinelli *Hiſtoria Genealogica Familiæ Gondiæ. Tomi II.* 241
Desmarais *(Regneri) Hiſtoria rerum inter Regem Galliæ & Pont. Rom. in cauſa militum Corſorum geſtarum.* 215
Doujatii *(Joannis) Compendium Hiſtoriæ Romanæ & Græcæ.* 262
Fabritii *(Jo. Alberti) Bibliotheca Latina.* 68
Fanelli *(Franciſci) Athenæ Atticæ.* 181
Fiſchlini *Memoria Theologorum Wirtenbergenſium. Partes II.* 358
Funnell *(Wilhelmi) Iter circa Tellurem factum.* 368
Geddes *(Michaelis) Tractatus Miſcellanei. Tomus I.* 474
Tomus III. 100
Goodwin *(Thomæ) Hiſtoria rerum geſtarum Heinrici V Regis Angliæ.* 97
Gorjonides *vide* Joſephus.
Gryphii *(Chriſtiani) Ordinum equeſtrium compendioſa deſcriptio.* 217
Herrichii *(Jo. Godofredi) Elogium.* 89
Hind *(Thomæ) Hiſtoria Græciæ. Volumen I.* 282
Humbracht *(Jo. Maximil.) ſupremum Nobilitatis Germanicæ decus in Libera Nobilitate Rhenana conſpicuum.* 319
Joſephi *Ben Gorionis Hiſtoria Judaica, ex verſione Jo. Gagnier.* 12

ex verſione Johannis Friderici Breithaupt. 111
Julii Cæſaris *quæ exſtant, ex recenſ. Jo. Daviſii.* 297
Leuckfeldi (*Jo. Georgii*) *Antiquitates Michaelſteinenſes & Amelunxbornenſes.* 419
Antiquitates Grœningenſes. 459
Lezneri (*Johannis*) *Relatio de Abbatia Lucenſi.* 419
Ludovici (*Godofredi*) *Hiſtoria Rectorum Scholarum. Pars I & II.* 522
Mareſius *vide* Desmarais.
Mayer (*Joſephi*) *Icon perfectæ Nobilitatis in heroibus gentis Lambergiæ delineata.* 467
M. Minucii Felicis *Octavius ex recenſ. Jo. Daviſii.* 422
Jacobi Gronovii. 422
Mülleri (*Jo. Joachimi*) *Theatrum connubiorum Regum Hiſpaniæ.* 408
Mushardi (*Lunebergi*) *Monumenta Nobilitatis antiquæ illuſtrium familiarum Ducatus Bremenſis & Verdenſis.* 322
Nemoroſiæ *Principis Commentarii hiſtorici.* 460
Reimanni (*Jac. Friderici*) *Hiſtoria Literariæ particula, de libris Genealogicis.* 450
De Rogiſſart *Delitiæ Italiæ. Tomi III.* 64
Rollii (*Reinhardi Heinrici*) *Memoria Philoſophorum &c. Decas II.* 448
Rothii (*Eberhardi Rudolphi*) *Hiſtoria univerſalis pragmatica.* 192
Le Roux (*Joannis*) *Theatrum Nobilitatis Flandricæ & Arteſienſis.* 266
Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ & cujuscunque generis Acta Publica Anglicana. Tomus V & VI.* 329
Schneieri (*Chriſtoph. Wilhelmi*) *Anna Perenna. Pars prima.* 530
Vellejus Paterculus *Gallice translatus, cum ſupplementis Jo. Doujatii.* 262
Thuillier (*Renati*) *Diarium Patrum, Fratrum & Sororum Ordinis Minimorum Provinciæ Franciæ.* 428

Ve-

Digitized by Google

Veryard (*E.*) *Expoſitio variarum Obſervationum in itinere collectarum.* 83

VI. Libri Philoſophici & Philologici Miſcellanei.

Anonymi de moralibus Criticæ regulis compendioſa monita. 80

Gloſſographia Anglicana. 128

Poema Tograi, cum notis Matth. Ancherſen. 156

Genius Romæ profanæ & Spiritus Romæ ſacræ. 367

Theoria & Praxis Horticulturæ. 421

Animadverſiones Criticæ in Dictionar. Hiſt. Morerii. 499

Averanii (*Benedicti*) *Orationes & Carmina.* 367

Bentleji (*Richardi*) *Diſſertatio de Epiſtolis Phalaridis, cum Reſponſione ad objectiones Boylei.* 481

Boyle (*Caroli*) *Diſſertatio R. Bentleji de Epiſtolis Phalaridis examinata.* 480

De Claire-combe (*Monerii*) *Negotiatio facilitata.* 95

La Croze *Colloquia de diverſis argumentis.* 399

Daneti (*Petri*) *Magnum Dictionarium Latino-Gallicum.* 239

Daubuz (*Caroli*) *pro teſtimonio Fl. Joſephi de Chriſto Libri duo.* 245

Deulini (*Franciſci*) *Philoſophia Scoto-Ariſtotelica. Tomus I.* 406

Feuillet *Choregraphia.* 188

Garofalus (*Blaſius*) *vide* Scipio Maranta.

Geddes (*Michaelis*) *Tractatus Miſcellanei. Tomus I.* 474

Tomus III. 100

Heumanni (*Chriſtophori Auguſti*) *Obſervatio Moralis de diſtinctione Juris Naturalis in abſolutum & hypotheticum, & de diſcrimine juſti, honeſti, æqui ac decori.* 410

Rec-

Kerſey (*Johannis*) *Dictionarium Anglo-Britannicum.* 128
Lazzarini (*Dominici*) *Defenſio in Barthol. Germonium.* 314
Leibnitii (*Godofr. Guil.*) *Epiſtola ad G. M. de Hickeſii Theſauro Linguarum Septentr.* 236
Maffei (*Pauli Alexandri*) *Gemmæ veteres explicatæ. Tomus I.* 302
R. Maimonidis (*Moſis*) *Tractatus duo cum notis Rob. Clavering.* 234
Marantæ (*Scipionis*) *Expoſtulatio in B. Germonium pro antiquis diplomatibus & Codd. MSS.* 354
De Montfaucon (*Bernardi*) *Palæographia Græca.* 347
De la Motte *Odæ, cum Diſſ. de Poeſi Lyrica.* 191
Muratorii (*Ludovici Antonii*) *de Poeſi Italica perfecta Tomi II.* 203
Phædri *Fabulæ, e recenſ. Jo. Chriſtoph. Wolfii.* 365
Raben (*Pauli*) *Curſus Philoſophicus.* 75
Rhetorica Civilis. 79
Roſſal (*Michaelis*) *Diſquiſitio de Epicteto, num fuerit Chriſtianus?* 309
Roſſi (*Dominici*) *Gemmæ veteres effigiatæ. Tomus I.* 302
Sidney (*Algernon*) *Diſcurſus de Regimine.* 235
Van Stade (*Dieterici*) *Specimen Lectionum antiquarum Francicarum ex Otfridi libris Evangeliorum.* 184
Theodori, *Polycarpi filii, Dictionarium Græco-Latino Ruſſicum.* 500
Tibulli (*Albi*) *Poemata cum notis Jani Brouckuſii.* 193
Tuldeni (*Diodori*) *de cognitione ſui Libri V.* 312
De Vera & Cunniga (*Antonii*) *Legatus omnibus numeris abſolutus.* 436
Voſſii (*Gerh. Jo.*) *de cognitione ſui libellus.* 312
Urſii (*Jo. Joſephi*) *Marchionis & aliorum Epiſtolæ quædam.* 61

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

Digitized by Google

ABbreviationes *explicatæ.* 387
Aberbarrienſis *caverna mirus ſitus.* 326
Abraxeæ *gemmæ unde dictæ?* 382
Abſens *quando pro mortuo habendus?* 162
Abſtinentiæ *ſingularis exemplum.* 259
Accentus *quando verbis additi?* 377 *ſeq.*
De Actis Sanctorum *Antverpienſibus judicium.* 6
Acus *magneticæ declinatio.* 296
Adrichomii *Theatrum & Deſcriptio Terræ S. liber unus idemque.* 500
Advocatus *Germanice Vogt.* 239
Æquatio *temporis.* 295
Æquationum *reſolutiones.* 295
Æquum *quid in actione dicendum?* 415
ut ab honeſto & decoro differat? 416
Aer *num telluri celerius ab occidente in orientem moveatur?* 25
Aeris *vis elaſtica.* 230
refractio. 294
reſiſtentia. 295
Æſtus *maris cauſa.* 364
a Carteſio male tradita. 25
phænomena. 363
Ætas *hominum ut prædicenda?* 159
Affectationis *vitium in Poëtâ reprehenſum.* 207
Affectuum *animi cauſa.* 314
Afrorum *Scriptorum loquendi ratio.*
Agnus Dei *Pontificiorum quâ polleat virtute?* 224
Agri *fertilitas quomodo curanda?* 59
Agrimenſorum *error in uſu acus magneticæ.* 293
Aleæ *emtio.* 162
Alexander VII *cur in Gallos male animatus?* 216
Alexandri VIII *Pont. Deciſiones Juris commendatæ.* 56
Alexandri (*Natalis*) *recantatio.* 214
Allodium *unde?* 238
Alphabeti *Græci formæ variæ.* 386
Altarium *lapideorum rudera in monte Cornelii.* 70
De Amaltheo (*Hieronymo*) *judicium.* 200
Anatomia *nova.* 20
Andreæ (*Jacobi*) *vita.* 359 *ſeq.*
Anemometron. 363
Angliæ *primi habitatores num a Gomero oriundi?* 177 *ſeq.*
Regibus primus in bello locus præ Hiſpaniæ Regibus conceſſus. 335
Animæ *immortalitas naturalis aſſerta.* 115
& corporis unio. 26, 27

In Animalia *num cadat pœna banni?* 59
Anna Perenna *Dea Romanorum.* 530
Annæ *Reginæ Angliæ res geſtæ carmine deſcriptæ.* 530 *ſeq.*
Antlia *nova.* 296
Aphelium *Planetarum ut inveniendum?* 294
Apicius *quis?* 226
Apicii *Cælii editiones.* 225
Apoſtolii (*Michaelis*) *inopia.* 378
Approximatio *veterum in extractione radicum.* 292
Aquæ *marinæ edulcoratio ut fiat?* 364
gravitas ſpecifica. 364
Aquæ *minerales.* 363
petrificantes. 363
Aquarum *deductio.* 421
examen. 364
libellatio. 421
preſſura. 296
elevatio ut procuranda? 296
Aquas *evomens mons.* 369
Aræometria. 296
Arbores *frugiferas gignendi methodus.* 365
Architectura *hortorum.* 421
Arcuarius (*Daphnæus*) *vero nomine Laur. Begerus.* 464
Arcuatum *opus ſingulare.* 296
Ariſtides *vero nomine Jo. Hier. Sbaralea.* 520
Ariſtophanes *quando vixerit?* 485
Arrierebạn *vox Gallica unde orta?* 237
Ars *pictoria & ſculptoria promota.* 296
characteriſtica commendata. 189
ſaltationes per ſigna demonſtrativa exhibendi. 189 *ſeq.*
volandi. 295
coquinaria. 225
diplomatica. 355
Artaxerxes *quando regnare cœperit?* 394
Articulorum *fundamentalium character.* 172, 175
Aſſecurationis *contractus.* 166
Aſſiduitas *vox quid notet?* 425
Aſſyriacum *Regnum Eccleſiæ falſa Antichriſti typus.* 403
Aſtronomicæ *Tabulæ ex ſolis obſervationibus constructa.* 73 *ſſ.*
Aſtronomicarum *obſervationum theſaurus.* 294
De Atheiſmo *Diſſertatio.* 401
Atheorum *theoreticorum exempla.* 402
Athenarum *hiſtorica Deſcriptio.* 181 *ſſ.*
Athenienſium *hiſtoriæ ſcriptores.* 181
Atho *montis deſcriptio.* 389
Atramentum *veteribus quod & quotuplex?* 375
Attractionis *leges.* 270 *ſſ.*
Attractrix *vis materiæ aſſerta.* 273, 280

Au-

Auguſtæ *nomen num conjugi Imperatoris proprium?* 305, 306
Auguſtanæ *Confeſſionis editio Melanchthoniana vindicata.* 172
Ad S. Auguſtini *regulam quot ordines pertineant?* 109 *ſeq.*
Auri *ductilitas examinata.* 364
De Auriſpa (*Johanne*) *varia.* 200
Auſtriacorum *origo unde?* 383
Αὐτοχειρίαν *num probet Epictetus?* 310
Automata *explicata.* 139
R. Azariæ *caput* de Literis Samaritanis *Latine verſum.* 379

Babylonis *cum eccleſia Chriſtiana comparatio.* 443
De Bacchi *forma errores artificum.* 199
Bailletus (*Adrianus*) *idem qui* De la Neuville. 463
Banni *pœna num poſſit extendi contra animalcula?* 59
Baptiſmum *num & habuerint Judæi?* 312
Barnabas *Apoſtolus num Romæ a S. Clemente hoſpitio exceptus?* 140 *ſeq.*
Barometri *diviſiones.* 363
— *inventor.* 362
— *phænomena.* 362
— *rationes.* 362
Barræi (*Nicolai*) *pietas.* 429
Barthius (*Caſparus*) *refutatus.* 310
βασιλεὺς *titulus Imperatoribus datus.* 389
Baſilica *cur dicta ædes S. Clementis Romæ?* 142
Baſnagius (*Henricus*) de Beauval *refutatus.* 401
— (*Jacobus*) *in Hiſtoria Judaica notatus.* 401
Beatificatio *quid?* 7
Begerus (*Laurentius*) *quid pro polygamia ſcripſerit?* 464
Benedictini *ordinis fundatio.* 108
Benedictinos *inter & Jeſuitas æmulatio.* 357
Bentlejum (*Rich.*) *inter & Car. Boyle controverſiæ hiſtoria.* 481 *ſſ.*
Benzelii (*Erici*) *vita.* 373
Berardi (*Johannis*) *Chronicon ſpurium.* 141
Bernoullus *notatus.* 26
De S. Bibliis *judicium Card. Ximenii.* 103
Bibliotheca *mercatorum.* 69
— *Ottoboniana laudata.* 142
Bibliothecæ *Brunſuicenſis Martinianæ incrementa.* 71
— *Sanblaſianæ MSterum catalogus.* 71
— *Lugduno-Batavæ incrementa.* 84
— *Ambroſianæ Mediolanenſis MSpta.* 85 *ſeq.*
— *Collegii Sapientiæ Romæ inſcriptio.* 223

Bibl. *conventus Ambienſis, Belnenſis, Brienſis & Minimorum Pariſienſis incrementa.* 429
Bleau (*Johannis*) *fatum iniquum.* 281
Bohemi (*Johannis*) *elogium.* 527 *ſeq.*
Bonjour (*Guilielmi*) *Grammatica Coptica promiſſa.* 386
Bonorum *communio num ſuadenda?* 412
Borrvillers (*Stephani*) *mors fatalis.* 431
Boyle (*Carolum*) *inter & Rich. Bentlejum controverſiæ hiſtoria.* 481 *ſſ.*
Boyneburgiorum *familia illuſtrata.* 319
Britanniæ *nomen unde?* 178
Ducis homagium olim Regi Angliæ præſtitum. 333
Britanni *num evangelium acceperint a S. Paulo?* 178
Briſaci *num ſit pons æneus?* 500
Briſacenſibus *abjudicata corpora SS. Protaſii & Gervaſii.* 287 *ſſ.*
Brixiæ *dominium in flumina Olei & Mellis aſſertum.* 58
deditio Venetis facta voluntaria. 58
amplitudo. 59
Brouckuſii (*Jani*) *elogium* 193 *ſq.*
Brunſuici *urbis nomen unde?* 70
conditores. 70
Brunus (*Jordanus*) *Atheiſmi convictus.* 402

Cadmus *num nomen viri?* 379
literarum & artium inventor. 379
Cæſaris (*C. Jul.*) *Commentarii a ſolœciſmis vindicati.* 299
Cæſaris *electio a Joſepho B. Gor. deſcripta.* 16
De Calamo *aromatico Diſſertatio.* 493
Calculi *differentialis uſus.* 292
Calor *Solaris ad computum revocatus.* 363
corporis unde? 444
Cambiorum *ratio explicata.* 69
Canoniſationis *origo.* 7
vox quando orta? 7
De Capgravio *Martyrologii Anglicani ſcriptore judicium.* 6
Capitis *dolor ex abolitione ſuturarum & cranii eraſione.* 21
Carnis & *Spiritus vocabulorum uſus de Chriſto in ſacris.* 113 *ſſ.*
Carolus *Philippi Auſtr. filius cur Dux Lucemburgicus dictus?* 410
Carolus V *num in fide catholica deceſſerit?* 456
Carpzoviorum *præceptor quis?* 91
Carranzæ (*Barthol.*) *vita.* 455
Carteſius *notatus.* 22-26
Carthuſiani *ordinis fundatio.* 109
Caſæmarii *cœnobii Romani deſcriptio.* 210 *ſeq.*

Digitized by Google

Caſtrenſis *Ducatus Parmæ Duci vindicatus.* 217
Caſus conſcientiæ *hiſtoria.* 213 *ſſ.*
Catacombæ *cur olim Romæ facta?* 86
Catenariæ *proprietates.* 29
Catharinus (*Ambr.*) *vero nomine* Politus Lancellotus. 454
Catullus *laudatus.* 196
Cavernæ *ſubterranea deſcriptio.* 364
Cauſticum *vitrum novum.* 293
Cella *profunda in obſervatorio Pariſienſi.* 362
Cellarius (*Chriſtoph.*) *contra Jac. Gronovium vindicatus* 427
Cellarii (*Chriſtoph.*) *elogium.* 527
Centrum *oſcillationis controverſum.* 129
Characteriſticæ *artis leges & praſtantia.* 189
Charta *veterum qualis & quotuplex fuerit?* 375 *ſeq.*
Chartæ *luſus inter Chriſtum & S. Roſam confictus.* 105
Chemnitii (*Chriſtiani*) *memoria admiranda.* 453
Chiliaſmus *aſſertus.* 353 *ſſ.*
e Michæ III, 8 probatus. 498
Chriſtus *quo ſenſu dicatur Deus & Dei filius?* 339
quomodo ſpiritualiter concipiatur & pariatur? 343
Chriſtus *num poſt reſurrectionem bis aſcenderit in cælum?* 397
num fratres & ſorores germanas habuerit? 398
quando natus? 351, 505 *ſeq.*
Chriſti *Deitas contra Socinianos vindicata.* 50, 51
anima quando e cælis in terram fuerit demiſſa? 18
num exſtiterit ante nativitatem Chriſti. 19. 51 *ſſ.*
dies & annus natalis quis? 351
De Chriſti *conjugio figmenta Pontificiorum.* 104
nativitate obſervata. 506
Chriſtianiſmus *oppugnatus.* 400
defenſus. 400 *ſeq.*
Chriſtologia. 347
Chryſographia *veterum deſcripta.* 375
Chyli *albedo unde?* 444
Chymicorum *veterum codex manuſcriptus.* 388
Cinnabaris *Imperatoribus in ſubſcriptionibus propria.* 375
Circuli *quadratrix.* 292
quadratura. 292
Ciſtercienſium *inſtitutio.* 109
Claramontiæ (*Claudiæ Catharinæ*) *promptitudo Latine loquendi.* 245

S. Clementis *ſcripta & res geſtæ variæ.* 140 *ſeq.*
vita ſcriptores exploſi. 141
Baſilica deſcripta. 142 *ſeq.*
Clementis VIII *Pont. ſtatua Ferraria.* 64
Cluniacenſis *ordinis fundator.* 108
Cœli *materia.* 25
Cogitationes *de exiſtentia noſtra nos convincunt.* 27
Colicæ *cura.* 317
Colorum *emphaticorum obſervationes.* 28
theoria Newtoni explicata, impugnata, vindicata. 293
De Comaclenſi *caſtro tranſactio inter Pontificem & Ducem Mutinæ.* 216, 217
Cometarum *natura male a Carteſio explicata.* 24
Comici *moderni exploſi.* 208
Commatum in *codicibus antiquitas.* 377
Comnenus *credulitatis inſimulatus.* 389
Communio *bonorum num ſuadenda?* 412
Conceptio *fit in teſtibus fœmineis.* 447
Conchilia *foſſilia.* 364
Concilia *num ſint ſupra Papam?* 152 *ſſ.*
Conciones *prolixas quinam habuerint?* 430 *ſeq.*
Condimenta *veterum.* 227
Confeſſionis *arcana num revelanda?* 220 *ſeq.*
revelata in Africana eccleſia haud punita. 220
Conjectandi *artis definitio & fundamentum.* 159
De Contarto (*Valentino*) *ſingularia.* 462 *ſeq.*
Conſenſus *fundamentalis in Theologia quinam?* 173
Coquinaria *ars.* 225
Corius (*Bernardinus*) *Hiſtoricus notatus.* 289
Corona *Anglica Archi-Ep. Trevirenſi oppignorata.* 332
Corpus *quid?* 23
Corporis *definitio.* 23
& animæ unio. 26, 27
Chriſti num participes fiant indigni? 174
natura num inferat materiæ diviſibilitatem in infinitum? 24
Corporum *vis in quo conſiſtat?* 24
Corpuſcula *quid?* 23
Corſi *Romæ damnati.* 217
Corſorum *Romæ cauſa ſub Alexandro VII deſcripta.* 216
Corvus *S. Benedicto familiaris.* 108
De Coſte (*Hilarionis*) *opera.* 430

Co-

Digitized by Google

Cotelerius (*Jo. Bapt.*) *ob Latinæ linguæ neglectum notatus.* 464
Crameri (*Jo. Henr.*) *elogium.* 524
Crequium, *Legatum Gallicum qua injuria affecerint Corſi Romæ?* 216
De Criticæ *Regulis monita.* 80 *ſſ.*
Critici *boni & mali diſcrimen.* 82
Cupidus *quid notet?* 197
Curſus *Mathematicus.* 48
Cycloidis *quadratura.* 292
DAcerius *notatus.* 201
Dacherius (*Lucas*) *notatus.* 141
Damianus (*Petrus*) *num mulier?* 10
Daphnæus Arcuarius *vero nomine* Laur. Begerus. 464
A Daun *Comitum familia illuſtrata.* 319 *ſeq.*
Decorum *explicatum.* 416
Decretorum *Gratiani litera prima* H *notabile ornamentum.* 518
Delineatorium *inſtrumentum novum.* 296
In Delphinatu *auctoritas Imperatori aſſerta.* 332
Deſcots (*Simonis*) *mors fatalis.* 431
Deſpuendi *uſus in magia.* 201
Deſtituere *proprie quid?* 197
Devoti *ac* defixi *qui dicantur?* 198
Dei *attributa recenſita.* 27
exiſtentia probata. 27
De Diis *indecenter loqui num licitum Gentilibus?* 63
Diaconorum *quondam officium quod?* 122
De Diplomatica *arte controverſia.* 355
Diviſibilitatem *materiæ in infinitum num inferat corporis natura?* 24
Dodwellus (*Henricus*) *laudatus.* 118
Doujatii (*Johannis*) *in Vellejum Paterc. merita.* 262 *ſſ.*
Dramata *Muſica quando & a quo inventa?* 208
Druides *unde dicti.* 300 *ſeq.*
Duacum *Flandris conceſſum.* 330
Duelli *præmium.* 99
apud veteres ad inveniendam veritatem ratio. 123
inter Reges propoſiti exemplum. 331
Dunelmenſis *fontis inſcriptio.* 328
Dura *Meninx fœtus in tres lamellas dividi poteſt.* 447
Durantus (*Jo. Steph.*) *num plagiarius?* 454
ECcleſia *univerſalis num ſit ſupra Papam?* 152 *ſeq.*
Eccleſiæ *unitas in quo conſiſtat?* 154
Gallicana libertas quæ? 154

Digitized by Google

Eclipſes *Lunares & Solares obſervandi methodi.* 295
inveniendi machina. 74
Eclipſium *calculus cur lubricus?* 74
Eduardus III *Rex Angl. Imperii Germ. Vicarius.* 332
Imperator electus. 333 *ſeq.*
cum Flandris fœderejunctus. 330
Inter Eduardum III *R. Angl. & Philippum V R. Gall. geſta.* 330 *ff.*
Eliſabethæ *Reginæ Angliæ philautia.* 464
odium in Gallos unde? 464
Ad Epheſios *Epiſtola Pauli Commentario illuſtrata.* 346
Epictetus *num fuerit Chriſtianus?* 310 *ff.*
Epiſcopatus *Angliæ num ex Papatu derivandi?* 120
ut in Eccleſia inſtituti? 120
Epiſcopi *qua delinquentes coercendi ratione in Anglia utantur?* 120 *ſeq.*
qualem in Anglia habeant jurisdictionem? 120, 121 *ff.*
Equites *Imperii qui & unde dicti?* 466
Eruditorum *foris magis quam domi æſtimatorum exempla.* 368
Eruditorum *moribus æque ac doctrina illuſtrium exempla.* 368 *ſeq.*
qui ſcripta edere noluere, exempla. 524
mors fatalis. 118, 431
Eſpencæus (*Claudius*) *cur Cardinalis haud factus?* 5
Evangelici *quinam dicantur?* 174
Evangeliorum *Gothicorum autor quis?* 237
Euclidis *Elementorum editio nova.* 280
Eunucho *num liceat ducere uxorem?* 415
Euſebius *Pamphili vindicatus.* 246
Excommunicatio *per inſomnium quæ?* 235
Excommunicationis *qualis ſit effectus,* 148
Exiſtentia *Dei, hominum & corporum probata.* 27
Exorciſmo *contra animalia num uti liceat?* 60
Experimenta *pneumatica.* 363
Extenſionis *ratio.* 23

FAbricius (*Jo. Alb.*) *notatus.* 426
Feida *Scotorum quod olim certaminis genus?* 328
Ferdinandus *Cathol. Philippo Auſtr. loco cedit.* 410

Feri-

Digitized by Google

Fertilitas *agris quomodo concilianda?* 365
Fixarum *diſtantia.* 294
parallaxin inveniendi methodus. 294
In Florentina *dialecto quid deſiderari queat?* 209
Flores *per annum conſervandi.* 365
per hyemem producendi. 365
Floridum *quid dicatur Latinis?* 197
Fluiditatis *ratio.* 23
Fluxus & *refluxus maris phænomena.* 363
cauſa. 346
a Carteſio male reddita. 25
Fluvialis *luſtrationis origo.* 200
Fontaninus (*Juſtus*) *laudatus.* 141
Fontis *Dunelmenſis inſcriptio.* 328
Fontes *ſalſi.* 363
Foſſilia *varia.* 364
Fractiones *infinities infinita.* 292
Ad S. Franciſci Aſſiſii *regulam qui ordines ſpectent?* 110
Frau *quid veteri lingua Germanica notet?* 187
Frigoris *artificialis productio.* 363
Frono *quid lingua veteri Theotiſca?* 187
De Fructibus *Tractatus.* 56 *ſſ.*
Frugalitas *in Sacris Romanorum retenta.* 199
Fruges *quid?* 197
Frumentariæ *teſſera quid?* 59
Fundius *idem qui Jo. Barth. Haagius.* 361
Furor *poeticus in quo conſiſtat?* 205 *ſeq.*
Fürſtenbergica *familia illuſtrata.* 320
Furtum *ex neceſſitate commiſſum num licitum?* 57
GAlatia *olim & Gallia dicta.* 301
Galenus *Comm. 2 in Hippocr. de natura hominis explicatus.* 482
Gallia *olim & Galatia dicta.* 301
Gallica *lingua num præſtet Italica?* 209
Gemmæ *cavata ut a profundis differant?* 303
num numis præſtent? 304
Gemmingeniorum *familia illuſtrata.* 320
Genealogiarum *ſcriptores antiqui & moderni.* 450
Generationis *theoria.* 365
Genuenſes *ſponſiones.* 167
Gerhardus (*Johannes*) *refutatus.* 418
Germonius (*Barthol.*) *notatus?* 356 *ſſ.*

Digitized by Google

SS. Gervaſii & *Protaſii corpora Mediolano aſſerta.* 286 *ſſ.*
Ghinuccii (*Hieronymi*) *epitaphium.* 143
Gibellinorum & *Guelforum turres Florentiæ quibus ſignis diſcrepaverint?* 244
Glaciei *artificialis productio.* 363
Glandorpii (*Jo.*) *elogium.* 529
Gnomonis *umbra retrocedens.* 28
Gnomonica *optima nota.* 139
A Gomero *num primi Angliæ habitatores orti?* 177 *ſeq.*
Gondiæ (*Margaritæ*) *memoria ſtuoenda.* 245
Gondii (*Alberti*) *magnanimitas.* 244
Gondiorum *Hiſtoria Genealogica.* 241 *ſſ.*
inſignia. 243
Gothani *Hiſtoriæ Eccl. Compendii autores.* 524
Gothi *olim pars Germanorum.* 237
Græcia *quænam olim & quanta fuerit?* 283
unde dicta? 283 *ſeq.*
a quibus literas acceperit? 285
Græciæ *hiſtoriam & antiquitates qui ſcripſerint?* 282
Græcarum *literarum antiquitas aſſerta.* 390
Græcorum *veterum mores.* 284 *ſeq.*
Granaria *deſcripta.* 365
De Gratia *divina doctrina D. Thomæ examinata.* 268
Gravii (*Jo.*) *elogium.* 529
Gravitas *ſpecifica aquæ marinæ.* 364
fluidorum præcipuorum. 296
Gravium *deſcenſus.* 295
Grœningenſes *antiquitates explicatæ.* 460
Grona *urbs qualis?* 460
Grotii (*Hugonis*) *methodus in libro de J. B & P. notata.* 509
Gryphii (*Chriſtiani*) *obitus.* 218
Gueinzii *Rect. Hal. elogium.* 527
Guelforum & *Gibellinorum turres quibus ſignis Florentiæ diſtinguebantur?* 244
Guenebaldi (*Jo.*) *fraus in ſupponenda inſcriptione Græca detecta.* 381, 382
Guſtus *poeticus qualis & quotuplex?* 204
Guttenberg (*Johannes*) *artis typographicæ inventor.* 324
HAagii (*Jo. Barthol.*) *vita.* 360 *ſeq.*
In Habacuc *Prophetam commentarius.* 402
Habacuc *Prophetæ ſcopus.* 403
Hadriani *columna Athenis conſpicua.* 184
Halberſtadienſium *Epiſcoporum hiſtoria.* 460

Halo-

Halonum *cauſa.* 363
Hanſeaticæ *unde dictæ?* 237
Harduini *& Germonii conatus comparati.* 356, 357
Harmonia *præſtabilita absque ratione impugnata.* 26
De Hebdomadibus *LXX Danielis Diſſertatio.* 391 *ſeq.*
Henrici V *Regis Angliæ hiſtorici.* 97
mores emendati. 98
virtus & moderatio. 99
Herbariorum *vivorum conſtructio.* 365
Herniaria *ad oculorum caliginem præſtans remedium.* 221
Herrichii(*Jo.Godofredi*)*vita.* 90
Hiſpaniæ *Reges cur non coronari publice ſueverint?* 410
Hiſpanicorum *Comitiorum ſub Henrico II R. Caſtellæ libertas.* 476
Hiſtoriæ *Compendium novum commendatum.* 192
Hiſtrus *an Iſtrus dicendum?* 198
Homeri *pater Meles amnis creditus.* 199
Honeſtæ *actiones quæ dicantur?* 413 *ſeq.*
Honeſtum *inter & juſtum quid interſit?* 414 *ſeq.*
qua ratione dicatur decorum? 416, 419
Hoofd (*Petrus Corn.*) *laudatus.* 197
Horologia *portatilia nova.* 295
Hortenſes *obſervationes.* 365
Horticulturæ *theoria & praxis.* 421
Hortorum *architectura.* 421
Hoſii (*Stanislai*) *epitaphium.* 44
De la Houſſaye (*Jacobi*) *ſilentium & abſtinentia.* 430
De Houtuyn (*Adriano*) *judicium.* 512
Hugenius *notatus.* 22, 23, 26
Humanitas *vox quid notet?* 425
Humanitatis *ſingularis exemplum.* 99
Humor *quid?* 444
Hunibaldus *exploſus.* 238
Huren *quid proprie veteri lingua Germanica notet?* 188
Huttenorum *familia illuſtrata.* 320
Hydracontiſterium *novum.* 296
Hydroſtatica *promota.* 26
Hyperbolæ *quadratura.* 292
Hyperbolicorum *vitrorum poliendorum ratio.* 293

JAnſenii *doctrina num D. Thomæ conformis?* 271
Janſeniſmi *hiſtoria.* 213 *ſſ.*
Januarii *Calendarum feſtivitas.* 306
Jeſuitæ *cur antiquos Scriptores reddant ſuſpectos?* 357
Jeſuitarum *ordinis inſtitutio & amplitudo.* 110

Jeſuitarum *&* *Benedictinorum amulatio.* 357
Imagines *poetica ut formandæ?* 206 *ſeq*
Imaginum *cultus Hiſpanis olim interdictus.* 101
Imperium *unde ortum?* 513
Ignes *ſubterranei.* 364
Incantatio *animalium num jure civili probibita?* 60
Ex Incantatione *orti morbi ut dignoſcendi?* 405
De Inceſtu *leges num ſint per ſe naturales an civiles?* 412
Ingenium *quotuplex?* 207
Inſignia *domibus Florentiæ inciſa tolli probibita.* 244
Inquiſitionis *tribunal Romæ a Sixto V privilegiis auctum.* 224
Inſpiratio *ut fiat?* 446
Inſulæ *maris Atlantici deſcriptio.* 368
Ex Inteſtino *perbrevi voracitas* 21
Inundationes. 363
Johannes *Baptiſta quando conceptus & natus?* 509
Johannis *Evangeliſtæ prophetia de conſummatione mundi.* 477 *ſeq.*
prophetiæ falſitas declarata. 479
Ionicæ *literæ quamdiu in monumentis obſervatæ?* 380
Joſephus Ben Gorion *quid ſcripſerit?* 13 *ſeq.*
Joſephus *quando ſcripſerit?* 15
Joſephus (*Flavius*) *cujus ſuaſu ſcripſerit Hiſtoriam Judaicam?* 252
Joſephi (*Flavii*) *de Jeſu Chriſto teſtimonium vindicatum.* 245 *ſſ.*
Jovis *motus vertiginis.* 295
currus cur levis dicatur? 199
Irenica *ſcripta.* 170
Iridis *cauſa.* 363
diametrum inveniendi methodus. 363
De Iride *problemata.* 85
Irides *parabolicæ.* 28
plures in una nube viſæ. 28
Iſtrus *an Hiſtrus dicendum?* 198
Itali *Scriptores vindicati.* 61 *ſſ.*
Italica *lingua contra Gallos vindicata.* 209
an Gallicæ poſtponenda? 209
Italicæ *Poeſeos origo.* 203
lingua vulgaris & grammatica diſcrimen. 208 *ſeq.*
Itinera *in utramque Indiam ſuſcepta.* 67
Jubilæum *quid notet?* 393
Judaiſmus *defenſus.* 400
oppugnatus. 400 *ſeq.*
Judæorum *converſio magna aſſerta.* 403
Judicii *extremi univerſalitas aſſerta.* 116

Julia

Julia *num Domitiani uxor an concubina?* 305
Jus *publicum univerſale explicatum.* 508 *ſſ.*
ut a notitia Rerumpubl. & Politica differat? 511
Juris *Eccleſiaſtici Anglicani ratio.* 118 *ſeq.*
Naturalis in abſolutum & hypotheticum diſtinctio explicata. 411
obligatio diverſa. 411 *ſeq.*
fundamentum. 510
diviſio. 510
neceſſitas. 511 *ſeq.*
hiſtoria. 512 *ſeq.*
Juſtæ *actiones quæ dicendæ?* 413 *ſeq.*
Juſtum *inter & honeſtum quid interſit?* 414 *ſeq.*

K

Kalendarii *Fratres unde dicti?* 71
Kolbio-Wartenbergicæ *familiæ hiſtoria.* 433 *ſſ.*

L

Lacus *curioſi.* 363
Laderchius (*Jacobus*) *caſtigatus.* 8, 12
Lambergiæ *familiæ deſcriptio.* 468 *ſſ.*
Lancellotus (*Politicus*) *idem qui Ambr. Catharinus.* 454
Lanovii (*Franciſci*) *fata.* 429
Lapides *cædendi methodus.* 364
Lapidum *Briſtolienſium deſcriptio.* 327
De Legatione *Scriptores recenſiti.* 436
Legati *munere num fungi poſſit Epiſcopus & clerus?* 120, 437
deſcriptio & officia. 437
inviolabilitas aſſerta. 438
virtutes quæ requirantur? 437. 439
ætas, forma, &c. qualis eſſe debeat? 440
officium num fœmina obire poſſit? 438
De Legenda Aurea *judicium Cl. Eſpencæi.* 5
Leſmonenſium *Comitum hiſtoria.* 323
Leviri *fluvii curſus ſingularis.* 326
Lex *Salica quando conſcripta?* 238
Legis *poſitivæ univerſalis origo.* 412
Lexicon *mercatorum.* 69[illegible]
Librorum *damnatorum index.* 215
Libros *compingendi mos apud veteres* 376
exarandi mos apud veteres. 376 *ſeq.*
Ligna *foſſilia.* 364
Ligorii (*Pyrrhi*) *MSpta ubi hodie exſtent?* 142
Lilium *convallium num Oenanthes Theophraſti?* 493

Lindenbrogius (*Erpoldus*) *laudatus.* 323, 325
Lipſii (*Juſti*) *memoria admiranda.* 453
Liszynscki (*Caſimirus*) *ob atheiſmum mortis ſupplicio affectus* 402
Literæ *Gothicæ e Græcis formatæ.* 237 *ſeq.*
Saxonum & Francorum e Latinis formatæ. 238
a Græcis ad Latinos translatæ. 390
Livinejus (*Johannes*) *laudatus.* 196
Logarithmorum *constructio.* 292
Λόγος *quoties de Meſſia accipiatur in Scriptura Sacra?* 350
Lollards *in Anglia olim qui?* 98
Longitudinem *locorum inveniendi methodi.* 296
Lucemburgius *Dux cur dictus Carolus Philippi Auſtr. filius?* 410
Lucis *radiorum undulationes Hugenianæ exploſæ.* 22
Lugduni *Batavorum obſeſſi mira liberatio.* 84
Luminis *theoria nova.* 293
Lunæ *effectus in corporibus humanis.* 230
Lunulæ *Hippocratis quadraturæ partiales.* 292
Luſtrationis *fluvialis origo.* 200
Luſus *vocum num in oratione tolerandus?* 62
Lutherus *in pſeudoprophetia Johannis per draconem deſignatus.* 478
Lutheranus *a Reformato in Theologiæ Doctorem promotus.* 172
Lutherani *ad unionem invitantur.* 176
Lutheranorum & *Reformatorum in S. Cœna conſenſus.* 175
conſenſus num fundamentalis? 256
unio ut concilianda? 256 *ſeq.*
De Lyrico *carmine Diſſertatio.* 191 *ſeq.*
MAbillonius (*Jo.*) *notatus.* 141
Machina *eclipſes inveniendi.* 74
motus Satellitum Jovis repræſentans. 139
Macrobius *laudatus.* 197
Maculæ *Solares a Carteſio male explicatæ.* 24
Magi *qui?* 404
A Magis *ut morbi inducantur?* 405
Magnetis *phænomena & cauſæ.* 364
cauſæ male a Carteſio redditæ. 25
Magnitudo *quid?* 23
Maldonati (*Jo.*) *vita.* 456 *ſſ.*
Malpighii (*Marcelli*) & *I. H. Sbaraleæ controverſiæ.* 80 *ſeq.* 83, 520 *ſſ.*

Mans-

Manſfeldenſis *Comitis* (*Petri Erneſti*) *Hiſtoria.* 93 *ſſ.*
Manuſcripta *uncialibus literis ſcripta.* 382, 383
Seculi VIII & IX deſcripta. 383 *ſeq.*
B. Mariæ *nomen unde?* 345
Pro B. Mariæ *immaculata conceptione num exſtet diploma* Sixti *V?* 346
De B. Mariæ *conceptione controverſia & judicium.* 457 *ſeq.*
Marini *Poeta Italus notatus.* 203
Maris *profunditas ut exploranda.* 364
Marmora *tingendi praxis.* 293
Marſhamus *refutatus.* 390
Martialis *libri ab Andr. Navagero combuſti.* 207
Martis *parallaxis, diſtantia a terra & motus vertiginis.* 295
Martyrologia *ſub Diocletiano combuſta.* 4
quæ dicantur? 5
Martyrum *nomina ut multiplicata?* 4
Mater *templorum quæ?* 65
Materiæ *diviſibilitas in infinitum aſſerta.* 271
impugnata. 24
inertia demonſtrata 117
Mathematicæ *diſquiſitiones.* 22
Mauritanorum *e Hiſpania ejectorum hiſtoria.* 474 *ſeq.*
Maximiliani I *in ſtudio Genealogico promovendo ſtudium.* 450 *ſeq.*
Maximiliani II *ad Jac. Andream verba notatu digna.* 360
Mayer (*Joſephus*) *notatus.* 473
Contra Mazarinum *quæ fuerint in Gallia mota?* 461
Mechanica *practica promiſſa.* 25, 26
Medica *ſelecta.* 404
Medicæ *præſcribendi formulæ in S. Scriptura obviæ explicatæ.* 491 *ſeq.*
Medicina *Curioſa.* 316
etiam a non Medico exerceri poteſt. 316
Medicinæ *inventor quis?* 228
incrementum unde? 229
De Medicis *noſtri ævi judicium.* 229
Meles *amnis pater Homeri creditus.* 199
Memoria *in quo conſiſtat?* 446
Memoriæ *ſtupendæ exempla.* 245, 453
Menckenii (*Jo. Burch.*) *ſpecimina Græcorum MSS.* 386
Menſuræ *hodiernæ deſcriptæ.* 96
Mentiendi *leges a Metaphraſte præſcripta.* 5
Merbizii (*Jo. Val.*) *ſtupendi artificii ſtatua.* 529
Mercatorum *bibliotheca.* 96
Lexicon. 96

Mer-

Mercurius *in Sole videndus*. 234
Meridianus *primus ubi ducendus?* 296
Merſenni (*Marini*) *vita*. 431 *ſeq.*
Du Meſnil (*J. B.*) *vitarum Sanctorum ſcriptor, quis?* 6
Metallifodinæ. 364
Metaphoræ *quales admittendæ?* 206
Metaphyſicæ *definitio.* 77
Meteorologicæ *obſervationes.* 363
In Micham *Prophetam commentarius.* 497
Micrometra. 294
Microſcopia *varia.* 293, 294
Millenarium *Regnum certo modo aſſertum.* 352 *ff.*
quando ſit inchoandum? 354
M. Minucii Felicis *variæ editiones.* 423 *ſeq.*
In Miraculis *venditandis cur circumſpecte agendum?* 3
Mirandulani (*Pici*) *epitaphium.* 86
Miſericordiæ *opera quotnam?* 345
Mocket (*Richardus*) *e dolore ob notam libris inuſtam mortuus.* 118
Molanus (*Gerbardus*) *defenſus.* 421 *ſeq.*
Molendinum *pneumaticum cum alis horizontalibus.* 295
Molendinorum *piſtilla ut elevanda & deprimenda?* 25
Molerius. *Comicus caſtigatus.* 208
Molien (*Stephani*) *mors fatalis.* 431
Molſa (*Fr. Marius*) *laudatus.* 196
Monachici *Ordines recenſiti.* 108 *ff.*
Monetarum *genera hodierna.* 69
Monocondilia *quando introducta?* 387
a quibus explicata? 387
Mons *aquas evomens.* 369
Dionyſii in Wallia miræ altitudinis. 326
ambulans. 327
Montes *ignivomi.* 364, 369.
Morbi *periodice recurrentes.* 233
ut a magis inducantur? 405
inducti dignoſcendi? 405
Moreriani *Lexici nova editio caſtigata.* 499
Mores *num carpendi a Critico?* 82
Mors *Eruditorum fatalis.* 431
Motus *leges.* 295
a Carteſio male tradita. 24, 25
animalis ut fiat? 445
Mulier *cur capite operto orare debeat?* 309
Mundi *plures poſſibiles.* 24

Muniendi *genus novum.* 373
Murmures *qui?* 378 *ſeq.*

N**ahum** *quo tempore vixerit?* 402
quem habuerit propheticæ ſcopum? 403
In Nahum *Commentarius.* 402
Nannius *notatus.* 387
Natales *dies qui olim dicti?* 302
martyrum qui dicti? 302
Natura *humana quotupliciter conſideranda?* 410 *ſeq.*
Navagerii (*Andreæ*) *affectus in Catullum.* 207
Naudæi (*Petri*) *ſcripta & obitus.* 430
Naufragium *libro cuidam fatale.* 156
De Neapolitani *Regni reditibus Romam miſſis ſcripta controverſa.* 366, 496
De Neuville *vero nomine Adr. Baillet.* 463
Nicotianæ *folia comeſta ad podagram valent.* 315
uſus quibus ſuſpectus? 315
Venerem extinguit. 316
Nitrum *Ægyptiacum.* 364
Nivis *natura.* 363
Nobilitas *Flandrica & Arteſienſis.* 266
libera Rhenana. 318 *ſſ.*
Suevica, Franconica, tractus ad Rhenum & Alſatiæ inferioris. 321 *ſſ.* 465
Nobilitas *Bremenſis & Verdenſis.* 322 *ſſ.*
Northumbriæ *deſcriptio.* 327
Noſtradami (*Michaelis*) *epitaphium.* 85
Notæ *Muſicæ veterum.* 387
monetarum menſurarum & ponderum. 388
Aſtronomorum, Medicorum & Chymicorum. 388
Nudatio *fœminarum cur prohibenda?* 413
Numericarum *figurarum antiquitas.* 292

O**Bſervationes** *Aſtronomicæ.* 294
Zoologicæ. 365
Obſervatorii *Pariſienſis cella profunda.* 362
Oculi *magni Orientalibus pro pulcerrimis habiti.* 157
Oculorum *caligo quid?* 221
herniaria diſpellenda. 221
remedium apud veteres eruditos. 378
Odis *num omnis materia apta?* 191
Oenanthes *Theophraſti num Lilium convallium?* 493
Operæ, *ſeu dramata muſica, quando & a quo inventa?* 208
quales nunc ſunt, exploſa. 208
Orentium *decorum Medicis commendatum.* 491

Ordines *Monachici recenſiti.* 108 *ſſ.*
varii deſcripti. 218 *ſſ.*
Origenis *defenſio in Eccleſia licita.* 211
Oſorii (*Hier.*) *vita.* 456
Otfridi *Evangeliorum editio promiſſa.* 184
Ovidius *pſeudo-ſanctus.* 5

De **P**Ace *Religionis Acta publica.* 367
Panormitæ (*Antonii*) *Hermaphrodita liber ineditus* 200
Papabiles *Cardinales qui dicantur?* 223
Papebrochius (*Daniel*) *refutatus.* 286 *ſq.*
Parallaxis *Martis & Solis.* 295
Parallaxin *fixarum obſervandi methodus.* 294
Parentius *notatus.* 22
Parheliorum *cauſa.* 26
Partenio Etro *vero nomine Petrus Aretinus.* 6
Paſcha *parare quid ſit?* 507
Paſchalis II *ad Pontificatum invitus & fugiens evectus.* 143
Paſſioneus (*Dominicus*) *laudatus.* 385
Patavinæ *proditionis memoria ſervata.* 64
urbis ſitus amœnus. 64
Patres *quando & in quibus ſequi conveniat?* 115
Pauli cianorum *origo.* 500
S. Paulus *num Britanniæ Apoſtolus?* 178 *ſq.*
Paupertas *veteribus quid?* 197
Pecus *quid notet?* 198
Pelaſgi *qui?* 284
Pelecani *num nutriant ſanguine fœtus?* 369
Pennæ *num veteribus uſitatæ?* 376
Periodorum *morboſarum ratio.* 231
Periodicorum *morborum cura.* 233
Perizonius (*Jacobus*) *notatus.* 424
Petra *in S. Scriptura Eccleſiam notat.* 454
Phalaridis *Epiſtolæ num genuinæ?* 481 *ſſ.*
ætas. 483 *ſeq.*
Phantaſia *in Poeta ut excitari queat?* 206
ab intellectu moderanda. 206
Phantaſiæ *officium in Poeta quotuplex?* 205
Philoſophi *Principum præceptores.* 407
Philoſophiæ *præſens ſtatus languidus.* 362
Phintia *urbs quando condita?* 484
quotuplex? 484 *ſeq.*
Phœnicum *literas exarandi ratio.* 379
literarum forma unde? 379

Phy

Phyſicæ *diſquiſitiones.* 22
Picti *num iidem cum Britannis?* 178
quam partem Britanniæ habitaverint? 178
Pictoria *ars promota.* 296
Picturarum *examen.* 297
Pighius (*Steph. Vinandus*) *laudatus.* 196
Pilatus *defenſus.* 79
Pili *ex utero extracti.* 72
Plagiarii *exemplum.* 454
Planetarum *orbita elliptica verior.* 74
Plantarum *variarum deſcriptio.* 365
vegetatio. 365
Plato *vindicatus.* 116
Pœnitentiam *publicam agendi in Anglia ratio.* 121
Poeſis *cur inventa?* 191
Italica unde orta? 203
Poeſeos *contemtus unde?* 207 *ſ.*
Poetæ *quid obſervandum?* 204
Politianus (*Angelus*) *laudatus.* 197
Politica *ut a Jure publico univerſali differat?* 511
Polygamia *num permiſſa jure Canonico & Civili?* 58
Polygraphi *exemplum.* 429
Pontani (*Jo. Jov.*) *epitaphium.* 65
elogium. 196
Pontes *memorabiles.* 296
ductarii ut elevandi & deprimendi? 26
Pontifex *num ſit ſupra concilia?* 152 *ſſ.*
num infallibilis? 155 *ſeq.*
Pontificis *reditus annui.* 223
In Pontificis *electione ſolennia.* 223, 224
Pontifici *num competat poteſtas in temporalibus?* 146, 151 *ſeq.*
num pœnas civiles irrogandi poteſtas competat? 147. *ſeq.*
ſola poteſtas ſpiritualis aſſerta. 147 *ſeq.*
num competat jus Reges dignitate exuendi? 150 *ſeq.*
qualis competat poteſtas? 154 *ſeq.*
Pontificii *quamdiu ab unione excludendi?* 176
ut doctrinam ſuam promoveant? 102 *ſeq.*
Pontificiorum *dogmata Hiſpanis ante Seculum VIII ignota.* 101
Schiſmata varia. 107. *ſeq.*
Præceptores *Principum Philoſophi.* 407
Prædeſtinationem *ex præviſa fide quinam primus ſtatuerit?* 173
Præmia *quid notent?* 197
Præſervatio *a morbis.* 317
Presbyteri *in Anglia ut creentur?* 122
quam habeant poteſtatem? ibid.

Priceus (*Johannes*) *laudatus.* 426
Principi *num liceat reſiſtere?* 149 *ſeq.*
Principum *Jus circa ſacra unde?* 516
Pritii *oppidi amplitudo.* 211
Prodicus *Chius an Ceus dicendus?* 426
Profeſſorum, *qui ſcholarum Rectores facti, exempla.* 526
SS. Protaſii & *Gervaſii corpora Mediolano aſſerta.* 286 *ſſ.*
Protonobilisſimi *titulus Admirali quondam tributus.* 389
Pufendorfius (*Sam.*) *notatus.* 419
Pufendorfii (*Sam.*) *in agnoſcenda Schomeri ſententia dexteritas.* 158
Pulcrum *poeticum in quo conſiſtat?* 204
artificiale in poeſi quodnam? 205
Pſeudepigrapha *conficiendi origo.* 482
Puncta *interponendi morem quis veterum invenerit?* 377
Pythagoras *quando vixerit?* 484
num veteribus dictus Philoſophus? 489

Quadratrix *circuli.* 292
Quadratura *circuli hyperbola, partium lunulæ Hippocratis, Cycloidum, Epicycloidum, Logarithmicæ, figurarum Geometrice irrationalium.* 292
Qualitates *corporis quid?* 444

Radeſiarum (*Raiz*) *Ducum Deſcriptio Genealogica.* 242
Raptus *poeticus quid ſit?* 206
Redituum *vitalium calculus.* 163
Reflexionis *theoria.* 28
Reformati *num ſint ſocii Auguſtanæ Confesſionis?* 172
Reformatorum *de S. Cœna ſententia probata.* 173
Refractionis *theoria.* 26
Regis *in rebus Eccleſiæ apud Anglos jura.* 119
poteſtas num ſit independens? 148 *ſſ.*
Religio *num cogenda?* 516
Reſpublicæ *unde ortæ?* 513
Reſurrectio *fidelium ante reſurrectionem ſupremam aſſerta.* 352 *ſſ.*
Reyheri (*Andr.*) *elogium.* 523 *ſq.*
ſcripta. 524
Rhabarbari *deſcriptio.* 491
cum θηρείᾳ *planta comparatio.* 491
Rhemi *an* Remi *dicendum?* 300
Riedeſeliorum *familia illuſtrata.* 320
Rinuccius (*Octavius*) *num primus autor dramatum muſicorum?* 208
S. Romualdi *vita.* 258 *ſſ.*
vitæ ſcriptores. 258
abſtinentia ſingularis. 259
De S. Roſæ *cum Chriſto connubio figmentum.* 104 *ſeq.*

Circa

Digitized by Google

Circa Sacra *Principum jus unde?* 516
S. Saleſii (*Franciſci*) *dogma paradoxum.* 221
Salmaſii (*Claudii*) *vita inedita.* 381
Saltationes *characteribus exprimendi ars.* 189
Samaritana *alphabeta.* 379
Sanctorum *vita.* 1 ſſ.
De Sanctorum *corporum poſſeſſione diſceptationes quarundam urbium.* 286
Sanguinis *venoſi exitus in auriculis & corde.* 124
partes quæ? 445
ingreſſus in cor. 446
Saracenus (*Jo. Franc.*) *laudatus.* 197
Sasbouthi (*Adami*) *memoria admiranda.* 453
Satellitis *umbra in diſco Jovis obſervata.* 295
Satellitum *Jovis & Saturni theoria.* 294
Jovis motus machina repræſentati. 130
Satyra *ut a Critica differat?* 81
Saxonum *nomen unde?* 180
ſedes in Germania quæ? 180
Sbaraleæ (*Jo. Hier.*) & *Marc. Malpighii controverſia.* 80 ſſ. 83, 520 ſſ.
vita & ſcripta. 519 ſſ.
Scalarum *genus novum.* 96
Scaliger (*Joſephus*) *notatus.* 380
Schismata *eccleſiæ Romanæ.* 107 *ſeq.*
Scholæ *Latinitatis Gothanæ autores.* 524
A Schomberg (*Nic.*) *Card. fata.* 211 *ſeq.*
epitaphium. 212
Schombergius *S. Bibliis a clero Luſitano privatus.* 103
Sclopetum *Guerickianum perfectum.* 295
Scortari *num liceat ex cauſa neceſſitatis?* 57
Scoti (*Johannis*) *vita.* 407 *ſeq.*
Scotia *unde dicta?* 327 *ſeq.*
quo jure ad Angliam pervenerit? 333
num Angliæ unienda? 335
Scotiæ *ſtatus modernus deſcriptus.* 123 *ſeq.*
Scotorum *priſca ſedes Hibernia.* 180
Scriptura *S. ante captivitatem Babyl. literis Samaritanis ſcripta.* 379
ut explicanda? 339
Scripturæ *materia.* 375
inſtrumenta. 376
Scripturarii *quinam dicantur?* 337
Scripturæ *S. loca illuſtrata:*
Gen. II, 7. 115
12. 492 ſq.

Exod. XXX, 492
Deut. XI, 19. 235
Cant. II, 1. 493
IV, 11. 157
Eſa. LXVI, 19. 284
Ezech. I. 442 ſeq.
XXIII, 40. 157
Dan. XI, 24-27. 391 ſſ.
Sophon. III, 20. 403
Mich. II, 6. 498
III, 8. 498
Sap. II, 7. 493
IX, 19, 20. 20, 53
Matth. I per tot. 342 ſſ.
18, 25. 398
XI, 12. 270
XII, 49, 50. 343
XVII, 5. 349
XVIII, 17, 18. 153
XXIV, 15. 308
Marc. XIII, 14. 308
XIV, 72. 308
XV, 44. 307
Luc. I, 35. 339
78. 307
II, 2. 508
32. 307
VI, 1. 507
XXII, 8, 10. 507
XXIV, 26. 397
50, 51. 397
Joh. I, 1-14. 341
14. 51
16. 308
III, 13. 18, 52
V, 21, 22. 348 ſeq.
Joh. VI, 62. 19, 52
VIII, 25. 307
XIII, 16, 17, 19-22. 397
XVI, 28. 17 ſſ. 51 ſeq.
XVIII, 36, 37. 146
Act. I, 6, 11. 397
Rom. I, 3, 4. 50
IX, 5. 50
XIV, 1 308
1 Cor. XI, 10. 309
XV, 19. 308
47. 19, 115
2 Cor. IX, 6. 441 ſeq.
XII, 20. 442
Galat. III, 4. 307
IV, 4. 351
Epheſ. IV, 3. 346
9, 10, 19, 52, 346 ſeq.
23. 346
V, 5. 347
VI, 12. 347
Phil. III, 11, 14. 352
1 Tim. III, 13. 122
2 Tim. II, 3. 307
IV, 10. 301
1 Petr. I, 4. 116
Hebr. IX, 19. 306
X, 5. 18, 53
Apoc. VI, 9-11. 353
XX, 4, 5. 353
Seberi (*Wolffgangi*) *vita & elogium.* 525
Sectarum *multitudo veritatis indicium.* 401
Seditionis *Hiſpanicæ ſub Carolo V hiſtoria.* 474 *ſeq.*

Digitized by Google

Seminis *animalis examen.* 445
De Seneca *judicium.* 61, 62
Sententiæ *ingenioſa ad quam mentis operationem ſpectent?* 61 *ſeq.*
Seri *lactis præparatio.* 318
Siceram *parandi modus.* 365
Sidneji (*Algernon*) *odium erga Reges & tyrannos.* 236
Sigismundus *Imp. ordine aurei periſcelidis donatus.* 100
Sigismundi *Imp. in Anglia auctoritas.* 99 *ſeq.*
Simonius (*Rich.*) *caſtigatus.* 357
Sixti IV *Pont. apophthegma notabile.* 223
Sixti Senenſis (*Franciſci*) *vita.* 455
Slavonica *lingua Bohemica aliarumque mater.* 501
Ruſſis æſtimata. 502
gens unde dicta? 501
Snepfii (*Eduardi*) *vita.* 358 *ſeq.*
Sociniani *refutati.* 49 *ſeq.*
Socinianorum *argumenta.* 340
Solis *diſtantia a Terra & parallaxis.* 295
macularum generatio Carteſiana falſa. 24
effectus in corporibus humanis. 230
Solſtitia *obſervandi methodus.* 294
Somni *cauſa.* 446
Soni *celeritas determinata.* 295
Soto (*Dominici*) *vita.* 455
Spanhemius (*Ezechiel*) *laudatus.* 197
Spatii *definitio.* 23
Specula *cauſtica celebria.* 294
Spei *emtio.* 162
Spiritus *vocabuli uſus de Chriſto in ſacris.* 113 *ſſ.*
quid denotet in Scriptura S.? 340
Spiritus *animales quid?* 445
De Sponii (*Jac.*) *Inſcriptionibus judicium.* 381
Stadenſis *Marchionatus hiſtoria.* 323
B. Stanislai *Caſimiritani vita.* 260 *ſſ.*
Statuas *metallicas fundendi modus.* 297
Stella *quoties Magis apparuerit?* 505
Stephanus (*Henricus*) *notatus.* 387
(*Robertus*) *N. T. ut in verſus diſtinxerit?* 504
Sternutatoria *caute adhibenda.* 315
Στίχοι *veterum deſcripti.* 377
Stotelenſium *Comitum hiſtoria.* 323
Stylus *poeticus quotuplex?* 207
Succi & *balſami minerales.* 364
nutritii diverſitas in diverſis plantis. 365
Succini *Pruſſici geneſis.* 364
Sueviæ *Ducatus ut in familia Auſtriaca erectus?* 466

Suidas *Euſtathio antiquior.* 483
Sulpicia *Poetrix laudata.* 202
Sulpicii *quot clari?* 304
De Surii *Actis Sanctorum judicium.* 5
Synodus *Sendomirienſis notata & defenſa.* 171, 172
Sypho *Würtenbergicus.* 296

TAbacus *vide* Nicotiana.
Tabulæ *Aſtronomicæ ex obſervationibus unice constructæ.* 73, 74
Ludoviciana num cum cælo conſentiant? 73
Rudolphina commendata. 73
Tachygraphorum *notæ quando uſurpari cæperint?* 384
Tacitus *explicatus.* 238
Talenti *Siculi & Attici diverſitas.* 489
Taliſman *quid?* 86
Tangentium *methodus.* 292
Tartarus *quid?* 117
Teleſcopium *catoptrico-dioptricum.* 294
Teleſcopiorum *ratio.* 293
apertura. 293
Temperamenta *in quo conſiſtant?* 444
Temperamentorum *ſigna.* 444
Tempeſtatum *mutationes unde?* 363
Temporis *æquatio.* 294, 295
Terræ *motuum cauſa.* 364
De Terræ *globi formatione Carteſii opinio falſa.* 22
Teſſeræ *frumentariæ quid?* 59
De Teſtamentis *Epiſcopis Angliæ cur competat cognitio?* 121
De Theologiæ *ſtudio rite inſtituendo conſilium.* 399
Thericlæa *pocula unde dicta?* 485
Thermarum *deſcriptio.* 363
Thermoſcopiorum *diviſio & phænomena.* 363
Theſaurus (*Emanuel*) *notatus.* 206
De Thoma Aquinate *judicium Card. de Aguirre.* 267
In Thuanea *elogia novus Commentarius promiſſus.* 464 *ſſ.*
Tibullus *num & epico carmine excellueri?* 201
Tibulli *prænomen quod?* 194
Tigna *cadendi tempus.* 296
Togra *quid?* 156 *ſeq.*
Toinardi (*Nicolai*) *opera promiſſa.* 502
de numis Samaritanis opus promiſſum. 379
Tormenta *onerandi & dirigendi ratio.* 295
Tornacum *Flandris conceſſum.* 330
Tragœdia *quando & a quo inventa?* 489
Tranſactiones *Anglicanæ in compendium redactæ.* 290, 361, 494

De Treis-

De Treisbach (*Hippolitus*) *vero nomine Phil. Knipſchild.* 465
Trevoltiani *Diarii Autores notati.* 356 *ſſ.*
Trinitas *quotuplici ſenſu accipiatur?* 338
num a Chriſtianis e Platonica Philoſophia tranſſumpta? 340
Circa Trinitatem *ſententia examinata.* 337 *ſſ.*
Trithemius *exploſus.* 238
Trocedorfii (*Val. Fridlandi*) *vita & elogium.* 448, 524 *ſeq.*
Tubus *pentoreophonicus novus.* 295
Tuldeni (*Diodori*) *ſcripta.* 313
Tumor *brachii poſt febrem.* 123
Turcarum *in excipiendis legatis inurbanitas.* 438

VAcuum *aſſertum.* 271
T. Valgius *Rufus cum Valgio Saturnino Ruſo num idem?* 200
Valla (*Laurentius*) *notatus.* 387
Vaporum *calculus.* 363
Vaſallus *unde dictus?* 238 *ſeq*
Ubiquiſtæ *qui dicantur Pariſiis?* 213
Ubiquitas *Chriſti a Brentio primum aſſerta.* 173
Vecchius (*Horatius*) *primus dramatum Muſicorum autor.* 208
Vectigal ſtudiorum *Romæ quod?* 223
Vellejus Paterculus *quis?* 263
vindicatus. 263 *ſſ.*
commendatus. 269
Velthemii (*Val.*) *memoria admiranda.* 453 *ſeq.*
Ventus *quomodo excitandus?* 295
Ventorum *cauſa.* 230, 232, 363
prognoſtica. 363
Ventriculus *epulonibus & bibonibus num capacior an denſior?* 21
Venus *in Sole videnda.* 294
Verberare *vox quid notet?* 197
Veriloquii *probabilitas ut computanda?* 169
Vermes *ut arcendi a navibus.* 296
Vernices *Sinenſes conficiendi modi.* 297
De Verona *epigramma.* 66
Veroſimile *num Poetæ ſemper obſervandum?* 205
Veſtes *incombuſtibiles.* 364
Ughellus (*Ferd.*) *in Italia S. unde ſupplendus?* 385
Vibrationum *penduli ſynchroniſmus.* 295
Vicarii *per Germaniam munus olim Eduardo III R. Angl. conceſſum.* 332

Digitized by Google

De La Villa *(Seb.) mors fatalis.* 431
Villavicentii *(Laur.) plagium.* 454
De Virginum *XIM martyrio fabula unde orta?* 420
Viridis *color tutoribus Principum in ſubſcriptionibus proprius.* 375
De Viſu *obſervata.* 494
Vitrum *cauſticum novum.* 293
Vitrorum *poliendorum ratio.* 293
Ulcera *ſinuoſa curata.* 123
Ulmæ *nobilitas & prærogativa.* 467
In Umbilicali *funiculo pulvis coccineus.* 447
Umbra *retrograda obſervata.* 28
Umbras *eliciendi ritus.* 201
Unio *Lutheranos inter & Reformatos commendata.* 255 *ſeq.*
Unionis *Evangelicorum hiſtoria.* 173
obices. 173
modus. 176
Unionum *origo.* 365
Vogt *vox unde dicta?* 239
Volandi *ars.* 295
Voracitas *ex inteſtino brevi.* 21
Vortices *impugnati.* 23, 25
Votorum *omnium quis fuerit compos?* 211
Urſinus *(Fulvius) notatus.* 424

WEndelinus *(Godefridus) notatus.* 238
A Wartenberg *(Jo.Caſim.) elogium.* 434 *ſeq.*
Wartenbergica *familia illuſtrata.* 320, 433
Wirtembergenſium *rerum ſcriptores.* 358
Wodanus *Septentrionalium Mercurius.* 238

ZAncle & *Meſſenes num urbes diverſa?* 487
Zelus *quid?* 54
Theologicus unde oriatur? 54
qualis eſſe debeat? 54 *ſeq.*
In Zephaniam *Commentarius.* 402
Zoologicæ *obſervationes.* 365

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165789802X

Digitized by Google

Digitized by Google